

PROGYMNASMATA
In
Triplici genere
CHRIARUM
Ad usum
CANDIDATORUM
Rhetoricæ
conscripta
à
CAROLO KOLCZAWA
Societatis JESU.

LEODII,

Typis GUILIELMI HENRICI STREEL.
Anno M.DCCIX.

JOANNES MILLER
Societatis Jesu
Per Provinciam Bohemiæ Præpositus Provincialis.

C*Um librum, cui titulus est:* Progymnasmata in triplici genere Chriarum, *à Patre CAROLO KOLCZAVVA nostræ Societatis sacerdote conscriptum, tres ejusdem Societatis sacerdotes recognoverint, & in lucem edi posse judicaverint: potestate à Patre Nostro Michaele Angelo Tamburino Præposito Generali ad id mihi data, facultatem concedo, ut liber typis mandetur. In quorum fidem has literas manu meâ subscriptas, & sigilla officii mei munitas dedi Litomericii 7. Decembris.* 1706.

Ad Candidum Lectorem.

UT aliquatenus de re literaria bene mererer, publicè identidem, privatimque author fui studiosæ juventuti, quò cum bonis artibus, ac peculiariter humaniore literatura amicitiam perennem coleret, & linguæ latinæ usum sibi redderet familiarem, ut hoc pacto citra difficultatem facultati Oratoriæ, cujus his sæculis plurimus est usus, operam navare posset. Atque ideo hæc Progymnasmata in triplici genere Chriarum, studio, atque operâ non levi elucubrata, publicæ luci danda censui, quibus eloquentiæ Candidatis, ad ejusdem pleniorem consecutionem, facile iter planarem. Non desiderabunt, ùt equidem reor, hoc opusculum legentes, triplex dicendi genus, oratoribus pro argumentorum qualitate, ac fine perquàm necessarium. Nec deerunt usitatæ Tullio, allisque Authoribus periodi, quibus oratorìè est loquendum. Illud quoque te Candide Lector hic monere juverit: nonnullas Chriarum proximè ad characterem oratorium accedere; cùm non magnum adeò inter eas & orationes discrimen intercedat. Porrò scias velim, hasce Chrias, bono duntaxat juventutis à me conscriptas esse, cùm paucas admodum publici juris hucusque factas esse compertum habeam. Plus enim exstat præceptorum, quam Chriarum. Leges hic etiam Candide Lector verba quædam ab usu communi nonnihil semota, Authoribus tamen, qui aliquam eruditionem sapiunt, passim usitata. Neque opus fuerit nomenclatores in consilium vocare, cum ex sensu, aliorúmque verborum adjunctione nullo negotio in eorum cognitionem devenire possis. Demum ne commodo tum docentium, tum discentium deesse videar:

dar; verbis meis succinctè præmitto, pro captu studiosæ juventutis, ordinaria Chriarum præcepta: nè dum in aliis opusculis tradentibus solùm pro Chriis præcepta, desiderantur exempla: hìc eadem quoque penes sola exempla requirantur. Est igitur

Chria, quæ latinè *usus* dicitur, explicatio alicujus dicti vel facti, aut utriusque.

Ex qua definitione liquet, triplicem esse Chriam: *verbalem*, *activam*, *& mixtam*.

Verbalis est, quæ sententiam, aut dictum aliquod fusiùs explicat. Ut si explanandum esset illud Claud. *componitur orbis Regis ad exemplum*. 5. Consul. Honor.

Activa est, quæ factum quodpiam per partes exponit. Ut si inducatur factum Cornelii Scipionis; qui Patrem luminibus orbatum scipionis instar regebat. *Macrob. lib.* 1. *Saturn. c.* 6.

Mixta est, quæ dictum, & factum explicat. Ut si inducatur Anarcharsis, qui Philosophiæ addiscendæ causa, regnum Scythiæ fratri cessit, cum dicto: *potior est sapientia regno*. Ælian. lib. 5. var. hist.

Partes ex quibus chria componitur sunt 8.

1. *Encomiasticon, vel encomium, vel laudativum*, *vulgò exordium* vocatur.

2. *Paraphrasis, vel expositio.*
3. *Causa.*
4. *Contrarium.*
5. *Parabola, vel simile.*
6. *Paradigma, vel exemplum.*
7. *Testimonium Veterum.*
8. *Epilogus.*

Exordium laudem Authoris continet; cujus dictum, aut factum, vel utrumque in chria tractatur.

Expositio dictum, vel factum, aut utrumque fusiùs & dilucidius explicat.

Causa est, in qua una, vel plures adducuntur rationes dicti aut facti, vel utriusque.

Contrarium damna, & incommoda proponit, quæ consequuntur ex dicti, vel facti, aut utriusque neglectu.

Simile, dictum, vel factum, aut utrumque, unâ, vel pluribus aptis similitudinibus declarat;

Exemplum est, in quo unum, vel plura adducuntur exempla, dictum, vel factum, aut utrumque confirmantia.

Testimonium dicta, probatáque, authoritate veterum scriptorum stabilit, sivè id unâ, sive pluribus sententiis fiat.

Epilogus demum infert, rectè dictum fuisse aliquid, vel factum, aut utrumque. Nec adversari legibus conclusionis in chria videtur, si fiat Paræneſis ad AA. seu brevis commonitio.

Et hæc de præceptis chriarum dixisse laconicè sufficerit: nè *longum sit iter per præcepta*, quod *breve, & efficax* fit *per exempla*, ut inquit Seneca epist. 6.

CHRIÆ VERBALES.

CHRIA I.

Remotâ Justitia, quid sunt regna, nisì magna latrocinia? *S. Augustin. lib. 4. De Civit. DEI. cap. 4.*

ENCOMIASTICON. Dum illustrissimus ille siderum Imperator, aureâ trabeatus luce, in orbis nostri theatrum vastissimo se se luminis infert apparatu, universum tenebrarum regnum, noctísque intempestæ dominatum, clarissimo jubet imperio exulare. Et quemadmodum coronato capiti, augustóque terrarum Principi, frequentem populo urbem subeunti, omnes ordines devicis, ac compitis perlubenter secedunt, soli Coronæ inoffensum daturi iter: haud aliter illustrissimo illi cæli Monarchæ orbem æthæreum ingredienti, minora sidera viam complanant, ipsáque regina noctis Luna, ferrugineâ se se involvens cyclade; cum subjecto astrorum satellitio, non invita cedit jus, callémque cælorum. Tanta nimirum claret majestate dux ille, & moderator temporum, dum exactis sideribus mundo redit, ac depulsis, fugatísque tenebris diem quaqua versus crea

in usum mortalium. At quid mihi cum pellucido illo naturæ oculo tellurem duntaxat illustrante, vastáque terrarum spacia calore suo confovente, si in corpora solum sublunaria innatam sibi virtutem exerendo, nullas in animos faces evibret, nullásque à mentibus tenebras valeat fugare, exturbare? Alium ego hodie intentâ oculorum acie conspicio Solem, in limpidissimo Ecclesiæ cælo, clarissimâ virrutis juxta, ac sapientiæ luce refulgentem, qui oculos, animósque omnium in sui rapit admirationem. Sed nè mystici Solis claritati per moras caliginem offundere videari, statuo in aprico totius Occidentis clarissimum lumen Aurelium Augustinum, cui lucidissima etiam illustrioris doctrinæ astra, honoris gratiâ cedere non erubescunt. Hic enim vero est illud maximum Ecclesiæ lumen, quod splendore virtutum, ac scientiarum radiis, vagantem per animos errorum caliginem feliciter ejecit, vitiorum tenebras dispulit, hæresum nubes dissipavit, & mundum eruditâ luce collustravit universum. Hunc illustrissimum citra omnem ambiguitatem orbis Solem, qui exquisitis eloquentiæ coloribus, ac pigmentis non tam adumbrare, quam illustrare adniteretur, ne ille luci tenebras, diei noctem, obscurus panegyristes rudi peniculo appingeret, quandoquidem de Augustino nemo appositè disserere valeat, nisi ipse Augustinus. Non est proinde meum hodie, ne temeritatis notam incurrere videar, Soli huic clarissimo eloquii adferre facem, sed unum duntaxat ejus radium admirari, & in Regum inferre Augustalia, vel satiùs trabali charactere aureis Principum tholis indere, à serenissimis Regnantium oculis identidem perlegendum. Sed quid ait magnus Ecclesiæ Magister Aurelius Augustinus? Quid radio descriptum unico terræ Principibus legendum objecit? *Remota*, inquit; *Justitia, quid sunt regna, nisi magna latrocinia.*

PARAPHRASIS. O dignum Augustini ingenio effatum! dignum Tyrrhenicis tubis per omnia Judicium dicasteria personare. Verum pace tuâ, inter doctissimos sanctissime, inter sanctissimos doctissime Augustine, quid

quid ais? Regna sine Justitia magna esse latrocinia? Quid ita? An non sedentibus pro tribunali supremis causarum arbitris, labem infamiæ aspergere videris, quorum muneris ratio è reipublicæ bono flagitat, in nefas sicariorum, & latronum animadvertere? Quid enim? nec viarum sunt subsessores, nec in sylvis prædas agunt; nec rapinis vivunt; nec quicquam furtim subtrahunt: & tu eos lavernionibus pessimis, ac deprædatoribus æquare non erubescis? Quis eorum sacralegas manus aris injicit? quis agit plagiarium, aut ambigeum? Quis excantat, emungítque crumenas? Quis adulterinis clavibus arcas reserat? Quis denique, ut paucis complectar plurima, exturbat fortunis proximum, ut peculatoribus, raptoribus, atque expilatoribus eos conferre non verearis? At quid ego hæc ab illo percontor, cujus dictis non sunt aut Apollinis oracula, aut Sibyllæ folia veriora? Etenim si Doctoris perquam studiosi veritatis, mentem penitius mecum libeat perscrutari; nè latum quidem unguem à veri tramite deflexisse luculenter perspiciemus. Quippe cùm per augusta etiam Regum tribunalia iniquitas libero nonnumquam pede grassetur, ac ibidem prævaleat improbitas, succumbat veritas, per vim, & fraudem aliena invadantur, quis inficias ire audeat, capita, & authores tot malorum in censum latrocinantium jure æquissimo posse, nedum referri debere. O quoties (DEUM immortalem!) in tribunalibus Principum, utinam non Christianorum, fides, jus, veritas in exilium migrare coguntur, quæ præposterâ lege corruptus proscribit judex, fugat rabula forensis, & armata falsò turba testium persequitur. Et erit, qui miretur relegato per summam injuriam æquitatis ordine, omnia susque déque agi in Regis Prætorio, corrumpi juris tabulas, rescindi pacta, & conventa, chirographa vitiari, abnegari deposita, adjurari credita, falsa subornari testimonia atque æquitatem plurimis ejusmodi injuriis jactari, agitari? Ex quo consectarium est, ut pupillorum, & orphanorum bona patria, viris orbatarum dotalitia, hæredum asses, stipendiarii census, testationum designationes, & id ge-

nus alia, aut litium consarcinatoribus, aut junctis sanguine, alióve familialitatis usu devinctis par summum nefas adscribantur Et hos seu trabeatos, seu togatos vulturios è syllabo prædatorum expungi posse arbitremur? hos à latrocinantium noxa immunes expertésque opinemur? Ne ille mihi demens, palmarique errore ludi videatur; qui sapientissimo magni Aurelii effato velit præfractè refragari.

CAUSA. Nam qui ab infami latronis nomine, ipsos adeo terrarum Principes, una cum administris justitiæ, favorem, ac gratiam Præsidum aucupantibus, vindicare valeret, nemo unus post homines natos fuisse probatur æquus rerum æstimator. Eósne incorruptos Justitiæ antistites censeamus, qui iniqua ferunt suffragia, decretoriam litis sinè ordine, sinè lege pronunciant sententiam, qui prava in mitiorem partem accipiunt, rectéque facta, perperàm in culpæ reatum detorquent? Eósne præesse causidicorum subselliis, suísque momentis rem ponderare, ac litem æstimare Lesbiâ regulâ, aut Selevci lege arbitremur, quorum in mente, ac ore versatur communis illa iniquorum maxima: aut vi, aut dolo. Non hos ego Justitiæ oculos, non Tenedi os homines, non insigni, incorruptaque æquitate præditos ausim citra crimen reputare. Pulchrum illi equidem, ac speciosum præ se ferunt nomen juris peritorum, sed à rebus longissimo distant intervallo. Siquidem non præsunt judiciis, ut suum cuique jus pro ratione meriti distribuant, sed eripiant: non ut litibus finem imponant, sed per annorum decades producant: non ut iniquè possessionibus suis ejectos in pristinum statum reducant, sed denuò exturbent: non ut causarum momenta verborum tenebris involuta, luce veritatis collustrent, sed nebulis, ac caligine amplius circumfundant: non denique ut numeris omnibus absoluti judicis partes agant, sed raptoris, sed latronis, sed depopulatoris. Nolim hic eorum vafritiem, & imposturas recensere quibus veteratoriâ arte, ac sub juris, & æqui schemate, sub legum, ac decretorum titulis, dolo pessimo non tam nasos torquent Bartoli, quam os sublinunt innocentibus, ne ab a-

lieno manus abstinere cogantur. Missas hic facio alias eorum sycophantias, & stellionatus, pacta Locrensia, machinamenta Megarica, artes Sisyphi, commenta Ulyssea, omnemque fidem Punicam, quâ fucum faciunt rei judiciariæ ignaris, ut serviendo suo quæstui, opes corradant alienas. Atque ita rei familiaris augendæ causâ, venales sunt interdum juris consultorum linguæ, & animæ, addicta pretio fides, virtus omnis promercalis. Rarior est legule jus, qui post turgentem auro crumenam non abeat, qui veritatem auro non postponat, qui bovem in lingua non portet. Perrarus, albùque cygno rarior, ad aram Justitiæ accedit cognitione juris clarus, qui nihil propinquitati sanguinis, aut privato affectui tribuat, nihil timori, aut humano obtentui indulgeat, nihil odio, aut gratiæ faveat, quibus à gradu constantiæ, & æqua juris statera facili negotio dimoveatur. Et hos à Justitiæ regula deflectentes, plurimumque hoc pacto detrimenti aliis inferentes, quo suis studeant emolumentis, ex matricula raptorum, & prædatorum, aut si quid dici potest immanius, è merito eradamus? Id utique rationi dissentaneum foret, mentísque vitio captos, pleno in meridie veri nos comprobaret. Quamobrem iniquissimos regnorum, curiarúmque Præsides pronuntiamus, è mente veridica magni Aurelii, qui vultures forenses muneribus publicæ rei admovent, suísquè duntaxat commodis inhiantes, ac majores, ut paræmia utamur, rivos ex aliorum fluminibus in suum agrum deducentes.

CONTRARIUM. At ex adverso, ubi ipse æqui servantissimus Princeps foro præest, ac disceptationem judiciariam arbitrio sapiente penitius evolvit, & sedula disquisitione veri momentum indagat, nemo juris confundit ordinem, nemo edicta Cæsarum, ac plebiscita evertit, protelationes innectit, veritatem infirmat, fallacias componit, quæstui studet, venalem proponit æquitatem. Principe ad libellam Justitiæ omnia exigente, nihil amori, nihil odio, nihil gratiæ attribuitur: nemo depravat affectus, nemo spe, metúque agitur in transversum. Tum enim verò sanctissima Regum augustalia sunt templa sanctitatis,

ctitatis, sacraria fidei, aræ populorum, sedes intemeratæ veritatis. Quid quod Justitia Principis, patriæ est tutamen, pax populorum, immunitas plebis, gaudium hominum, solamen egenorum, hæreditas filiorum, & sibimet ipsi spes beatitudinis interminatæ. De cujus assecutione non est, quòd ambigat æquus causarum arbiter, si identidem hominis conditionem animo suo probè revolvat, tantùmque homini in hominem licere meminerit, quantùm summus ille cæli, terræque Monarcha, jurísque severissimus exactor bilanci Principum credidit, ac commisit. Compertum proinde, exploratúmque habeant ii, penes quos sunt terrarum Principatus, non solùm rerum habenas sibi à Cœlo esse datas, sed vel maximè fidem agendorum, è cujus præscripto etiam eos, quos oderint, de reis eximere possint, quósque in amoribus habuerunt, capitis damnare. Nullius Monarcharum, licèt ad Imperii orbis totius clavum sedeat, gloriæ perennitatem ad posteras ætates propagabit; qui aliter summæ, aliter personæ infimæ conditionem in statera Justitiæ appenderit? qui aliter quæstionem exercuerit in sicarios, aliter in regni Optimates. Talis oportet sit Provinciarum Præses, summúsque causarum quæsitor, in cujus manibus nunquam titubet, aut vacillet, quocunque demum personarum obtentu, trutina Justitiæ. Æquum sit omnibus jus summum Principis, ut lege divinâ, ac humanâ certâ ratione sancitum est.

PARABOLA. Nec existiment sibi fore dedecori, supremi legum, forique vindices, sidus illud princeps, lucisque fontem, & caput æmulari. Quemadmodum enim unus idémque Monarcha astrorum, hominibus, atque animantibus vim, atque virtutem suam æquâ ratione communicat, motus siderum constituta dimensione moderatur, stellarum seriem pro rata portione collustrat; suóque influxu abditissimos quosque terrarum recessus permeans, gemmas, aurúmque progenerat. Ut unus idémque Solis benignioris aspectus hic agros fæcundat, ibi messes inaurat, illhinc arbores in fruges animat; illinc colorat prata, alibi vires purpurissat, vireta pingit; hortorum areas florum

rum pigmentis illuminat, omnibus omnia, idem universis: haud secùs æquum Judicis supremi tribunal commune sit omnibus: non aliud imparato à re nummaria, non aliud copioso & locupleti, non aliud Iro, non aliud Cræso non personam spectans, sed rei duntaxat æquitatem. Perperam quippe judicat, qui in subditorum causis animo versat odium, aut favorem. Nec est, quod linguas obtrectantium, familiarum questus, & lamenta, adversantium opprobria, & id genus alia, verus juris arbiter pensi habeat, aut pertimescat. Ut enim exacta, & ad amussim elaborata, formatáque regula, nullam sui redintegrationem correctionémque suscipit, à quacunque demum concinna licet norma, minus ab ea, quæ errori est obnoxia; haud aliter æquitatis studiosus, neque ab justis castigationem patitur, neque ab iniquis rerum æstimatoribus sustinet probro, aut contumeliâ lacessiri. Quin forti, excelsóque præditus animo verus causarum cognitor, satius deligit, pronuntiatam juste sententiam, ab eo, qui merito suo damnatus est, improbari, quàm iniquum ferendo judicium, à jure naturæ, ab legibus, & à supremo cæli, terræque arbitro, non citra reatum culpæ, ac pœnæ, reprehendi. Quapropter Rhadamantæo pollentes judicio, obvelatis oculis reorum delicta exigant; ne in personarum acceptatione crimen iniquum sibi adsciscant. Levâ bilancem teneant cum Astrea, expendentes causarum merita non sua emolumenta. Dextera ensem nudum præferant, quo bonum commune, vel privatum conservent indemne, aut læsum pro ratione juris tueantur, expetitâ de lædentibus æquâ ultione, quam sanctio legum decernit.

PARADIGMA. Hac insignl Justitiæ laude floruerunt Principes, ac Judices, etiam in dedita vanis ritibus gentilitate, qui non duntaxat sapienter in causarum cognitionem descenderunt, sed justam quoque tulerunt sententiam, fortitérque executi sunt, memorando, imitandóque nullis non Judicibus documento. In quorum censu non postremum sibi locum vendicat Trajanus Imperator, justitiam, & æquitatem in Principe plurimùm commen-

dans, dictitánſque: his potiſſimùm virtutibus magna terrarum nomina cæteris hominibus præcellere oportere; Et ne ſpecioſo verborum tenori reapſe deeſſe videretur, eductum aliquando de vagina gladium, urbis Præfecto, in corona Procerum, & conſerta populi multitudine, tradidit, ac edixit: cape ferrum hoc, & ſi quidem recte Imperium geſſero, pro me; ſin aliter, contra me utere (a) Is ipſus Trajanus Imperator infeſta ſigna in hoſtem illaturus, cùm jam idoneo armorum apparatu inſtructus, equum aſcendiſſet, obviam ſibi forte fortuna habuit aniculam altâ voce inclamantem: filius meus, ô Cæſar, te regnante, interfectus eſt, apprehenſóque pede Cæſaris, lacrymis infuſa, hæc protulit: obſecro Domine, ut cùm meum mihi reddere non valeas natum, ſanguinem ejus ſaltem ne pigeat te vindicare. Ego, ait ille, votis tuis ſatisfacturus ſum, officióque judicis probe perfungar, cum pedem retulero ad urbem. Quid ſi eam repetere non daretur, ſubjungit illa, ecquis in cauſa mea forum aget? Is qui regno ſucceſſurus eſt, reponit Imperator. Sed anus: quid id ſciam? Et quamquam facturus ſit judicium, ut fas, & æquum poſtulant, tibíne profuturum exiſtimes, ſi alius bene de Juſtitia meritus fuerit? An facto alieno à partibus, quibus etiamnum obſtrictus es, liberabere? An non magis in rem tuam foret, in ore præſentium jus dicere, mercedem à Diis immortalibus recepturus, quàm alteri eam tranſmittere? Non littori locuta eſt anus orba filio, quippe continuò ex equo diſcenſum faciens Imperator, cauſam Baucidis ad libellam exegit Juſtitiæ, reum quemerito addicens ſupplicio, dolorem aniculæ ſolatio levavit. (b) O dignam Capite Romani Imperii æquitatem. Huic proximè accedit Totila Gothorum Rex: ſanguinarius cæteroquin Princeps, juris tam religione haud paucos antevertens terræ Monarchas. Forte acceſſerat eum Calaber quidam, incùsârátque unum aliquem è ſatellitio regio pudicitiæ filiæ vitium obtuliſſe. Totila è veſtigio reum criminis

(a) *Niceph. Calliſt lib. 3. hiſt. Eccleſ. c. 23.* (b) *Xephilin. in Trajan. vita, & Niceph.*

minis carceri, vinculísque jubet mancipari, debitas de eo pœnas sumpturus. Interea cunctationem decretoriæ mortis sententiæ injicere adnituntur illustriores triarii, miseratione, an cupidine paris licentiæ, in ambiguo sit. Quare supplici prece armati regium tribunal adeunt, submisséque orant immunitati restitui, sibíque donari commilitonem, notâ virtute, ac fortitudine clarum. Quid ad veniæ, & impunitatis deprecatores Justitiæ vindex Totila, acri reprehensione primum coarguit militaris disciplinæ admodum peritos; tum contenta voce erumpit in hæc verba: non feram, inquit, non feram Justitiæ vim inferri: vobis si inferre est animus, me auferte. En corpus, & pectus; aut peream ego; aut perdam malos. Quo dicto, nemine refragrante, scelus ergastulo eductum capite jubet minui, ejúsque fortunas injuria effectæ in dotem addici. (c.) O singulare Incorruptæ Justitiæ argumentum. Et verò è mente nonullorum visus est bonorum omnium largitor DEUS, utriusque Principis Justitiæ laudem, temporaneo gloriæ auctoramento remunerari decrevisse. Nam Trajanus toto Oriente domito, victoriæque palmas undequaque deportans, Romanus audiebat Alexander: Totila verò exercuit non amplius quinque millium è Gothis conflato, collatis sæpenumerò signis, Italiam, ac Siciliam suæ ditioni subjecit, Neapolim, atque ipsam urbem urbium, gloriosus victor, suæ fecit potestatis. Sed ut plura ab aliis terræ Principibus Justitiæ capiamus documenta, dignum sanè relatus est, quod de Vandolorum Rege Canuto libri chronici memoriæ prodiderunt. Adeò studiosus hìc Princeps fuit æquitatis, ut pœnas irrogaret nocentibus, nulla habita ratione personarum. Non amor, non cognatio, non ulla necessitudo poterant delicto patrocinari: quod vel inde luculentissimo patet argumento. Cùm enim quidam vecticularii, ac effractores, ad infelicem arborem jam jam educendi essent, unus aliquis è medio damnatorum grege proclamavit: se Canutum Regem proxima cognatione attingere, atque ideo jure sanguinis im-

[c] *Joan. Magn. lib.* 13. *ex Pracep.*

impunitatem, & vitam flagitare. Hoc accepto Rex nihil admodum turbatus, cognato, inquit nostro, ut honoratior sit locus, sublimiorem crucem ponite. [d] Nec Principis decreto suus defuit effectus. Hoc enim verò est fungi Regis munere, suis ante dominari affectibus, deinde populis, eadémque potestate tueri bonos, & malos malè perdere. Pari æquitatis laude pręstant Principes, sive beneficia apud meritos collocent, sive pœnarum pondere, ac suppliciorum gravitate noxios reipublicæ obruant: nè veniam indulgendo uni sceleri, iliadem malorum provocent, & præcedentis delicti impunitas in commune civium detrimentum, flagitiorum catervam indicat. Imò verò conniventes sceleri Principes, eodem se obstringunt, suúmque faciunt, quod juris ordine vetare eis incumbebat, quodque abolere poterant, si justitiæ secures, ut par erat, in recentiora delicta citra moram expedivissent. Testis est mihi hujus veritatis Ludovicus tertius supra decimum Rex Galliarum, à quo cum nonnemo majoris fortè notæ, veniam patratæ cædis supplicibus votis expeteret; Rex facti enormitatem in statera justitiæ delibrans; & quod jam tertiò id sceleris conscivisset, tene, inquit, veniam petere homicidii jam tertii; Hęc sciscitanti, adest festivus joculator, aut verius sapiens morio, qui subjungit: quid Domine, tertii, imò primi duntaxat nam alterum illud, & tertium tua sunt: quia si tu primo vitæ gratiam non fecisses hic alia neutiquam perpetrasset.

TESTIMONIA VETERUM. Rectè proinde, scitissiméque dictum Publio mimo: *Judex damnatur, cùm nocens absolvitur. Ejusdem* enim *est ingenii*, dicebat juris amans Totila Gothorum Rex, *delicto se obstringere, & delictorum supplicia vel omittere, vel impedire.* [f] Hinc teste Romano Sapiente: *bono Justitiæ proxima est severitas. Ut fulmina paucorum periculo cadunt, multorum metu; sic anima adversiones magnarum potestatum terrent lati-*

[d) *Saxo Gram. lib.* 11. *hist. Danica.* [e] *Fulgos. lib.* 2. [f] *Tympius in spec. Princip.*

tiùs, quàm nocent. [g] *Adhibenda est reipublicæ causa severitas; sine qua administrare civitas nulla potest: si quidem salutaris severitas vincit inanem speciem clementiæ, & unius improbi supplicii, multorum improbitas coercetur*, inquit Princeps Oratorum [h] *Digitum præcidi oportet, si ob eam rem grangrena non sit ad brachium ventura*, ut Varro monet [i] *Et immedicabile vulnus ense recidendum est, ne pars sincera trahatur*, canit Vates Sulmonensis [k] Itáque *haud patiendum licentiam scelerum, quam rabiem ad integros procedere. Cave igitur Princeps, ne dum ignoscas malis, bonos perditum eas*, ait Salustius in Jugurtha. Sed nè prophana duntaxat sectari videamur; accipite, quod ore aureo de Principe edicit aureus Orator: *non in pretiosa veste, & zona, nec in præconis voce cernitur Princeps, sed in eo, quod collapsa reficiat: quæ male constituta sunt, corrigat, ac in injuriosos animadvertat, nec patiatur à potentioribus jus auferri.* [l] In eandem sententiam ita disserit purpuratus Dalmata: *Proprium est Regum facere judicium, & justitiam, & liberare de manu calumniantium vi oppressos, & peregrino, pupillo, ac viduæ, qui facilius opprimuntur à potentibus præbere auxilium.* [m] Utque sapientissimum Augustini effatum ipso Augustino comprobatum eamus: illud ejusdem in calce testimonii adnectimus: *Justitia sola Principis respublica sustentatur.* [n] *Sine qua*, ut ejus Paraphrastes Ludovicus Vives commentatur, *ne Jupiter quidem Principem agere potest.*

EPILOGUS. Quæ cum ita sint, ecquis inficias ire ausit, omnibus veræ sapientiæ dotibus cumulatissimum Antistitem, vero consonam protulisse sententiam, edicendo: *remotâ Justitiâ quid sunt regna, nisi magna latrocinia.* cum & ipsa latrocinia aliud non sint, quàm parva regna. Hac enim pulsâ, fugatáque à curiis, à tribunalibus, à solio Principum, quid aliud consequi necesse est, quàm corrumpi judiciorum ordinem, inflecti virgam Justitiæ; opprimi

[g] *Lib. 1. de clement.* [h] 2. offic. [i] *de just. Princ.* [k] *Lib. de remed. amor.* [l] *apud Anton. in Melissa part. 2. c. 6.* [m] *epist. ad Demetr.* [n] *Lib. 2. de civ. Dei.*

opprimi falsis testibus innocentiam, deseri fidem, ac veritatem, susque déque misceri universa, qua de causa agite Principes, penes quos est arbitrium rectè judicandi, quibusque supremus Arbiter justitiæ humanæ secures commisit, agite inquam, ni pœnas vindices in caput vestrum accersere velitis, ac sapiente veritatis oculo discernere satagite, an juris, legúmque administri amore, vel timore, odio, aut obrizo præoccupati sint, cùm agitur de vita hominis, de causa capitis, de fortunis, de honore, ac infamia, aut de gravissimo rei familiaris detrimento. Frons judicis cæca sit oportet, sinè affectu, sinè aspectu. Non hìc pensi habeatur generis claritas, non sanguinis propinquitas, non preces, & lacrymæ, non pollicitationes, & minæ, cum suscipiendæ sunt egenorũ causæ, actiones, injuriarum audiendæ, criminationes reprimendæ. Justitiæ lances in æquamento pendeant, nec muneribus, nec ullo personarum facto discrimine, in dextram, sinistrámve inclinandæ. Non abeat impunis, qui jus læsit alienum. Rarus, indemnitate proposita, abstinere velit injuriâ. Cui non sit illecebra peccandi, delictorum licentiâ? Quis metuat malum agere, quod Principem videt æquanimiter sustinere? Luant prævaricatores, quæ iniquè aliis intulerunt. Talio frænum sit improbitatis. Non prætereant Principes malos, ne bonis sint nocumento. Abscindantur, quæ lenitatis pharmaco sanari nequeunt. Ideo populorum Rectores, & tribunalium Præsides gestant gladium; ut præcidant scelera publicæ rei noxia; nè malorum contagio serpat in alios reipublicæ artus. Quamobrem ô Principes! ô Judices! qui vicariam DEI in terris agitis potestatem, justum judicium judicate; nè verissimum, gravissimúmque Hipponensis tiaræ pronuntiatum, jure in vos possit non citra decus intorqueri.

* * *

CHRIA

CHRIA II.

Scito magnum, & honestum vindictæ genus, ignoscere. *Seneca in Proverb.*

EXORDIUM. ETsi sæpenumerò mentis, oculorúmque immitam aciem in argutos probè eruditorum sensus, sensatásque argutias: licèt studiosiùs versem animo illa veteris sapientiæ oracula, per Stagyræ Lycea, per divini Platonis Pœcile, per Academicorum porticus, per rostra Tullii longè latéque sparsa, diffusaque: eam tamen in lucubrationibus Annæi Senecæ legere est sapientiam, præsertim quæ de moribus rectè instituendis traditur, ut Solis instar, longo post se intervallo relictis clarorum virorum sideribus, effulgere videatur. Quid enim clarissimis divini omnino ingenii monumentis, ad rerum publicarum utilitatem accommodatius, quid ad virtutis amussim rectius, quid ad formandos ritè mores congruentius posteritati transmittere potuit, quàm illa plena sapientiæ dogmata, quæ viri à fæce vulgi longè discreti, ceu Sibyllæ folia admirantur, venerationéque prosequuntur; Nullam equidem penitius quisquam tanto in opere evolvit paginam, quæ non figuram luminibus reniteat, quæ non sonantibus tinniat verbis, gravibus abundet sensis, tantaque rerum procedat majestate? ut vir ille Palladius non loqui, sed oracula fundere, nec tam in verba fingere characteres; quàm in sententiarum schemata universa deducere à sanis mentibus observetur. Hunc Philosophorum facilè Principem, ac Achilem, omniúmque disciplinarum fastigium tenentem, in cælum meritis laudibus efferre percuperem, ejúsque encomia pleno ore decantare sed cùm meam in concinnanda æqua;panegyri non diffitear imbecillitatem, jubeor Harpocratæo silentio tantæ sapientiæ præconia involvere,

nè

ne magìs ea obſcurare, quàm illuſtrare videri posſit indiſerta laudatio mea. Non eget emendicato laudum peniculo quem propria virtutum depingit idea. Inanes ſunt laudum externarum radii; cùm domeſticus ſapientiæ ſplendor ſatis, ſupérque eluceſcit. Illuſtrant eum affatim clariſſimæ mentis lumina; deprędicant dictatę ab ipſa Pallade tot portentoſæ ſententiarum myriades, quas ad virtutem eruditè, ad eruditionem ſapienter, ad ſapientiam ſcripſit prodigiosè. Unam mihi duntaxat hodie liceat ex pretioſo illo ſapientiæ gazophylacio depromere margaritam, unum exili mea facundia expolire nnionem, unam explanare diviniorem ſententiam, ex qua immenſum omnigenæ eruditionis theſaurum, facili conjectura aſſequemur in ejus monimentis triumphare. Gemmam profectò non è ſuperſtitioſæ antiquitatis deſumptam promptuario, ſed in mente Chriſtiani ſapientis natam exiſtimate; qua univerſos vindictæ facibus ardentes, veniæ, indulgentięque eſſe memores voluit, hanc graphio ſapientię exaratam poſteritati tranſmittens gnomam: *Scito magnum, & honeſtum vindictæ genus ignoſcere.*

PARAPHRASIS. O effatum formandis Chriſtianorum moribus perquam ſalutare, O dictum probe adeò, ut nè illud improbare ipſa improbitas posſit, Vos hoc divinius pronuntiatum, auribus, animiſque velim admovere, qui flammas ultionis hoſtium ſanguine reſtinguere ardenter capitis. Vos hic continuò adeſſe exoptarem, qui effrenata rabie acti in adverſariorum excidium; conſceleratas manus cruore eorum aſpergere non exhorreſcitis. Vos hæc benignè, attentéque audire percuperem ſubjecti coronis, tiariſque vertices; qui per ſubditorum jugulos, vindicta duce, immanitate plus, quàm barbara graſſamini. Univerſos denique hic præſentes peroptarem, quos ulciſcendi libido etiamnum exagitat, ad excipiendam, altéque pectori immittendam veræ ſapientiæ gnomam; quò furentes animi confeſtim miteſcant, tumentes vindiciarum fluctus protinus ſubſidant; indomita rabes actutum reprimatur, ultricéſque iræ ſinè interpolatione deponantur, in

vitam,

vitam, in famam, in fortunas æmulorum sævius Phalaride debacchantes. Nolim AA. existimetis velim, gloriosum cuiquam fore, vindicandi spatium animo concedere, iræque habenas intemperantius laxare; at hosti ignoscere, inimicis veniam favere, atque ultrò porrigere, hoc enim verò gloriam, hoc famam, hoc laudem parit immortalem. Subsidat cum Hannibale vixdum bis quater annos numerante, in Romanæ gentis perniciem ebulliens vindictæ fervor: Desæviat ultionis rabies cum Cleomede: excidant animo vindiciarum monstra, generísque humani dehonestamenta: Vatinii, Vedii, Commodi, Apii, Posthumii, atque Neoptolemi; periculum capitis, ac fortunarum corrivalibus suis inferentes. Alienum sanè ab heroa mente arbitror facinus, injuriam vix dignam subinde hoc nomine, ferro flammáque prosequi; acciperé malum, & reddere: nihílque inultum præmittere. Imbellem ajo, ac dedecori obnoxium viri animam, & gregi sequioris sexus accensendum; qui non se sibi, non rationi, [prô pudor?] sed malesuadæ ultionis suggestioni tradit gubernandum. Illud, illud honestum vindictæ est genus, non acceptam retaliare injuriam, non pœnam repetere, sed impunitate, & gratiâ donare adversarium, abducere animum ab ulciscendi consilio, omnémque mali temerariè illati memoriam generosâ sui victoriâ, & triumpho delere, ac oblitterare. Semidei herois est, licèt opportunitas nocendi præsto sit, non sævire in hostem; non asperari in crudelitatem, sed lacessentes complecti amore, fovere, favere, benéque de malè merentibus mereri. Quare si magnam, si honestam, si gloriæ convenientem sumere lubet vindictam, nihil in eo genere se præstabilius acturos sciant mortales, quam ignoscere, quàm veniam offensis indulgere.

CAUSA. At æquo durius fortasse nonnemini videbitur, inultam præterire injuriam; qua honoro nomini, famæque non parum derogatur? Id equidem non ausim inficiari, cum natura ipsa comparati simus ad vitia, insanoque feramur studio ad honoris nostri tutelam, vitáque nobis potior videatur nominis amplitudo. Verum si virtutis

iter decrevimus terere, si eluctari ad veræ gloriæ fastigium, non per lubricum vitiorum callem, sed per obseptam spinis semitam in ardua eniti est necesse. Non equidem hunc asperum, difficilemque virtutis tramitem tenent ii, qui vindicta duce in devia vitiorum aguntur, quíque posthabito pulcherrimæ virtutis decore, in æmulorum perniciem, in cædes, ac vulnera solius gloriæ inanis cupidi rapiuntur. Hæc belluinæ ultionis mancipia, si sapientis Annæi monito pro eo, ut par est, morem gererent, & exutâ vindiciarum feritate, humanam benignitatem animis inducerent, quæ quantaque sibi, ac rebus publicis procurarent emolumenta, nemo est, qui ignoret. Suspicerentur enim verò ab æmulis, in amoribus essent sapientum, omnibus in pretio forent ac honore. Quid quod minus vitiorum subjacerent imperio, sed viva, absolutáque forent sibi, atque aliis virtutum idea. Tum profecto pacem, & concordiam in urbes inveherent, regna gubernarent placidius, imperia dirigerent paccatiùs, jura administrarent ordinatiùs, pulcherrimáque staret, vigerètque facies reipublicæ, legúmque sanctio in communem civium utilitatem inconcussa firmaretur. Atque ita bella intestina, & opinionum discrepantia exularet, voluntatum, & studiorum summa esset consensio, quódque caput est rei, benignitas, injuriarúmque non fucata remissio, librandáque non rarò in delicta mortalium irati DEI fulmina, à regnis, à provinciis, ab urbibus felicissimè arcerentur. Quare si propitiam Numinis manum, favorémque Cælorum in votis habemus, ultionem sumamus de injuriis, sed condonando, vincamus, sed parcendo, æmulos lacessamus, sed ignoscendo. Blanda sit in adversarios ira, mitis in rivales furor, clemens in æmulos ultio, & exulceratum ad extrema vindictæ sumendæ consilia animum miserationis oleo temperemus, quò facile, ac benignum Numen reciproce nobis experiri detur.

CONTRARIUM. Ex adverso vero nil magìs justissimam DEI iram in mortales succendit, nihilque perniciosiùs humanæ est societati, quam exæstuanti vindictæ dare spatium, atque ferinâ ultionis rabie per hostium, per urbium,

um, pérque regnorum ruinas immaniter, truculentérque grassari. Quid florentissimas evertit ditiones? evertit ultio. Quid tot, tantáque potentissimorum Regum solo æquavit Augustalia? æquavit ultio. Quid enervavit confertas, instructásque armis bellatorum copias? enervavit ultio. Quid inclinatas jam jam in Principum vertices removit laureas? removit ultio. Quid tot Eparchas, ac Toparchas ad infimam, nulliusque ordinis, ac loci dejecit conditionem? dejecit ultio. Quid tot regna, ac Provincias, tot dominatus, ac Imperia pessumdedit, funditúsque evulsit? pessumdedit, evulsit improba, infesta, exitialis ultio, impoténsque animi vindicta. Si hodiedum è fumantibus etiamnum ultione cineribus, spectabiles orbi redirent fortissimi heroes, si protrusi ab inferis, ante pedes vestros consisterent rerum olim potientes, an non unicam interitûs sempiterni causam, malorúmque omnium originem palam facerent ardentem spiritum vindictæ, quo se ad infelicitatis æternaturæ barathrum, ignémque sempiternum præcipites egerunt! Et hanc pestem, hanc luem animarum, hanc omnis mali illiadem, in orbe nostro commorari patiemur? Ejiciatur, eliminetur ex urbibus hoc malorum seminarium, dissensionum nutrix, honestatis dedecus, famæ corruptela, bonorum pernicies, fax, incentríxque bellorum, artium dolosarum architecta, juris divini æquè, ac humani proculcatrix, scelerum omnium nundinatrix, profligetur, exturbetur. Ita sane nocendi cupido tandem disperibit; vindictæ flammæ deflagrabunt, nec porrò ardor ultionis coquet pectora, iræque ardenti pabula subtrahentur. Nemo ruet per ferrum, & vulnera, nemo miscebit aconita, nemo per regnorum, & urbium ruinas triumphale deducet nefas ultionis. Ex quibus universis haud obscuro conficitur argumento, tantum esse malum amorem, studiúmque vindictæ, quantum bonum est injurias ulcisci ignoscendo.

SIMILE. Sed ut hactenus dictorum veritas clariùs elucescat in fœdissimum vindictæ ostentum, oculos, animosque advertite, ut tot vitiorum Hydram detestemini. Utque viva in imagine, ac luculentiore iconismo, genium ultionis, ejúsque archetypum adumbrare videar, an non sæ-

vum rabie leonem, horrentes, tementéſque ſpectaturi eſtis? Quemadmodum enim ſylvarum ille terror, ubi ſaucius fuerit vulnere jubas concutit; fremit ore, ſpumat, frendet, & in obvia quæque, iratos dentes acuens, irruit, proterit, laniat, ac peſſumdat, quò inflicti doloris capiat levamentum: haud ſecus per ultionis flammam, rationis lumen præſtinguentem, ubi de poteſtate mentis dejecti fuerint mortalium animi; in leves etiam injurias eo vindiciarum igne inardeſcunt, eáque rabie agitantur, ut disjectis ſani conſilii repagulis, ceu leones, in exitium hoſtium proruant, neque citius modum furori ponant, dum in adverſarii ſanguine manus laverint, ſéque fœdum in modum cruentârint. Et veluti fervens ab circumjectis ignibus ahenum, ebullientem vi ſumma protrudit, effundítque aquam & omnem adipis pinguedinem in ampliorem flammarum materiem proturbat, tandémque, niſi refrigerio temperetur, in fruſta abiens, diſſipatur; pari ratione cor humanum vindictâ fervidiore exæſtuans, omnem divinæ gratiæ, ſi ità loqui fas eſt, pinguedinem, & opimitatem, non citra crimen, ejicit, ac ni vindicantis animi ardorem ſopiat in tempore, fœdúſque amicitiæ pangat cum proximo, omnis humanitatis, ac virtutis expers, & vacuus, ſua ſe perdit malevolentiâ, & ceu vas ex teſta fragali conflatum eliditur, ignibúſque ſempiternis fragmina tranſmittit. At nè ab ignis parabola, naturam vindiciarum, ac genium ejus clarius illuſtrante diſcedere videamur, plenius veritati dictorum conſulturi ſumus, ubi violentas ignis furias longè, latéque graſſantes oculis mentis veſtræ ſubjecerimus. Vidiſtis non raró ipſimet flammeam Vulcani rabiem tecta corripere, & Aquilone, Boreáque adminiculantibus, ingentes ædium moles abſumere, nihílque reliquum facere præter buſtum, & cineres, remedia miſerorum præoccupante ignis ſævitiâ, ac rapiditate. Ecquid vindictæ libidini ſimilius rerum natura valuit exhibere? Quid enim hac flammâ voracius? Quid hoc igne truculentius, non antè reſtinguendo quoad famam, fortunas, vitámque ipſam adverſarii depaſcatur? Nec aliud animo volvit, ac identidem molitur vindictæ cupidus, quam ut pabulum furenti animo flammæ

coni-

continuò subministret, interitúque alieno nocendi ardor saturetur. Quin hìc quandoque satietatem suam explet inexplebilis vindiciarum ignis, sed in familiares, & propinquos, serosque nepotes æmuli suam exerit immanitatem ? nec ab ulciscendi, perdendíque proposito antè desistit, quam omnes honoris sui obices de medio tollat.

EXEMPLUM. Hoc igne ultionis , ut ad exempla gradum faciamus, arsit proximè superioribus sæculis, Orientis, ac Occidentis Imperator Theodosius magnus senior, aliàs Orthodoxæ Religionis Atlas, cùm ultione stimulante, decus purpuræ innocentûm sanguine fœdè conspersit: quamquàm postliminò relatâ de seipso gloriosa victoria , labem crudelitatis rivis lacrymarum diluerit, & insolita Principibus pœnitudine expiarit. O sacratissime Cæsar , ecquid erat ut post substratum pedibus tuis orbem propè universum , post subactam glorioso marte Maximi tyrannidem , post erecta de superato Eugenio gloriæ trophæa , indomita vindicantis iræ impotentia tanti nominis decora , ac præconia disperderes, ac profligares? Ergone ob unicum hominem, Stiliconis improbi clientem , seditione populi jure fortè imperfectum , Thesalonicam urbium Macedoniæ Reginam, immanitatis theatrum statuêre, & trium horarum spatio, septem hominum millia lubuit dare internecioni ? (a) O Manlianum imperium. O truculentiam Christiano Principi dedocorosam. Sed quid hæc AA. miramur, quid obstupescimus haud ignari , vilem esse omnem humanum sanguinem furenti, ardentíque vindictæ , rationis claustra semel perfringenti , Desideratis , ut pluribus comprobemus malesuadum ultionis genium , per augusta etiam Regum capita , æterno eorundem opprobio debacchantem? accipite. Quem vestrum fugit vindictæ œstro percitus orbis domitor Alexander Macedo, in familiaris sibi Cliti viscera inclementer defæviens ? (b) Quem latet Caracallæ insanus ultionis spiritus, qui ob leviorem sannam, & derisiculum, florentissimam Italiæ urbem Mediolanum , ferro, flam-

[a] *Sigon. lib. 9. Imper. Occid.* [b] *Plutar. in Alexand.*

flammáque inaûditâ penè attrocitate demolire fategit! (c) Missum hic facio Fridericum Barbarossam; qui vindictæ stimulo adurgente, viros a prudentia, consilioque longè maximos luminibus viduavit. (d) Quid memorem Guilielmum magnæ Britanniæ Regem, qui ultione facem præferente, ob ludificationem fortè vix dignam hoc nomine; florentissimum regnum Franciæ ferociter depopulatus est, (e) O sævam coronatorum Capitum vindictæ libidinem! O feritatem ex Augustali Principum, moderationis leges dictantium populis, nunquam non eliminandam! Aliam sibi, etiam lacessiti convitiis, præscripsêre vindiciarum maximam Cæsares, ad leges divinas, humanásque ritè conformati, Testem hic appello Rudolphum Habspurgicum Austriorum Cæsarum Patrem; cujus facilem, ac humanum in retundendis injuriis animum, gloriosissima posterorum series cum laude æmulatur. Forsitan à quopiam jacula evibrandi minus gnaro, vulnus accepit fortuito Imperator. An hic effervisse ira, vindictámque animo concepisse existimatis tantùm orbis Principem, nihil minus. At seposita vindictæ cupiditate, venia, ac libertate, aula universâ admiratione suspensâ, imperitiam clementissimè condonavit (f) Testor ejusdem sanguinis, ac virtutis ex asse hæredem Fridericum Cæsarem, à populo telis convitiorum sæpe numerò impetitum, quæ tamen nunquam in animum virtute obarmatum admisisse fertur, nunquam gravioribus pœnis subjecisse. Cúmque primores aulæ justa, eàque capitali animadversione plectendos dictitarent, nullas de nocentibus pœnas sumere decrevit Imperator, illud dignum sapientiâ Regis depromens effatum: in libera civitate liberas esse linguas oportere. (g) Testor denique Alphonsum Aragoniæ Regem, ut genere, ita virtute mundo spectatum, qui à projecta in audaciam lingua, apud exteras nationes ignominiâ notatus, dicacitatem ferrò mulctandam, officiis ornavit, beneficiísque cumulavit. (h) Hæc enim

(c) *Sabel. lib. 5.* (d) *Sigon. lib. 14. regn. Ital.* (e) *Polydor. lib. 9.* (f) *ex Pogg. in vita Rudol.* (g) *Æneas Sylvius lib. 3.* (h) *Anton: Panorm. lib. 1. de reb. gestis Alphonsi.*

nim verò benignitas Principis, omnem acceptæ injuriæ memoriam ex animo delens, in celsissimum veræ gloriæ fastigium jure æquissimo ascensum facit. Hoc celebrem summis juxta, ac infimis reddit Monarcham, dum eum vident ultionis frena contrahere, ac de illis etiam perbene mereri, quos intemperantis linguæ protervia obnoxios reddit sanguinis & pœnarum. Optimum quippe, honestissimúmque vindictæ est genus, etiam apud Præsides regnorum, offensarum non meminisse, benevolentia complecti adversarios, muneribus ornare, colere, adamare.

TESTIMONIA VETERUM. Sed quid ego de his prolixius dissero? Libeat audire, quam præclarè, quàm heroicè sapientissimum Annæi dogma testimonio suo comprobarit, ad immortalem nominis sui famam, tot palmis tot victoriis, tot coronis clarus Julius Cæsar, orbis triumphator invictissimus, dum in victoriarum trophæum, illud, sibi solenne statuit, præscripsítque: *nihil Imperator faciat libentius, quàm ignoscere.* (i) Neque id duntaxat sensisse eruditissimam mentem Cæsaris arbitremini, sed in eandem iisse sententiam omnes veræ sapientiæ Proceres reputare. Pleni sunt omnes libri, plenæ sapientum voces, ut cum Tullio loquar, boni Principis esse ignoscere. Illum ego optimum, inquit haud discors ab Annæi mente Plinius: *illum ego optimum, emendatissimumque esse existimo, qui cæteris ità ignoscat, tanquam ipse quotidie peccet.* [k] Sed oggeret fortasse quispiam: hominis ingenium proclive naturâ suâ esse ad vindicandi studium, dulcéque esse par pari referre, talionémque reddere, quò doloris acerbitas ab offensa paulisper mitigetur, Verum hunc amentia laborare, aut saltem vero mentis lumine privatum nemo diffitebitur, qui non est nescius, inhumanum esse verbum ultionem. *Quippe minuti semper, & infirmi est animi, exiguique voluptas ultio*, canent Juvenali (l) *Pusilli, & miseri est hominis, repetere mordentem. Sæpe satius fuit dissimulare*

(i) *Plutar. in apopht.* (k) *in paneg.* (l) *Satyra 13.*

re, quam uscisei. [m] *Nimis multa enim audire coguntur, neque aliter possunt, quibus tota respublica est commissa*, ait vox Latii, echo universi. [n] Unde Tiberius nullam ex virtutibus suis majori amore sequebatur, quàm dissimulationem, referente Tacito, (o) non difformiter ad illud Quintiliani: *Princeps, qui vult omnia scire, habet multa ignoscere. Sæpe adeò vindicare injuriam non expedit, ut nè fateri quidem expediat. Vident Principes ea sæpius committi, quæ vindicantur. Ut arbores quædam recisæ pullulant; ita regia crudelitas auget inimicorum numerum tollendo.* (p) *Discant* proinde (parænesis est Romani Sapientis dogma suum stabilientis) *severitatem habere abditam, clementiam in procinctu, humanóque abstinere sanguine, quocunque regnant.* (q) Liceat hìc pro actuario attexere fusionem ejus cum vindictæ cupido dissertationem. *Illud ante omnia*, inquit ille, *cogita, fœdam, & execrabilem esse vim nocendi, & alienissimam homini, cujus beneficio etiam sæva mansuescunt. An nocere velint manus pedibus, manibus oculi? Ut omnia membra inter se consentiunt, quia singula servari totius interest: ita homines singulis parcent, quia ad cœlum geniti sumus. Salva autem societas, nisi amore, & custodia partium esse non potest.* [r] Et alio in loco, ità cum injuriarum vindice disceptat. *Quid juvat tamquam in æternum genitas iras indicere, Quid juvat dies, quos honestissimis studiis impendere licet, in dolorem alicujus, tormentumque transferre? Mors propius accedit, & propius. Istud tempus, quod aliena destinas morti, fortasse circa tuam est. Quin potiùs vitam brevem colligis, placidamque tibi, & cæteris præstas: Quin potius amabilem te, dum vivis, omnibus exhibes: desiderabilem, cùm excesseris, reddes.* (s) Sed ne naturali duntaxat rationis lumine præditum Annæum Senecam, in testimonii provinciam adducere videamur; non pigeat accipere illud, quod in Romanæ Ecclesiæ gremio enutritus litteris publicis consignavit Petrarcha, cum vindiciarum

(m) *Sen. lib. 2. de ira cap. 34.* (n) *Cic. pro Milone* (o) *lib. 4. annal.* (p) *lib. 8. instit. orat. c. 5.* (q) *lib. 1. de clement. c. 1.* (r) *lib. 2. de ira c. 24.* (s) *lib. 3. de ira c. ult.*

ciarum amatoribus ita differens. *Mea est ultio, & ego retribuam eis in tempore, dicit Dominus. Illud ergo tempus expecta. Sine, ille te vindicet, qui & offendentis est Dominus, & offensi. Nihil magis alio inimicitias, ac vindictæ animum, quam conditionis humanæ oblivio. Siquidem iste, cujus mortem sitis, ne dubita, moriturus haud dubiè est, & id ipsum, citò, fortasse hodie, tuque illum fortè quod non cogitas præcursurus. Expecta paululum, subsiste, fiet, quod fieri optas & quod metuis fiet. Mors quam hosti paras, sine tuo scelere illi parata est. Quid juvat fati cursum properantis impellere, & morituri sanguine morituras manus inficere Quantò tranquillius, atque honestius, ille integer, & illæsus tu siccus, & innocens, quam uterque cruentus, & tu noxius hinc abibis.* Hæc impensè litteratus Petrarcha. (t) Et alius quispiam sapientiæ Christianæ studiosus: *Dum quis tecum altercatur, si vis vincere, perde. Si vincis te ipsum, vincis omnes inimicos tuos.* Et haud ignobilis vates ità canit in rem præsentem.

Nobile vincendi studium patientia: vincit
Qui patitur: si vis vincere, disce pati.

Nobilissimum enim vindictæ genus est, patiendo superare.

EPILOGUS. Rectè proinde, ac sapienter ultionis œstro percitum, ac intemperie vindictæ agitatum, ad moderationis regulam, & amussim dirigit Magister morum Annæus Seneca, iterum iterumque reiterans gnomen suam: scito magnum, & honestum vindictæ genus, ignoscere. O quam è re, bonoque foret mortalium, si omnes omnium consequentium annorum respublicæ, earúmque moderatores, hoc salutare effatum memoriâ nunquam intermoriturâ complecterentur, & abolito penitus vindicandi desiderio, injurias sibi, rebúsque publicis illatas, nisi aliud ratio boni-communinis flagitet, venia, indulgentiáque sequerentur, ut nemo pereat, nisi quem perire juris ordine intersit, pœnæque mensura culpæ qualitatem non excedat. Quamobrem defervescat omnis præpostera, ac illegitima vindictæ cupidas, non tam offendenti, quàm in ultionem pleno impetu ruenti admodum noxia, & perniciosa. Fatui

 est, ho-

(t) *de remed. utriusq; Fort. lib. 1. dialog. 101.*

est hominisque à ratione longè alieni, dictatâ à furoribus lege, in acceptam ferri injuriam cæcâ ultione: multò verò acerbius sibimet ipsi nocumento esse, & per quæ vindictæ malum suscipit, per eadem noxam sibi inducere exitialem. Iniqua est proprio arbitratu injuriæ compensatio, legibus adversa, paci inimica. Barbarorum mos is est populorum, quos expertes humanitatis, proxima belluis vivendi ratio efferavit. Nolim Æsopicum illum serpentem moribus vestris exprimatis, qui cum vespam capiti suo insidentem, jugíque aculeo divexantem, alio non valeret pacto amoliri, caput rotæ per orbitam volutæ supposuit, inquiens: cum hoste meo moriar. Charior est vobis, ni mea me deludat opinio; salus vestra, nominisque fama ad seram ætatem transmittenda. Qua de causa agite, & emollito per virtutem animo, missâque vindiciarum cupiditate, memoriam quarumcunque offensarum obliterandam esse continuò scitote, si honoro nomini, salutíque vestræ consultum itis: Sumamus ultionem, at de nobis ipsis, de erratis nostris, quibus supremo omnium scelerum vindici obnoxii sumus, rationem non injuriæ nobis allatæ, sed iniquo, molestoque animo toleratæ, reddituri. Inimicitias jure optimo, easque acerbissimas geramus cum infestissimo generis nostri hoste, non cum membris eidem sacratissimo Capiti subjectis. Neque ideo nos generosiore animi fortitudine laudabilíque interdum itâ armavit DEUS, ut ferrum stimulante ultione in proximorum pectora violente adigamus, sed ut gladium spiritus in enecandam vitiorum Hydram per vim cum laude impellamus. Atque ità rectè, ordinéque debito eveniet, ut æqua judiciorum ratio suo perennet in vigore, concordia animorum stabiliatur, vitæ socialis gratia firmetur, abjectâque ultionis intemperantiâ, à belluarum conditione longè discreti, beatæ perennitatis, perennísque beatitudinis candidati evadamus.

***

C H R I A III.

Invia virtuti nulla est via.

Ovidius lib. 14. *Met.*

EXOR-DIUM. ETsi verear, nè quis me censura temeritatis afficiat, actionémque mihi intentet; dum Sulmonensem vatem laudibus celebrare constituo: etsi inquam, verear, ne scelus virtuti, crimen innocentiæ, obscenitatem pudicitiæ anteferre minùs scito sermone videar: eam tamen scitote animi mei esse sententiam, non homini vitiis depravato, ac infamium amorum lusori, sed ingenio in paucis clarissimo, nonnunquam virtutum lemmata effundenti, hodie patrocinari. O fecissent Superi, præcellentes illas naturæ dotes, humanos propè limites animi promptitudine transcendentes, ad virtutis studium integrè contulisset, næ aram, ac cultum sibi debitum, magnus ille [ut nonnemo eum compellat] Poëtarum Deus, apud universam posteritatem meritus fuisset. Miseret metui, quod non relictâ illicitorum amorum palæstra ad castra honestatis transitum feceris. Vicem tuam propè inter lacrymas doleo Vatum aquila; quòd à virtutis fastigio facili pennâ superando, longè devius, in fœdissimum vitiorum cœnum, voluptatis auceps, sis prolapsus, ex quo nunquam dabitur, æternaturo nominis tui opprobrio, eluctari. Non equidem apud nos in oblivionem unquam venies, neque memoriam ejus sepelire fas est, quem Ducem Poëtarum universi suspicimus, & consummatum Musarum alumnum, pro eo, ac par est, veneramur. Illud tamẽ fame, & honori tuo permultùm officere videtur, quod familiari tecum consuetudine nobis uti non liceat, nisi vel inter tristia, ac lugubria, aut extorre patria in Ponto commoranti. Nolim proinde hodie, ne jure objurgationem incurram, cœnum illud tuum in fulgorem obrizi attollere: nolim camarinam illam amorum, terram vitiorum mephitim redolentem commovere; ne labem ipse mihi, auribúsque

vestris aspergam; sed ea duntaxat, quæ de virtute degener illius hæres tradidit memoriæ posterorum, palam facere, unúmque unionem velut è luto erutum depromere, non auribus, sed cordibus inserendum. At quid tandem ab impuro ore emanavit: quid à sepia Cypridis obscenitate inquinata effluxit; quid à penna ab aligero amorum Deo mutuata, in erubescentem propè effudit tabulam; quod virtutem, quod probitatem morumque honestatem saperet, aut redoleret? Quæ ejus est de virtute mens, qui sensus, quod effatum? Nè vos hic importunè morari videar AA. unam duntaxat gnomen de virtute accipite, quam Poëtarum ille facilè Princeps publicæ luci vulgavit, ità canens; *invia virtuti nulla est via.*

EXPOSITIO. O versum, licet numero suo haud absolutum, è tripode tamen Delphico exemptum, atque ob virtutis commendationem, ab omnibus virtutum sectatoribus altissimè animo insculpendum! Quid enim ad propellendos in virtutis curriculo stadiodromos appositum magis, perspicuúmque dici potuit; quam eam esse in virtute virtutem, ut nullis repagulis, ac vestibus, nullo obice, remoris, nullis valeat destineri, quin ad votorum suorum scopum nullo negotio eluctetur? Nemo virtutem præpedire, nemo debellare, nemo ab instituto cursu potest remorari. Opponatur malorum omnium ilias; superabit. Exsurgant agglomerata calamitatum portenta, expugnabit. Cogantur in cuneum ærumnæ, & dolores; sustinebit. Acerventur in exitum morbi, & vulnera, pestes, & funera, probra, & convitia, fames, & rei domesticæ penuria, & quidquid in adversorum censum venire potest, invicto robore patietur universa. Pelliciant virtutem bonorum apparentium illecebræ; invitent decora gloriæ, objiciant se Cræsi copiæ: imperia deferantur, ac coronæ, exambiant verticem tiaræ? blandiantur voluptatum Sirenes, & quidquid ad delicias facit, faventior sors propinet; omnia glorioso pede proteret, humíque relinquens caduca, ad propositam sibi metam, immortalemque cæli gloriam evolabit. Quis unquam veræ virtuti derogare quicquam potuit in laude firmitudinis inconcussæ; quæ nullis adversitatibus fran-

frangitur, nullis prosperitatibus emollitur? Quis eam unquam stabili gradu constantiæ, perpetuaque vitæ ratione emovit; quæ perinde, ac rupes quædam maritima, sive iratum mare turgeat, sive malacia rideat, manet immobilis, nec furentibus cedens fluctibus, nec leniori fortunæ vilificans; sed suæ innixa soliditati, jugiter stat, ac perstat, & si fractus illabatur orbis, impavidam ferient ruinæ. Nec solum tenax suo hæret in proposito; sed ut omnem viam sibi probet, perviam, eo, quo instituit progredi tramite, nunquam non procedit, dum in suæ felicitatis termino conquiescat. Nulla regio est adeò infelix, quæ illam arceat, nulla orbis plaga adeò infesta, quæ deterreat, nullum regnum tam immane, & barbarum, quod avertat. Virtus urbes æquè ac vicos pervadit; fora perambulat, conscendit tribunalia, superat castella, lucos, ac saltus inhabitat, cauponas, & tabernas, ludos & spectacula innoxiè frequentat, ipsumque adeò campum Martium sanguinis sui non temerè prodiga, pro DEI ter optimi maximi gloria, patriæque incolumitate, omni misso timore secundissimè invadit. Nec sola unquam virtus iter arripit; sed dum anhelante gradu ad metam festinat, stipat latus ejus temperantia, erudit prudentia; justitia legibus informat, suffulcit robur fortitudinis, atque universus virtutum chorus ponè sequitur, ac comitatur. Hæc enim verò acuit, exstimulatque ad quæcumque demum obstacula viarum superanda, ad decumanas difficultatum procellas edomandas, ac labores quodvis imperterrito nisu exantlandos. Et tametsi quaquaversus impugnent vitiorum monstra, in exitium ejus armata, conjurata: licèt hinc inflata tumore obruat arrogantia, illinc mollibus armis impetat lascivia, inde fraudes, & insidiæ, timores, & furores, aggestumque vitiorum agmen virtutem aggrediatur, suo tamen impavida, inmotaque persistit in gradu, perruptaque omnium malorum acie, magnis passibus, eò quò ducit honestatis ratio, perfectionem facit immortali victoriæ lauro coronata. Ità nempe virtuti ad beatitatis suæ metam celeranti via nulla est invia, seu mari, seu terra, seu demum cum quacumque elementi furia sit ei luctandum, decertandum.

CAUSA. Præpotentes quippe, ac Herculeæ sunt virtutis germanæ vires, quibus freta oppositam sibi vitiorum molem, omnésque adversitatis machinas perfacili negotio subvertit, ac demolitur. Eo pollet animi, corporísque robore lacertosa virtus; ut sæpe citra pulverem, & sudorem acerbissimos cruciatus subeat; adversos casus moderatè accipiat, contra plagas obdurescat, ad dolores occallescat, & Spartana nobilitate omnes concoquat ærumnas. Nunquam ora rorantibus spargit lacrymis, nunquam tristitiâ obruitur, nunquam mœrore conficitur, semper exporrecta fronte hilaris, gaudioque animi affluens virtus. Non dolorem illa capit, ac luctum ex jactura fortunarum, non ægritudine dejicitur, non sannis, & opprobriis percellitur, non subterfugit dentes calumniarum, non ignobilitate vilescit, ipsa sibi clara, illustrísque prosapia, ipsa sibi felicitas, honor, quies, pax, gaudium; universa. Nulla virtuti licèt per asperâ quæque gradienti, via est invia, nulla non loco suum exercet dominatum. Illa tam domi, quam foris se, suosque alumnos moderatur. Illa non minùs novit in publico vitam agere, quam in abstruso. Illa tantùm in sago, quantùm in toga valet. Illi curia æquè ac templum opportuna. Illa perinde inter suos, ac alienigenas, inter hostes, ac familiares, bonos, ac pravos antiquum vivendi usum obtinet, nusquam terrarum, ac gentium à tramite rectè declinans. Ac ita omni solo ac patria utens, ad quamvis ætatem, sexum, conditionemque sese porrigit dictans ei lemmata, præscribens dogmata, vitæ cursum rectè, ad leges divinas juxta, humanáque exigendi. Tanta nimirum virtutis est potentia omnia permeantis, deque ipso universo gloriosè triumphantis. Et quamvis tota inferorum regia in ejus perniciem, ac interitum consurgat, omnes ei tamen virtus nervos incidet, & quò majores ei sese hostes objecerint; eò vires illius perficientur amplius, & indies magis magísque roborabitur.

CONTRARIUM: Verum ut virtutis faculas omnibus superior hostibus palàm orbi fiat amplius; enervem vitii languorem, ejusque in rebus agendis imbecillitatem tantisper mecum libeat contemplari. Quod si vestræ mentis oculi hoc fœdius ostentum non horrent intuere; spectabitis

illud

illud ignavia laborare, inertia torpere, in gloriæ facinoribus segnescere, & vel laboris umbra attonitum infirmari. Animus quippe molli, torpentique vitio deditus, ab exili calamitate expugnatur; sub ærumnis labascit, doloribus cedit, in egestate plangit, sub jugo servitutis ingemit, ad exilia animo deficit, & vel ad hirquum adversarii obtutum in lacrymas solvitur, & lamenta. Atque ut ab apparente malorum horrere immunem se reddat, ac liberum, consectatur falsorum bonorum illecebras, gloriæ exambit decus, opibus corrogandis ponit operam, aspirat ad tiaras, ad sceptra, ad coronas. Nec solùm molitur gressum ad honoris fastigia, sed & Sirenibus voluptatum abblanditur, & proculcato pulcherrimæ virtutis decore, ad castra sese transfert vitiorum. Nullæ occurrunt adversitates, quas non effugiat, nulli labores, quos non devitet; nullæ difficultates, quas non exhorreat; nullæ infestioris sortis procellæ, quas non pertimescat. Expallet ad pericula, percellitur ad opprobria, concutitur ad minas, ad ferrum, ad vulnera, ad conspectum sanguinis penè animam agit, nihilque dignum Cælo, dignum virtute, ac republica meditatur. At longè secus comparata est virtutis indoles, summo in discrimine interrita, calamitatibus inexpugnabilis, adversis invicta, malis infracta, ad labores impigra, ad casum fortunamque felix, omnium domitrix, universorum triumphatrix.

SIMILE. Quemadmodum enim ruenti ab alto fulmini nihil obsistit, quod non sternat, ac proterat; non ingentes rupium moles, quas non evincat; non turrita Regum palatia, quæ non disjiciat; non superbiæ ædium pinnæ, quas non concutiat; non validissima urbium mœnia, quæ non confringat; non porrecta in nubes castella, quæ non agat in ruinam: ità sanè virtutis invicto robori nihil adversatur; quo non excelsior, validior, ac gloriosior evadat. Citius torrenti magna vi aquarum furenti, ac obvia quæque prosternenti, remoram, ac præpedimenta objeceris; quam virtuti ad definitam votorum metam festinanti obicem opposueris, Citiùs conclusum terræ visceribus ignem, jam jamque erumpere properantem, superinjectis molibus

molibus, aut immissis fluminum furoribus edomueris, ac enecaris; quàm flammeum virtutis genium in pietatis opera flagrantem valeas sopire, aut præpedire. At pluribus parabolis rei veritatem liceat declarare. Et comprimis quidem ut fons, & caput lucis siderum ille moderator illustrissimus luminis claritatem jugiter servat integram, suoque in opere, ac cursu vi nulla inferiore potest remorari, licèt acervata nubium volumina eidem fulgorem, ac nitorem subtrahere adnitantur: haud secus virtutem nunquam non agnato sibi jubare resplendentem, cœptoque honestatis tramite procedentem, nec adversorum nimbi, nec calumniarum procellæ, neque opprobriorum nubes valent ab instituto suo retardare. Solem virtus præfert in scuto suo gentilitio, omnia tenebrosa hostilitatis nubila facili negotio dissipantem, profligantem. Nulla virtuti opponi valet infesta corrivalium machina, nulla à callidis artibus consarcinata fabrica; quæ aditum virtuti, quò quò libuerit, intercludat. Alipedem imitatur Pegasum velox in operibus suis virtus, eò confestim deferenda, quò placet, & quò licet. Nec eget calcari, & stimulis; sed suomet impetu ad metam perfectionis incredibili celeritate deportatur. Navim æmulatur, haud interpolatu cursu sulcantem maria, concitata virtus; quæ in procelloso mundi Oceano vela faciens, cælo licèt à fronte, & tergo calamitatibus fulminante, maríque adversitatum fluctibus tumescente, nunquam eodem consistit loco; sed rapidissimè per brevia, & syrtes viam accelerat, dum appellat ad portum quietis, ac optatæ felicitatis. Reginam denique volucrum imitatur aquilam altissima virtus, quæ non alieno, sed proprio alarum remigio, præpete inquam pennâ, & annisu laudabilium actionum, ad Solem Justitiæ inconnivis oculis spectandum evolat, nullo tempestatum turbine moras virtuti imponente. O virtutis decus admirabile! O potentiam nullis limitibus circumscriptam, cui nulla via est invia, nihilque adeò præcelsum, & arduum, quod non perruptis obicibus transcendat.

EXEMPLA. Sed nè ad stabiliendam hucusque dictorum veritatem exempla fortasse, veterúmque documenta

ta

ta desiderari possint : quem vestrum præterit, efficaci virtutis incitamento, haud paucos ad immortalem nominis sui famam grassatos fuisse ? An non in regio Vate ex ephebis vixdum excedente ursorum rabiem fregit, ac dilaniavit invicta virtus ? (a) An non gigantæam illam molem; turrìmque carneam, & verum illam Philisteorum Tiphoëum Goliathum, scelus, & ruinam Israëlis, electíque populi anhelantem, inaudito à sæculis certamine vicit, ac debellavit, magnanima virtus; [b] Quid in Patriarcha Josepho, adhucdum in florida ætate constituto, fratrum invidiam, & immanitatem, servitutis opprobrium, & id genus adversa, imperterrito animo valuit perferre, superare, tulit fortiter, superavit feliciter cum Josepho nata, & enutrita virtus. [c] Verùm quid duntaxat prisci temporis monumenta evolvimus; cum innunera se se offerant à reparata salute nostra incitatissimæ virtutis argumenta, ex quibus facili conjecturâ datur assequi, virtutem nullo non tempore regni fasces tenuisse. Vos appello purpureos fidei Christianæ Proceres, qui virtutis iter trivistis vestigio sanguinis consignatum. Vos appello palatinis in ædibus nutricatos Hermenegildos, Casimiros, Leopoldos, Castulos, qui protritis honorum insignibus, abjectísque voluptatum illecebris, ad sinum virtutis provolastis. Nolim hìc commemorare authoratos bello archistrategos Eustachios, Mauritios, Theodoros, Sebastianos, Georgios, qui in prava illa vitæ militaris licentia, adversus irruentes vitiorum exercitus fortissimè dimicarunt. Silentio hic prætereo imbellem alioquin sexum, Agnetes, Barbaras, Catharinas, quæ amore virtutis inflammatæ, pro tuenda corporis, animæque integritate, cum dispendio vitæ, & sanguinis acerrim contra delinimenta carnis decertârunt. Ità virtuti nulla via est invia, seu per lilieta virginum gradum feramus, seu per campum Martium procedamus, seu per Augustalia Regum iter faciamus, seu vestigia Martyrum premamus, ubivis trophæa virtutis legimus, ac spectamus. Et hæc Laconicâ brevitate è Divorum fastis. Quid verò Alcinoi, & Æsopi ludicra, commentáque veterum de virtutis prævogativa opinionis habuerint,

[a] 1. *Reg.* 17. [b.] *ibid.* (c.) *Gen.* 37

erint, percensere liceat? ut quanto fueritvirtus in pretio, etiam apud cassam vera virtute antiquitatem, ex dicendis perspicuè colligatur. At quid mytologia veterum de virtutis præstantia fabulatur? Comminiscitur ea Herculem forma corporis affectione, valentique lacerto præditum, & in ipso ætatis vere insignia virtutis specimina edisse. Forsan hinc virtutis, illinc voluptas constitutum in bivio fortissimum juvenem, ad castra sua mellitis verbis pelliciebant. Harum altera cultu molliore, impudentiore obuttu, at in Veneres explicato, fracto sermone, sed ambrosiam, Atticumque merum spirante, ad proximum invitat viridarium; ubi vernantes rident flores, argutæ concinunt volucres, frondibus luxuriant arbores, placidè labuntur amnes, nováque, ne multis immorer, Paradisiacæ voluptatis facies, nulli non sensui abblanditur. Altera cilio ingratam severitatem composito: oculis verecunda, fuci ignara, ad modestiæ leges conformata, gestúque omni corporis majestatem spirante, alia omnia luminibus Herculis exhibet pervidenda. Objiciuntur hic oculis vepreta, ac senticeta non citra cruorem calcanda? præsentantur colles, & calles decumano labore obeundi, salebræ transmittendæ, rupes superanda, aliaque difficultatum portenta obtruduntur, quæ innutritum deliciis animum nata sunt avertere, absterrere. Quid hic consilii cœpisse Herculem arbitramini? Cui demum nomen dare, atque authorari voluit; Ne vos diffuso verborum ambitu tædio afficere videar, aut fastidio, paucis comprehensa brevitate accipere. Repudiata ille, rejectáque malesuadæ voluptatis illecebra, virtuti robur, ac ætatis spatium addixit, sub ejusdem labaro stipendia deinceps facturus. Hac duce, & auspice, eo tandem pervenisse fertur, ubi eum honor, & gloria futurum orbis victorem, ac monstrorum domitorem salutaruut. [d] Quod olim de virtute commenta est fœcunda ingeniis Græcia? id ab acuta Italiæ musa, clariori fortè sub schemate, in virtutis commendationem, publicæ luci est fulgatum. Confinxit unus aliquis de illustriore censu Poëtarum, fortitudinis laude clarum Scipionem Æmilianum, sub arbore lauro, belli cogita-

[d] *Conatus lib. 2. narrat.*

cogitationibus diſtrictum conſidere. Accedunt fortè fortuná virtus, ac voluptas in ſui ſtudium, & amorem eum pertrahere ſatagantes. Ac primum hæc verba facit inſolens; & procax in ſermone voluptas. Te hìc ego Scipio admonitum velim, ut deſinas, ſi ſapis, cum periculis manus conſerere, & procellis adverſorum caput objectare. Ni fugis belli palæſtram, omni armorum genere perſtrepentem, jubebit te ſæva virtus per medios hoſtium cuneos volare, per ignes,& tela ruere, non citra apertum vitæ, fortunarúmque tuarum diſcrimen. Hæc progenitorem tuum, hæc patruum, hæc Paulos, & Decios in lugubria objecit funera, ſolo famæ buſtò, inaníque gloriæ titulo in cineribus relicto. Si me lubet comitari, non decurret duro, aſperoque tramite ætas temporis, à benigna Deorum clementia, indulta, conceſſáque. Non interrumpet unquam placidam quietem martialis tuba: non experiêre tuo damno ſævientem hyemis tempeſtatem, non urentem, furentémque per artus caniculam, non ſitim ardentem, non pulverum nubes, non timores, non labores irrito ſæpe eventu cadentes. Si mihi geris morem,omnes horæ tibi current ſerenæ, omnes dies candidi affluent,& ſenectam ſperare poteris gradu haud violento accedentem. Non te fugit, præpropero paſſu currere ætatis noſtræ ſpatia. Nemini datur bis naſci, Fugiunt horæ aureæ, quas ſi inter documanos labores patiaris tibi elabi, ſerò olim, aut opinione fortè citius ingemiſces. Hæc; aliàque inſidiosè proloquentem, excipit virtus apologetico virtutem addecente. O fœda voluptas, quantum animis ſemel illapſa detrimenti feras, vel inde conjicere ſatis, ſupérque licet. Tibi enim comes eſt fœcunda malorum genetrix, certáque juventæ pernicies, ac labes ebrietas, ac temulentia. Te conſectatur opum, ac virtutum depopulator luxus: circum te, tuoſque aſſeclas volitat infamia, æternaturo apud poſteros nominis tui, tuorúmque dehoneſtamento. Me ſequitur honor, & laus, me gloria, & decus, me victoria niveis alis inſectatur. Me lauri, ac triumphi efferunt ad ſidera, ad famam immortalem. Domum mihi præbent caſtra Martia; ſtant ædes in edito colle, ad quam gradu non niſi arduo datur aſcenſus. Equidem fateor, aſper, durúſque eſt in principio

C labor,

labor, quem validis meorum clientûm humeris impono: adnitendum, & desudandum est, dum eò appellas. Omnia contraria voluptati sunt exsorbenda. Patiêre insomnes noctes sub Jove frigido: sitis, ac fames edomanda: ardua capessere præcepta necesse erit, quæ suo tibi jure Martis leges præscribent. Cum patriæ te poscent pericula, campum subibis Martium: primus in bellorum arenam descendes; primus in arma irrues, primus hostilia mœnia conscendes, nec auro vincendus, debellandus. Sic ubi superatis omnibus in ardua virtutis conscenderis, cernes ab alto infra te positum omne hominum genus, testes factorum tuorum habebis Divos, non tam spectatores, quam facinorum tuorum eximios præcones. Hæc sine verborum phaleris, exosa fucum, ac calamistrum magnanima virtus. Arrisit herois animo virtutis oratio, ac sequela, non ignaro, virtutem non nisi per ardua ad honoris fastigia gradi, & triumphos.

TESTIMONIA. At ne hujus veritatis luculentissimos testes silentio prætermittamus, nonnullos in medium producamus, quos naturale duntaxat rationis lumen illustravit, dictavítque, quid de virtutis indole, ac naturâ sit sentiendum. Ac comprimis quidem Publii Ovidii tesseræ suffragatur. Quint. Curtius, rerum gestarum M. Alexandri scriptor percelebris, ita de virtute disserens: *nihil est*, inquit, *tam arduum, quo virtus non possit eniti.* (e) *Longa est* equidem *& ardua ad ipsam via, & aspera primùm*, teste Hesiodo eruditione clarissimo, *at postquam ad summum perventum fuerit, facilis deinde est difficilis quamvis fuerit, cujus apprehensa in sublimi laureo, veræ felicitatis, honorumque omnium copia coronamur, & ditamur.* (f) Id ipsum acutissimâ ingenii acie instructus pervidit Seneca hoc in virtutis encomium, scripto relinquens: *quis dubitet, quin in virtute divitiæ positæ sint, quoniam nulla possessio, nulla vis auri, & argenti pluris, quàm virtus æstimanda.* (g) Quid quod non claudo pede Claudianus canit:

Ipsa sibi pretium virtus est, solaque latè.
Fortunæ secura nitet. nec fascibus ullis.

Eri-

[e] *lib.* 7. (f) *de oper. & dieb.* (g) *epist.* 14.

Erigitur, plausuque petit clarescere vulgi.
Nil opis externæ cupiens nil indiga laudis,
Divitiis animosa suis, immotáque cunctis
Casibus, ex alta mortalia despicit arce. (h)

Ab hujus mente non abludit Poëta Cordubensis ita canens ;
Serpens, sitis ardor, arenæ
Dulcia virtuti Gaudet patientia duris. Lucanus (i) Huic numero suo non incongruè assonat Romanæ fidicen lyræ
Duris ut ilex tonsa bipennibus.
Nigræ feracis frondis in algido,
Per damna, per cædes ab ipso
Ducit opes, animumque fero [k]

Horum veritatem Apollinis oraculo verius explanat, ac stabilit nectare, & ambrosia fluens Ambrosius. *Manet*, inquit dulcis orator, *inter adversa, & delectabilia virtus perfectà neque adversa de perfectione ejus quidquam minuunt, nec delectabilia adjungunt perfectioni. Perfecti enim viri est, communitatem naturæ sustentare animi virtute, & ad meliora adducere: nec succumbere illis, quæ plerisque terribilia, & formidabilia videntur, sed quasi fortem militem gravissimerum casuum sustinere in ursum, conflictus subire, & quasi providum gubernatorem, navem in tempestate regere, atque occurrendo insurgentibus fluctibus, magis vitare naufragium sulcando undas, quàm declinando.* Hæc divinus in dicendo Ambrosius, (l) Et ante illum non una retrò lapsâ ætate acerrimus virtutis propugnator Seneca, ita in ejus præconium excurrit. *Dignum Deo spectaculum vir fortis cum mala fortuna compositus. Virtus enim in afflictione clarior, Nam ut stellæ in nocte lucent, in die latent, sic vera virtus, quæ sæpe in prosperis non apparet, eminet in adversis. Quis Herculis virtutes nosset, nisi eas casus ardui detexissent?* (m) Unde Romanæ linguæ parens hæc de eodem ; *virtus tot malis exercita, Herculem astris inseruit Abiit ad Deos, eò nunquam abiturus, nisi cùm inter homines erat, eam sibi viam stravisset fortiter faciendo.* (n)

EPILOGUS. Cum igitur virtus ad immortalem nominis

(h) *in Theod.* (i) *Pharsalia lib.* 9. (k) *car. lib.* 4. *oda* 4. [l] *in hexam. lib.* 3. (m) *epist.* 107 (n) *pro Sest.*

minis gloriam, atque immarcescibilem, æternúmque virentem cælorum coronam tritum, expeditúmque sternat callem, nulláque sit ad eam capescendam via invia, nihil nos, ut opinior, remorabitur in ejus assecutione, modò eam, quam virtutis ratio exigit solertiam impendamus. Non equidem diffiteri ausim terendum esse callem duriorem, viamque aperiri spinis obsitam, cautibus asperam, & compluribus adversariis infessam, sed virili robore, infractáque cum laude pertinacia, nulli non, modò animo non cadat, pervincendam. Invia virtuti nulla est via. Et quanquàm plena sit laboris, atque impedita, exantlatis tandem evictísque difficultatum molibus, immenso gloriæ pondere, præmioque nunquam intermoriturae felicitatis terminatur. Quare agite AA. & vinculis rerum caducarum, si etiamnum illis irretiti estis, vos continuò exuite, sarcinas pravarum consuetudinum confestim excutite, omníque pondere terreno quantocyùs vos expedite, & arduum, difficilémque opinione vestrâ tramitem virtutis, perlevem, facilémque in progressu sentietis. De quo ne ambiguitati locus relinquatur: en ipsa vobis obvia sit virtus, in amplexum vestrum castissimo basio irruitura. Non distineat vos fucata oris venustas, fallaxque gratia, quæ aut levi febriculâ aut gravioris ætatis accessu expugnata transit in marcorem. Longè dignior est amore vestro, miros sui amores provocans, decor, ac pulchritudo virtutis. Ne patiamini vos præpediri à cœpto virtutis cursu fulvâ aliquâ terræ scoriâ, amplissimâ vitiorum materie, omniúmque malorum irritamento. Lauta patrimonia, ac gazæ, spolia sunt, & munera fortunæ, facilè in alienas manus transferenda. Sola virtus veris, tutísque affluit opibus, quâ præditi, in censum accedunt eorum, qui res fructuosas possident, ac sempiternas. Omnia enim ei adveniunt bona, qui opulentia virtutis potest gloriari. Non denique currentibus ad metam virtutis moram injiciat splendor inanis gloriæ, non aura popularis, non magistratuum fasces, non regnorum insignia, & quidquid demum aliud in putatitiæ felicitatis ordine collocatur. Bullæ sunt hæc omnia, apinæ, crepundia, affaniæ, & propè nihilum in comparatione bono-

rum

rum emanantium à virtute. Hæc enim verò omnium bonorum fons eſt, & perennis ſcaturigo, veræ, abſolutæque felicitatis unica origo, beatitudinis mater, theſaurus honeſtatis ac honoris inexhauſtus. Quamobrem id unum ſpectent cogitaciones veſtræ, eò omni contentione mentis adnitamini, ut caducis omnibus longè à tergo relictis, protritiſque generoſo calce lubricis fortunæ bonis, æternæ ſalutis conſequendæ gratiâ, ad metam virtutis, ac felicitatis jugiter perennaturæ ſine mora contendatis.

CHRIA IV.

Frugalitas virtutum genitrix, *Juſtinus hiſtor*; 24. *c.* 4.

EXORDIUM. FÆcunda ſemper ingeniorum mater natura, nunquam non ſingulari præditos ingenio viros in lucem dedit, & velut ex eruditionis officina tranſmiſit orbi, qui vel ad Regum, Principúmve conſilia, vel ad rerum publicarum incrementa, vel ad humanæ ſocietatis utilitatem facerent, eáque literi conſignarent, quæ non tam eſſent poſterorum admirationi, quam ad vitæ rectè inſtituendæ normam deſervirent. In horum ſyllabum erudito accedit calamo Juſtinus, clariſſimus rerum & geſtarum ſcriptor: quæ eâ exaravit ſolertiâ, ea ſententiarum ornavit elegantia, ea verborum illuſtravit luce, ut à ſummis quibuſque non vulgantia laudum præconia reportarit. Cujus dignos immortalitate commentarios qui manibus evolvit, oculis ſubjicit, ac gnaviter perluſtrat, intentoque in altiorem eorum cognitionem deſcendit animo, an non virum omni literarum laude celebrandum, & ſempiterna dignum commendatione ingenium verè poſſit, ac debeat admirari? Quid enim eſt, quod non altiſſima digreſſit prudentia, ſumma excuſſit aſſiduitate, doctaque protulit gravitate? Hujus ſi ego, ſerpente etiamnum eloquentia mea: prægnantes verò ſenſus in medium adferre vellem, omnia-

que, ut par foret, pertractare animo constituerem, næ me dies deficeret, & prius ad noctis concubium inclinaret sermocinatio mea; quàm vel partem aliquam innumeræ eruditionis verborum ambitu complecti daretur. Et quis tantæ sapientiæ argumenta aptis illigare numeris, latiníque sermonis nitore apposité satis illustrare valeat? Nolim proinde hodie AA. ne censoriam incurrere notam videar, per altiora sapientiæ lemmata, intelligentiæ meæ vim transcendentia, differendo volare, ne verus, ridente mundo, evadam Icarus si eò eniti velle videar, quò ingenia sapientiæ alis instructa, vix ac nè vix quidem possunt evolare. Quare unicam duntaxat mihi liceat ex perdocta illa multiplicis eruditionis serie, rimari sententiam, quam virorum facile doctissimis ad instituendos rectè hominum mores communicavit posteris, inquiens: frugalitas virtutum est genitrix.

EXPOSITIO. O sententiam ipsius veritatis ore dignissimam! O verba in cælo nata! An quidquam clarius, integrius, sapientius, & ad leges virtutis conformius dictare potuit alumnus ipsius Palladis Justinus? Quid enim? an non Sole ipso illustrior veritas elucescit, frugalitatem virtutum omnium germanam esse parentem, & altricem? Compertum enim verò, exploratúmque habuit virorum eruditissimus, hanc patulam esse januam ad vitæ perfectioris gradum, hanc munimentum esse pudicitiæ, fortitudinis columen prudentiæ, ac sapientiæ magistram, incorruptam juris, & æquitatis arbitram, omnisque honestatis basim, ac fundamentum. Ecquis jam adeò lito sit ingenio, qui in hac solida frugalitatis basi, nulli ruinæ obnoxia fabricam architectari renuat perennaturæ felicitatis? Quis juris, ac æqui observantior, hanc arbitram nolit mentis suæ tribunali præsidere? Quæ adeò extremi ingenii est vappa, nullíusque pecus consilii, quod hanc magistram, leges prudentiæ, ac sapientiæ præscribentem, in minimis habeat, & ceu in gloriam à se repudiet? Quis adeò crasso sub aëre natus est? qui posthabito veræ fortitudinis robore, imbecillitatem vitii assumere non perhorrescat? Quis diruto hoc validissimo pudicitiæ castro, ad mollia libidinis castra, discinctus nepos transitum facere non pertimescit? Quis demum obsera-

obſeratis virtutum poſtibus, recludere ſibi oſtium deligat, ex quo malorum omnium portenta in haud dubium ſalutis diſcrimen erumpant? Quare ſi aliqua tibi ſapientiæ lux ob-oritur frugalitatem amplectere, & ent tibi virtus atrienſis, reſeratura januam ad veræ gloriæ poſſeſſionem. Frugalitas ſit tibi in deliciis, & continentiæ laude celebraberis. Frugalitatis eſto ſtudioſus, & præmio fortitudinis donabere. Frugalitati gnavam da operam, & omnibus veræ ſapientiæ dotibus cumulaberis. Frugalitatem ſummâ tibi neceſſitudine adjunge, & æquus arbiter ſumma religione momenta rerum ponderabis. Nihil tibi ſit frugalitate antiquius, & recto honeſtatis tramite ad omnigenæ virtutis decus inoffenſo gradu facies acceſſum.

CAUSA, Neque hoc duntaxat virtutum decore, ac ornamento gaudet frugalitas, ſed omnium bonorum cornucopiam ad ſui cultores devehit, nullámque non parit ſectatoribus ſuis, animi, corporíſque utilitatem. Hæc enim integritatem, ac vigorem ſervat artuum, formæ gratiam venuſtat, non interruptam corpori præſtat valetudinem, ac firmitatem, arcet morborum ſeminarium, procurat longævitatem, viaticum præbet ſenectuti, & floridam jugiter reddit ætatem, vitæ ſpatium ad ſæcula etiam prærogando. Quod verò meliorem partem hominis attinet, ingenii lumen amplius ſerenat, judicii limam exacuit, memoriæ nervos confirmat, animi pacem, tranquillitatem cuſtodit, bellàque ſedat inteſtina. Ut taceam, quòd minùs vitiorum imperio ſubjectos reddat mortales, ſed domet, frangátque ſuperbiam, elidat invidiam, refrenet iram, præcidat caſtrimargiam, ſolíque virtuti ſecuram præſtet in anima incolatum. Utque alia, maximéque ſingularia ex frugalitate emolumenta prætercam, hæc una animum ritè apparat in ſublimiora de rebus ſenſui abſtruſis lumina, ac diviniſſimi Spiritûs chariſmata cum ſalutis haud ambigua ſpe, firmiter, tenacitérque recipienda. Tanta nimirum eſt efficacitas frugalitatis, tanta optimæ genitricis progenies virtutum.

CONTRARIUM. Sed libeat jam in parentem vitiorum omnium, debitam ingluviei intemperantiam tantiſper

mentis figere obtutum. Hem? quam blandè se se insinuat mortalibus, sed ut trucidet: quàm dulciter in sensus illabitur, sed ut stupore eos obtundat: quam festivè invitat ad hilaria, ad structas opiparè epulas, ad immanes cyathos; sed ut animæ, corporisque salutem in exitium mergat sempiternum. O malè nata pestis. O vitiorum omnium scatebra, ex qua in humanum genus plenis alveis mala profluunt universa. An non tu vilissimum abdominis es mancipium, criminum omnium, & flagitiorum parens, irreparabilis Christianæ libertatis jactura, perditissimæ vitæ exordium, & epilogus, scelus ipsum horridum, execrabile, detestandum? Tu, tu es illa verecundiæ virginalis injuria ineluctabile castitatis naufragium, scurrilitatis, ac deviæ operationis à lege majistra, honestarum actionum profligatrix, omnis denique mali caput, & origo. Quid illustre illud humanæ intelligentiæ lumen, ac derivatum à fonte luminis æterni radium summa cum ignominia præstinguit? præstinguit ingluvies. Quid subtilissimam ingenii aciem hebetat, ac obtundit? hebetat, ac obtundit ingluvies. Quid clarissimum animi consilium, caligine, ac Cimmeriis involvit tenebris? involvit terra ingluvies. Quid memoriæ enervat vires, enervat ingluvies. Quid corporis infringit robur, longævitatem minuit, salutémque eripit? eripit minuit, infringit exturbanda, eliminanda ex urbibus, & Provinciis fœda, noxiáque ingluvies. Quis hic, amabo AA. pestes, morbosque omnes, ac singulos enumerando percensere valeat, quos in humanum genus hæc plenum perniciei virium importat? Hæc enim vero virtutem naturæ elidit, bonam corporis habitudinem sauciat, inducit capiti vertiginem, oculis caliginem, ori graveolentiam, stomacho cruditatem, iliis corruptionem. Hæc vitiat humores, corrumpit sanguinem, succendit choleram, febriles causat ardores, ac sæpenumero è vivis exturbat, ac helluones abdomini servientes præcipites agit in stagna, & sulphureas paludes inferiorum. Et tamen [pro DEUM immortalem, apud ævi nostri Apicios, & Lucullos, ventrésque collatinos dapsilla instruuntur symposita, longo ordine ritu aciei ponuntur fercula, indies genialiter estur, & potatur, farciuntur

tur convivæ, ad ambas usque aures se se ingurgitant, nihil negatur gulæ, propéque glutones eduliorum abundantia rumpuntur. Neque hic vina primæ notæ deficiunt; immania eunt in orbem carchesia, fæcundi circumferuntur cyathi, largissimè se se invitant, dicere decuit, oppugnant poculis, ingentes exsiccant calices, amystin sæpe sæpius ducunt, & dies, noctesque mero frangunt eò usque, dum mens, ratio, consilium & quidquid est humani penitus mergatur, fædéque obruatur. Exinde famis combibonum turba de gradu dignitatis humanæ dejecta, omnia agit à sana mente, homineque rationis compote aliena. Videte enim AA. Ni vos fastidium aspiciendi habeat, ut lubricus est incessus, ut pedes titubent, ac vacillent, viníque pondere caput prægravente, in officio gressus nequeat retineri, Videte, ut totum corpus Attonitum, & ruinosum animi domicilium horret? ut incerta verba sui impos cum teterrima crapula eructet: ut circumsepta spumis diffluant ora; ut genæ pallore suffundantur, oculi caligent, pectus langueat, totáque corporis symmetria fædum in modum resolvatur. Hæc inter sepulta ratio, in fumosis meri vaporibus, nullum retinet usum, vigil licèt horridis imaginibus deluditur, sinè hoste in terrores agitur, sinè mari volvitur in fluctibus, & procellis, sinè febri omnibus tremit artubus, aliáq; stipes agit animatus, quæ, nè honestis auribus sint offendiculo, lubens, volensque prætermitto. O rem non modò visu fædam, sed & auditu injucundam! Quid hac deturpata hominis imagine, quid hac amica luto sue, quid hac obscenitate tetius fingi potest, aut excogitari? Et hos ego bibones hos gulones in censum hominem referam? hos usu rationis præditos existimem, qui se ad brutorum, aut si quid pejus est, ordinem abjiciunt? Palmari sanè errore lauderet, honorum eis nomen, ac decus hominis tribuendo.

SIMILE. Verùm quid his diutius immoror, ad luculentas jubet ratio temporis gradum facere similitudines, rerum veritatem perspicuè declarantes. Ac primùm quidem lumina in terræ faciem defigamus. Quemadmodum enim fœcundissima illa frugum parens, matérque alias rerum omnium, ubi eluvione, ac aquâ reside multo tempore

restagnârit; insitum sibi à naturâ deperdit colorem, ac vires; nec ad opus, nec ad rerum productionem apposita, haud secus cibi, potúsque redundantia consarti ventres, in mollitiem diffluunt, robúrque animi, atque corporis amittentes, minus idonei redduntur muneri hominem addecenti solam duntaxat exhalantes crapulam, luteásque impuritates. Et velut concitati ventorum turbines per aëra grassantes, susque déque miscent omnia, & à statione sua movent elementa: haud aliter congesta plus æquo in omasum edulia, & tempestas comessationis, in humano corpore turbat, confunditque universa. Accedit huic veritati amplius elucidandæ navis oneraria, copiosiore mercium onere aggravata; quàm ubi turbulentæ maris procellæ in alto sævius jactârint, cùm omni rerum apparatu aquis hauritur, nunquam porrò caput elatura. Non absimili modo corpus humanum cibatu nimio, meròque supereffluente oppressum, naufragium vitæ facit, & animam ad rationis clavum sedere solitam, in profundissimos gehennæ vortices agit præcipitem, nunquam eluctaturam ampliùs ad portum beatæ perennitatis.

EXEMPLA. Non desunt hucusque dictorum exempla sane clarissima, quibus pleno in veritatis meridie palam fiat, quæ, quantàque mala attulerit summis etiam mundi Principibus abdomini natis gastrimargia, & polyphagia. Hæc Domitianum Imperatorem, sub ipsam cænam immodicè sumptam, ad barathrum misit inferorum. [a] Hæc Joviniano Cæsari mentem, ac vitam abstulit [b] Hæc Valentianos, Lysimachos, Childericos; sexcentósque alios, terræ, marísque Dominos internecioni dedit. Hæc denique victûs ratio dissoluta, Zenonem Orientis Imperatorem vivum tumulavit. Cùm enim adeò indies vino se sepeliret? ut à mortuo nihil differret? Ariadna jam perosa patianarium Principem, viníque gurgitem, jussit eum deferri in conditorium Cæsarium, obvolutoque ad ostium saxo includi, nunquam ad domum augustam rediturum, [c] Utque plures ejuscemodi magnos catilones, & asotos memoremus,

[a] *Sueton in Domit.* [b] *Niceph. lib. 10. c. 43.* [c] *Zonoras tom. 3. annal.*

remus, neminem, ut opinor, vestrum fugit, tempestas, ac barathrum marcelli, Rex Assyriorum Sardanapalus, cujus cenotaphium fuit: ede, bibe, lude. [d] Quid aliud, inquit hic nonnemo sapientûm, in bovis, non in Regis sepulchro inscriberes; Hæc habere se mortuum dicit, quæ ne vivus quidem diutius habebat, quàm fruebatur. Nè verò fatum illius illustrissimum fuisse posteritas denegare posset, conscensa cum vario luxus instrumento pyra, inter prostibula sua conflagravit, forte siccaturus noxios humores, quibus, dum lucis usurâ fruebatur, jugiter immaduit. Quem fugit vestrûm Alexander ille Macedo; qui, ut verbis utar Romani Sapientis, tot itinera, tot prælia, tot hyemes, victâ temporum, locorúmque difficultate transierat, quem tot flumina ex ignoto cadentia, tot maria tutum dimiserant, quem, inquam fugit, intemperantia bibendi, & illo Herculaneo, ac fatali scypho, Babylone sibi tumulum aperuisse, [e] Quis demum ignorat Paccuvium Tiberii Cæsaris in Syria rerum maximarum curatorem, qui vino, & aliis funereis epulis indies se se ità sepeliebat, quasi parentaret, sícque in conclave ferebatur à cæna, ut inter plausus, hoc ad symphoniam caneretur vixit, vixit: cum nullo non die se efferret. [f] Sed quid in veterum duntaxat ruderibus eruendis desudamus; cùm natum domi exemplum habeamus, non genti, at sibi ipsi dedecorosum. Est[ ]is fœdum ingluviei paradigma Wenceslaus piger, degener magni Patris Caroli IV. filius suis moribus depravatus. Hunc velut iners ventris mancipium, Imperii Romani Septem viri honore, & insigniis Cæsaris exuerunt, suffecto in ejus locum Ruperto Bojo, virtute eidem suffragante. Vix pomum Imperii capessivit Rupertus; omnes Teutonicæ urbes fidei Sacramentum augusto Capiti dixêre, unam si excipias Norinbergam, à fide Czechiæ Principi data non desciscentem. Hæc urbium clarissima, cum hinc juris jurandi religionem vereretur; inde vim Bojam, aliorumque Germaniæ Principum pertimesceret, ablegatos ad Wenceslaum adornat, qui se fide data solvi peterent, ac si necesse foret, auri vicena

[d] *Plut. orat. 2. de Alexand. fortid.* [e] *Plut. in Alex.* [f] *Plin.*

na millia nummum in eam rem offerrent. Quid hic caduceatori reposuisse marcentem otio Regem opinamini, Ne vos multis distineam: liberos esse jubet urbis præfatæ cives, si plaustra quaterna traderent onusta vino Baccharacensi, quod primæ inter Rhenana notæ esse perhibetur. [g] O Bacchithyrso aptior, quam sceptro Princeps helluo, Hunc genio, ac ingenio proximè assequitur Suitrigalus Dux Lituanorum, nunquam peregre proficiscens, quin ex obsonatore percontaretur, an librum, quem de arte coquinaria edi fecerat, secum deferret. Cæna ejus in sex horas, & quod excedit, protrahebatur, ferculáque non minùs tricena supra centum numerabat. [h] Nolim hìc referre immanes vini cyathos, quibus creberrimè epotis, fædè deponebatur. O Ducem non populorum, sed gulonum, Heliogabalis, Vitelliis, Apiciis jure accensendum, Aliam vivendi rationem inivit Justinianus Imperator, qui teste actorum ejus scriptore, frugalitati perquam debitus, vitam egisse fertur, nedum orbis Principi alienam, sed ne privato quidem homini congruentem. Et quamvis appetentior esset cibi Justinianus, vinum tamen, ac panem, & alia id genus edulia ab augusto sigmate arceri jussit, brassica duntaxat, & agrestibus herbis sale, atque aceto victis, nec non frigida moderandæ siti, faméque apportuna affatim contentus, Neque his ad edomandum stomachi latratum, frangendamque esuriem utebatur, sed paulisper delibatis, illico valefecit. [i] Nulla unquam lauta gulæ irritamenta admisit mensas Sybariticas, Persicas, aut Syracusanas jugiter exosus. Nemo, in principe licèt quadra, unquam conspexit aut conchilia, aut rhombos, aliáque scitamenta. Non hìc visebantur Scarorum jecinora, Phasidum cerebella, linguæ Phœnicopterum, lactes Murenarum, atque aliæ ejusmodi ciborum cupediæ, quibus inhiant Charybdes, & voragines epularum. Sola hìc frugalitas, & persimonia mensæ assidebat. Ab hac regiarum virtutum genetrice pluribus commendat Cæsarem Plutarchus, Theodosium Latinus Pacatus, Trojanum Plinius, aliique alios,

[g) *Æneas Syl. lib.* 12. *Boemiæ.* [h] *Sylv. lib.* 2. *Com. in Panormit.* [i] *Pracop. lib.* 1. *de ædific. Justinian. Imp. apud Baron. tom.* 1. *ann.* 30.

alios, quos, nè æquo sim longior, velariis silentii involvo.

TESTIMONIA. Sed ut testibus in rem præsentem agamus, aperrime cum D. Severino Boëthio persuasum habeamus, *naturam paucis, miminisque contentam esse, cujus satietatem si superfluis velis onerare, aut injucundum, quod infuderis, fiet, aut noxium.* [k] Huic accinit metro probè tornato Lucanus:

O prodiga rerum
Luxuries, nunquam parvo contenta paratu.
Et quæsitorum terrâ, pelagoque ciborum.
Ambitiosa fames? O lautæ gloria mensæ,
Discite, quàm parvo liceat producere vitam.
Et quantum natura petat. [l]

Et verò, *quàm turpe est, plùs cibi ingerere, quam capiat venter, & stomachi sui non nesse mensuram,* inquit Romanus Sapiens. [m] Ne dicam *quam indecorum sit, cibo gravatum instar vulturus sedere pleno ventre*, ut ait Panyas apud Stobæum. [n] Hoc dico cum Plinio naturæ oculo: *minùs solertes esse, quibus obesissimus est venter*, [o] *Maiore* enim *corporis sarcina animus eliditur, & minùs agilis est* è mente Senecæ [p] *Voragines verò, ac gurgites rectè appelles, qui ita præter debitum ventrem opplent*, inquit Philosophus in Ethicis. [q] Quorum in censu Philoxenus fuit obsoniorum gurges, qui collum longius ipsis gruibus sibi exoptârat, quò diutius voluptatem à cibo persentisceret. [r.] *Heu prodigia ventris*, exclamat Plinius. [s] *O infelices*, ut morum magister ingemiscit Seneca, *ecquid intelligitis, vos majorem famem habere, quam ventrem, Corpora in sagina, animi in macie, & veterno sunt.* [t] Loquatur super hoc pluribus idem Romæ oraculum: *multos morbos*, inquit, *multa fercula fecerint, adversus quos medicina se armare cæpit multis generibus. Isti mihi defunctorum loco sunt. Quantùm enim à funere absunt, qui ad faces, & cereos vivunt, Et licèt in vino*

[k] *lib. de scholast. discipl.* [l.] *Pharsal. lib.* 4. [m) *epist.* 93. [n] *serm.* 16. [o] *lib. histor. natur.* [p] *epist.* 15. [q] *lib.* 3. *Ethic. c.* 1. [r.] *idem ibid. c.* 10. [s] *lib.* 11. *hist. nat.* [t.] *in epist.*

vino, unguentòque tenebras suas exigant, licet epulis, & in multa quidem fercula distinctis, *totum perversæ vigiliæ tempus deducant, non conviviantur, sed justa sibi faciunt.* [u] *Hos æterna fames persequitur cibos, hos æterna sitis.* [x] Quid quod hac noxia ventris ingluvie, ex ejusdem sano sensu, *Imperia haud pauca acciderunt, & quidquid virtute erat partum, intemperantiâ corrunt* [y] *Quid ego his vitiis fædius existimem* inquit Valerius Max. *quid etiam damnosius, quibus virtus atteritur, victoriæ languescunt sopita gloria in infamiam vertitur, animæque pariter, & corporis vires expugnantur.* [z] At verò *frugalitas senectutem producit* teste Seneca, [aa] *auget animi magnitudinem* afferente Platone, [bb] *consiliorum prudentium est magistra* Sophocli, *tres virtutes, Fortitudinem, Justitiam, Prudentiam frugalitas complectitur* è mente Tullii, [cc] *omniumque virtutum est mater*, ut clarissimum lumen Africæ probat Augustinus, [dd]

EPILOGUS. Bene igitur, ac sapienter pro frugalitate pronuntiavit Justinus annalium scriptor ; dignus cujus nomini perennius ære monumentum exstruat posteritas, atque ex ejus erudito dogmate, operam deinceps ponat indispiscendæ frugalitati, virtutum omnium genitrici. Hanc qui toto animo, affectúque combibit, novit modum ac decempedam cupiditatum, ac cupitorum. Hæc rectæ associata rationi, definit ad amussim, non quantùm velis, sed quantum cibi, potúsque sumere sit necesse, ad arctam vitæ periodum cum laude terminandam. Natura non cupediis, & saliari turbâ ferculorum ventrem farciri desiderat, sed parvo expleri, cùm & parvo bene vivatur. Ad manum est, quod satis est. Edendum, & bibendum est ; ut vitæ spatia ad DEI laudem prorogemus, non verò in voluptatibus debacchemur. Panis cibarius ; & ex profluente aqua longævitati deserviunt. Non est equidem res jucunda panis atri frustum, & aqua putealis ; sed summa voluptas est, posse capere etiam ex his voluptatem. Sic perbene vi-

[u] *in epist.* [x] *in Thyest* [y] *in epist.* [z] *lib.* 6. [aa] *epist.* 59. [bb] *in Charm. apud Stob.* [cc] 5. *Tuscul. q.* [dd] *de vita beat.*

ne victitatur, ut vix vetustas sentiatur. Ubi parsimonia hospitatur, senium commoratur. Unde satagat virtutis sectator, ut ab arbitrio rationis, & frugalitatis venter bene moratus nunquam non pendeat, abdominíque, animam, & corpus aggravanti, valefaciens, expeditius suscipiat iter ad virtutes; quarum mater est frugalitas, fidaque educatrix.

CHRIA V.

Tristitia animarum est crudele tormentum, non solùm carnem, sed & animam ipsam perimens. *D. Chrysost. epist. 7. ad Olimpiam.*

EXORDIUM. PEriclem ego hodie tonantem, aut Demosthenеam facundiam linguæ meæ insidere cuperem, aut saltem unum aliquem clarum de rostris oratorem vices meas assumere exoptarem, qui celeberrimum illum sacrosanctæ Ecclesiæ Doctorem virtutis juxtà, ac sapientiæ laude florentem, pro ratione meriti, digna panegyri exornaret. Quid enim ego nanus oratorum, ad giganteam illam eloquentiæ magnitudinem tanti Oratoris; Quid literarum penè omnium expers, ad perfectissimam illam omnium liberalium artium cognitionem? Quid animus nulla scientiarum culturâ expolitus, ad eximium illud consummatæ eruditionis decus pro majestate celebrandum depromere valeat; quod vel minimæ parti sapientiæ verbis exæquandæ conducere possit? Is enim fuit Orator ille aureus, ut unus omnia per omnes diffusa eloquentiæ magistros ornamenta sit complexus, omnes ingeniorum divitias omnes Rhetorum colores? omnem sermonis gratiam, ac lepores, in se velut in nuce Iliadem concluserit. Quod si verò omnium propè virtutum amplitudine insignem? vivámque eorum ideam Chrysostomum quisquam penicillo ora-

oratorio adumbrare niteretur : DEUM bonum, quam vastum, immensumque propè tranaret Oceanum, nulla bolide ingenii metiendum. Quis enim ea, ut par est, edisserat verborum copia, quibus fuerit dotatus, conspicuusque virtutibus, quam excellenti in DEUM fide, ac pietate floruerit quanto Orthodoxam Religionem zelo propugnarit, quas animo plus quàm Herculeo pertulerit ærumnas, quæque alia dederit singularium virtutum specimina, nulli non in fastis Sanctorum mediocriter versato, cognita, perspectaque Hæc, inquam, si oratione mihi percensere esset animus, aut temeritatis notam incurrerem, inani verborum pigmento ea illustrare adnitendo : aut me prius ab eloquentia desertum ingemiscerem, quàm vel ad unius virtutis encomium, ut par est, consurgere valerem. Quamobrem verba faciant de hoc Oratore aureo, si tamen apposita pollent facundia, disertissima Latii, ac Græciæ rostra, dum ego stupenti similis, atque admiratione defixus, auribus adero, & animis, peracuto, & artis pleno orationis genere suspensus. Ne tamen impositæ mihi hodie dicendi provinciæ penitùs deesse videar, ad extremam licèt oratorum sortem condemnandus, unam duntaxat ex confertissima sapientiæ [illegible] depromam sententiam, quam aureo exaravit graphio, dum Olympiam mœroris ægritudine postratam, consolatoria erexit pagina, ità ad eam perscribens: *Tristitia animarum est crudele tormentum non solum carnem, sed & animam ipsam perimens.*

ELUCIDATIO. O scriptum saluberrimum, & ad morum informationem comprimis utile, ac pernecessarium, O monitum immortali memoria dignissimum omniumque animis, ac pectoribus, quos mæroris, ac tristitiæ pondus obruit, insculpendam, Verùm ambiguus mihi nonnihil hæret animus, an nomine crudelis tormenti in dissertationem jure venire, possit affici tristitia, & mærore? Quid enim, quem unquam hoc intestinum animi malum lentis ignibus tradidit, & absumpsit? Quem unquam cute acerbus quamvis mœroris dolor exuit? Quem vel saxeo imbre obruit, vel equuleo appensum distendit, vel plumbatis, ac scorpionibus cecidit, aut cujus costas ungulis aravit?

vit? Quem angor animi ad feras bestias damnavit, quem equis raptavit, telis confixit, in crucem egit, laqueo innexuit, enséque peremit? Utque alia cruciamentorum genera silentio præteream, quem unquam ad ferale immanitatis theatrum produxit mæroris ægritudo? Et tamen è mente Oratoris aurei, crudele sit animarum tormentum? Ita sanè AA. vero verius est, quod S. Doctor adstruit, cujus sermo nunquam abhorret à veritate. Ea quippe est noxii mæroris penitus considerata, perspectáque malignitas, ut minimè contenta unam hominis partem pessumdare, omnes omnino corporis, animíque facultates dissipet, ac evertat. Hæc enim intelligentiæ lumen, ac memoriæ splendorem obnubilat, sanguinis vigorem corrumpit, ossa emedullat, nervos enervat, calorem nativum extinguit, atque ita totum hominem; vitámque ejus depascitur, ut sensim ad confinia mortis deducat. Et hanc animæ, corporísque pestem haud dubium funus accersentem, ab immani tormentorum syllabo eximi posse quisquam arbitretur? Quid alia percurram mala, quæ ex hac exitiali mæroris scatebra, in corporis, animæque perniciem jugiter emanant? Quem enim fugit quotidiano edoctum rebus in humanis experimento, innumeram ægritudinum congeriem, ab hoc fontico tristitiæ malo, in caducum corporis ergastulum invehi; atque ita invitam licèt animam fœdissime exturbari? Quod hodiedum est reperire, qui solo mæroris turbine ad occumbendum impulsi, vel sibi nectunt laqueos, frangúntque gulam; vel in amentiæ vitium prolapsi; sicâ mortem sibi adsciscunt, aut de prærupta rupe se ajunt præcipites aut aquis se extinguunt, alióque se se mortis genere è medio auferre præeligunt, quam jugem perpeti mæroris lanienam. Et ne minora silentio præteriisse videamur: quis ignorat, hoc triste malum inducere torporem in artus exteriores, unaque animum coarctare, ne in latitudinem rerum agendarum, ut par est, diffundatur, atque ita à laudabili virtutum cursu præpediatur, nihil actitans dignum vita immortali. Quem demum latet, ex hoc animi ægritudine in præcordiis tolerata, plurima enasci vitiorum germina, ac comprimis invidentiæ crimen, seu dolorem de bono alieno, quo

lividas radices agente, omnem sementem lætitiæ elidi, ac suffocari est necesse. O malum malorum maximum, crudelique tormento animi, ac corporis jure accensendum!

CAUSA. Sed erit fortasse nonnemo vestrum, qui ad radicem noxiæ adeò, pestilentisque herbæ, ac genuinam tristitiæ causam mentis oculos velit altius defigere, quò probè cognita, perspectaque mæstitudinis natura, radices ejus stirpitus eruncare valeat, funditúsque convellere? Bene habet AA. Admovete, si ita lubet, impigrum vestræ industriæ sarculum, exstirpando noxio adeò germini peridoneum, nè in animarum vestrarum solo altiores figat radices, nequicquam alioquin elidendas. Ejicite, exterminate lolia mæstarum cogitationum, ac umbratilis phantasiæ imaginaria portenta, quæ se indies non tam præsentant, quam animo per vim obtrudunt. Hæc enimverò bella suscitant intestina, consilia agitant proditoria, eóque infestant, impugnantque celsissimum animi castrum, dum futilibus licèt cogitationum altercantium machinis, sub leges tristitiæ agant, acerbæque ejus subjiciant potestati. Eam ob rem qui mereri stipendia sub hoc immitti tristitiæ imperio jure suo detrectant, jubeant procul ab animo facessere debacchantia per phantasiam prælia, ac turbulentas mentis commotiones, seu ab amore, seu a timore, vel à quacunque demum alia affectione procedentes. His quippe, non, ut par est, rationis virtute edomitis, tristitiæ subjiciatur homo est necesse. Patiatur quispiam repulsam in rebus ardentiori voto experitis? aut in proximè indipiscendis obex, aut molesta procrastinatio interveniat, aut quod immodicè amatur, subtrahatur: quid aliud communi sequela oriatur, quam decumana tristitiæ tempestas, quæ animæ cymbula m in syrtes agat desperationis, in brevia, & scopulos diffidentiæ, ex quibus emergendi vix datur in vivis facultas. Verum ut ad intimiorem crudelis tristitiæ causam pertingamus: ego sanè sic existimo. hominem plus nimio verticem suum attollentem, ventosóque fastu turgidum, nullo negotio in mæroris barathrum delabi. Ea quippe est arrogantis animi indoles, ac natura, ut quoties se aut rivali suo minorem, vel alium ad subsellia dignitatis,

cadu-

caducíque honoris theatra, se posthabito provehi conspexerit, continuò in gemitus abeat, in lachrymas diffluat, & plaustra querelarum convehat in æmulos felicitatis. Non affulgeat protinus ambitioso capiti honoris bractea, cruciatu, ac mærore animum obruit. Atque hæ sunt causæ, ac radices noxiæ mæstitudinis, animi viridaria infestantes; aut satius dixerim, fontes, scatebræque malorum quibus ceu turbida aquarum eluvione, mæroris cataclysmus, florida animarum novalia pessumdare assolet, ac perniciosè devastare.

CONTRARIUM. Hos ut malignitatis fontes citra moram obstruamus, ab opposito mærori gaudio, opem, auxiliúmque deposcamus. Hanc animi liquidiorem voluptatem, quisquis sibi domesticam, & jugem cordis inquilinam effecerit, næ ille perverso affectionum rebellantium dominio fasces sui arbitrii sciverit ullo tempore moderandas. Novit enim verò, quem limpidioris gaudii trahit illecebra, quanta suavitas, & dulcedo animum subeat, mentémque inundet. Novit, quæ triumphantem in præcordiis puriorem lætitiam, pacis jugiter perennantis sequantur alcyonia, quæ magnanimitas illam consectetur, quæ benignitas in se, atque alios comitetur, & universum virtutum choragium in exultante gaudio pectore festivè commoretur. Plaudat in virili animo, ceu oportet, inconcussa in rebus agendis constantia, obtendat clypeum non cessura adversitatum turbini fortitudo, nullum reperiet aditum infesta virtutibus mæstitia, sed improborum duntaxat adorietur castra, sceleratarum ædium nunquam non domina immanis, truculenta. Sit tranquillata à noxarum intemperie conscientia, nullaque infestetur lancinante animam synthereſi: dulcissima gaudiorum flumina per venas, & ilia diffundentur, omnesque artus mirifica hilaritate redundabunt. Occallescat animus ad plagas novercantis fortunæ, & calamitates Spartanâ nobilitate concoquat: nullo lacrymarum imbre rigabuntur oculi, nullæ mærorum nubes intelligentiæ claritatem tenebris involvent; nullæ bacchabuntur per animum furiæ, nulli in rivalem acuentur invidiæ dentes, nullæ irarum flammæ incinerabunt

bunt præcordia ſed gaudium, pax, charitas, aliæque virtutes choreas agent in animo, & inchoatam quandam in mortali vita beatitatem procurabunt. Non equidem diffiteri valeo, virum conſcientiæ malitia affluentem procellis rerum adverſarum nonnunquam jactari, malignioris fortunæ telis impeti, ſed numquam à firmata ſemel, roboratáque mentis ſtatione excutitur, nunquam in amarum triſtitiæ pelagus, animum dejiciens, præceps datur. Nullus utique à turbida malorum tempeſtate immunis poſt homines natos fuit, aut erit virtutis alumnus, at ſi tota è ſuo cardine reſolvatur orbis machina; & in virum fortem illapſum minitetur intrepidum feriet, & ridente ſtabit vultu ad omnia aſperatæ ſortis molimina, gaudio ex oculis feſtiviùs proſpectante. Nemo hactenus in hac mortalitatis paleſtra depugnavit ſtrategus, quem non calamitatum exercitus ærumnarum acies adverſorum agmina obvallaſſent. Nullo non die cum omnimodo malorum aſſultu confligantur excelſo animi robore præditi athletæ: ideóne quicquam remiſerint à cœpto virtutem ſtudio, geſtíſque glorioſis.

SIMILITUDO. Quiſquamne illuſtriſſimo ſiderum principi, & innatæ cęlorum ſerenitati in quoquam derogarit, ſi interdum piceo nubium volumine obducatur, Quis terram rerum omnium fæcundiſſimam genitricem; ſterilitatis probro incuſârit, quod locis quibuſdam ſquallens, & egena, fruges non germinet ad votum cultoris, Ecquis ſegetes lætè in agris fluctuantes, proterandas eſſe cenſeat; quod infelicia uſpiam æra, lappáſque, tribulóſque cogantur ſuſtinere, Et hominem patientiæ ſpicas, & manipulos producentem, uberéſque virtutum fructus germitantem, nec non Solis inſtar ſe luce ſuâ rectè factorum illuſtrantem, aliquid hominis deperdere arbitremur, aut de gradu intimioris gaudii deturbari, quod vel labe infamiæ contumelioſè aſpergatur, aut nimbis adverſorum infeſtetur, Æmula aſtrorum Imperatori incedit viri fortis lætitia, nullo mœroris nubilo obſcuranda, nulla tempeſtate convitiorum infringenda, nullo violentæ ſortis fulmine quatienda, ſemper ſibi conſtans, ſemper eadem, ſemper in juſti propoſito ſixa, immotáque. Quemadmodum enim, ne ab hoc clariſſimo

rissimo sidere clarius illustrando abeamus , aurea solis facies, omni aëris inclementia superior, altiórque, ridet agglomeratos nubium furores , grandinum despicit crepitus, fulminea, explodit iras, semper suâ trabeatus in luce illustris Phœbus, & quamvis pati, à nonnullis ignorantiæ umbra obseptis, existimetur, nihil tamen in se, innatóque lumine accipit detrimenti: haud secus eximio virtutum splendore clarus homo, suóque lætitiæ jubare eminens omnibus , terram mæroris caliginem glorioso animi lumine discutit , ac propulsat. Et quamquam iniquis rerum æstimatoribus à malis ingruentibus jacturam pati videatur , tantùm abest telis adversorum feriatur, ac tristitiæ jaculis vel in minima sui parte sauciatur. Sed veluti tela à Parthorum temera, immanique ferocitate in serenam cæli regionem emissa, eò ferri inani persuasione reputantur, quo assurgendi carent potestate sic evibrata ab arcu protervioris linguæ, aut unde unde demum jacula , non pertingunt ad illustre virtutis fastigium, supra adversa omnia constitutum. Verum ut ea, quæ hucusque rationibus allatis pertractavimus , una adhuc æquiparatione evadant clariora, diffusum longè, latéque Oceani regnum paulisper oculis mentis percurramus. Nam velut hi immensi undarum campi nunquam deperdunt primigenium sibi à natura indultum saporem, quantumvis plurima, & ingentia peregrinantium aquarum flumina jugi dimanatione in se recipiant: Haud secus justi animus per omne miseriarum, ac calamitatum pelagus jactatus, nunquam acerbo, salsóque mari tristitiæ infici se patitur, ac immisceri.

EXEMPLA. Luculenta nobis se se offerunt exempla è Sanctorum fastis , quibus veritas dictorum satis , superque comprobetur. Et hic quidem principem locum tenet invictæ patientiæ prototypon Magnus Athanasius, non tam nomine, quàm re ipsâ immortalis , qui innumeras per annos decies quater, & quod excedit, ærumnas perpessus, à lætitiæ tramite nè latum quidem unguem discessit, (a) Aspicite unà , si lubet M. Antonium Thebaidos, ac fortitudinis prodigium , adversa quæque tolerantiâ plus quàm Herculeâ sufferentem, itáque gaudio semper exultantem;

(a) *Sozomenus lib. 6. tripart. hist. c. 26.*

ut vultum ejus, lætitiæ speculum, curiosi observatores compellarint [b] Intueamini oculis mentis clarissimæ virtutis gloria effulgentem Pachomium, qui in corpore inediâ, aliaque maceratione exhausto, necnon continuâ Tartarei Alastoris pugna lacessitus, miram semper præseferebat hilaritatem. (c) Perpendite lacte, melléque fluentes Bernardos, altissimos ab animi demissione Franciscos, sexcentósque alios virtutum sectatores, quos nulla tyrannorum rabies, adversitas nulla, ab animi jubilo è virtutis scatebra profluente, valuit dimovere. Nolim hic referre augusta regnantium decora, Ludovicos, Philippos, Mauritios, Sigismundos: nolim recensere invictos animo heroës, Eustachios, Moros, atque alios propè infinitos; quos nulla calamitatum machina in mœroris barathrum potuit deturbare. Sed nè per sacra duntaxat eloquentia divagetur; percurrite mecum veteris, profanæque memoriæ ordinem, & vel inter ærumnas, extremáque deperdendæ vitæ discrimina exultantes, jocantésque in superstitiosâ licet gentilitate Philosophos reperietis, Et horum quidem in censu, primum sibi jure optimo locum vendicat Anaxarchus ævi illius portentum, qui cum immani jussu Anacreontis tyranni, lapidea in pila tunderetur, nullum doloris edidit indicium: quin composito ad hilaritatem vultu, voceque lætitiam spirante, conversus ad tortores inquiebat: tundite follem Anaxarchi, nam Anaxarchum non tunditis. (d) Huic proximam adamantinæ fortitudinis laudem invadit Therâmenes, haud vulgaris sapientiæ Philosophus; qui post vincula, & catastas, oblatum sibi veneni poculum impavidè arripuit, mortísque in confinio sale, & facetiis sermonem suum condiens, edixit: propino hoc Critiæ, qui interitum ei ferali imperio decrevit. (e) Nec gloriá fortitudinis caret fulmen illud eloquentiæ Pericles, qui geminis, iisdémque percharis sibi spatio dierum quatuor orbatus filiis, nullum vultu, aut verbis dedit mœroris signum, sed iisdem diebus, facie pristinum habitum retinente, fulminante, omniaque permiscente eloquio, disertissimè ad populum

(b) *Cognatus lib.6.Narrat.* (c) *Marul.lib.5.c.8.* (d) *Laert. lib.9.c.10.* [e] *Xenoph.lib.2.de rebus Græc.*

pulum verba fecit. Hæc vir dicendi gloria præstans. (f) At Jurgurtha regio nomine insignitus, cum à Romanæ potentiæ viribus, regni honore exutus, jamque carceri mancipandus, ad Urbem duceretur, ante ostium ergastuli, jocis urbanisque salibus lusisse perhibetur. (g) Hoc forti animo ad fortunam gravem, & luctuosam ritè comparatus fuisse fertur Marcus Antonius, nunquam vultum in mærorem declinans, quibuscunque demum adversis casibus jactaretur. (h) His denique laudabili constantia accedit Tharseas, Stoicæ disciplinæ apprimè gnarus, Neronis crudelitate damnatus insons capitis, qui dum jam effluentem cum sanguine animam persentisceret, exporrectâ fronte gestiens, familiarium lacrymas, luctúmque suorum læta oratione compressit, libavítque vitam, ac sanguinem Jovi Liberatori. (i) O eximia virtutum moralium specimina! O ideam fortitudinis ante oculos eorum statuendam, quos inane non rarò mali phantasma, in fæmineos agit planctus, & quiritatus. Utinam hodiedum ad vivos reditum faceret Lycius ille legislator, denuóque præciperet populis, ut toties palla se amicirent muliebri, quoties in mærorem prolaberentur. (k) Existimabat nempe virorum eâ ætate facilè doctissimus, hoc animarum tormentum sequiorem duntaxat spectare sexum, non excelsam virorum sortem, nullâ flagitiorum labe temeratam. Contemptores æqui, scelerúmque mole obrutos exerceant, lancinéntque Erinnes mæroris. Has diras in præcordia immaniter sævientes, suo malo persensit Constans Imperator, M. Constantini degener filius, qui trucidato per crudelem ambitionem fratre suo Theodosio, crebrius per quietem interemptum conspexit germanum, poculum sanguine plenum sibi porrigentem, dicentémque: bibe frater. Hanc vocem cùm identidem majori clamore iteraret Theodosius, Constans loca locis nequicquam permutando, mærore in pœnam sceleris patrati contabuit. [l] Non absimili ratione à vitæ statione decessit Theodoricus Gothorum Rex, efferatæ sævitiæ

(f) *Valer. Max. lib. 5. c. 10.* (g) *Sabel. lib. 1.* (h) *Plut. in Aeton.* (i) *Cælius lib. 22 c. 2.* [k] *Plut. in Orat. consol.* (l) *Baron. tom. 8 ann. 659 ex Cedreno.*

vitiæ homo, cui cùm inter alia saliaris mensæ fercula, miræ magnitudinis caput de pisce maris appositum fuisset: ejus specie attonitus, totóque corpore perculsus, videbatur sibi videre Symmachi verticem, haud ità pridem à se interempti, torva oculorum acie, exertísque dentibus, cum immanitatis exprobratione, funus minitantis. Ea species à phantasiæ umbratilis ludo exhibita, aut quod vero conformius putarim, divinitùs in scelerum vindicias immissa, tantum mæroris, timorísque incussit Principi, ut exinde à mente, & consilio deductus, acerbóque dolore confectus, diem clauserit extremum. (m)

TESTIMONIA. *Ita nempe*, testibus nè desimus, è sensu Oratoris aurei dogma suum confirmantis; *unusquisque peccatis suis flagellatur gravia: enim delictorum pondera gravia criminium verbera sicut onus gravantur grave, & infligunt animæ cruciatus, mærores, angores infinites.* (n) Huic veritati suffragatur Romanus sapiens, ita inquiens; *hæc est secunda peccanti pœna, timere semper, & expavescere, & securitati diffidere. Potest nocenti contingere, ut lateat, latendi fides non potest: quia latendi etsi facultatem habet, fiduciam non habet. Tuta possunt esse scelera, secura non possunt.* (o) *Et gaudium nisi sapienti contingere non potest. Gaudium surgit ex bona conscientia, ex honestis consiliis, ex rectis actionibus, ex contemptu fortuitorum, ex placido vitæ, & continuo tenere unam prementis viam.* (p) Loquatur super hac veritati altiori imbutus Spiritu Græcanicæ Ecclesiæ oraculum D. Basilius ita disserens: *Anima, quæ semel modis omnibus desiderio se adstruxit sui Conditoris, jamque insuevit oblectari se illius pulchritudinis contemplatione, prorsus non sinet vehemens illud gaudium, animique sui jucundissimam diffusionem intercipi, aut immutari propter multitudinem, & succedaneam carnalium affectionum mutationem: quin ea potius, quæ aliis mærorem afferunt, & tristitiam in cumulum sibi vertet, & lætitiæ accessionem.* (q) Cum ex adverso teste Romanæ linguæ patre, *sua quemque fraus suum facinus, suum scelus, sua audacia*

(m) *Sigon. lib.* 16. *Imper. Occid.* (n) *Serm.* 1. *Dom. Adven.* (o) *lib. de mor.* (p) *ibid.* (q) *in desert. mor.*

dacia de sanitate, ac mente deturbet: hæc enim sunt impiorum furiæ, hæ flammæ, hæ faces, hæc tela, quæ impiorum mentibus figuntur [r] Et idem alibi: *magna*, inquit, *vis est conscientiæ, ut neque timeant, qui nihil commiserint, & pœnam semper ante oculos versari putent, qui peccaverint.* Et *quemadmodum malefici*, asserente Plutarcho, *cum ad supplicium educuntur, quisque suam effert crucem, & singula peccata ex se fabricantur singula tormenta.* [s]

EPILOGUS. Ecquis jam in dubium vocare ausit, tristitiam, præcipue quæ ex cauterita, sceleribusque saucia procedit conscientia, crudele animarum esse tormentum, non solùm carnem, sed & animam ipsam contrucidans, Et adhuc imposterum quisquam vestrum ferat mœrore, atque angore animi, ex pravo vivendi usu distorqueri? Adhuc sustineat conscientia malè actorum noctes, diesque flagellari? Quis jugiter trepidare, & expavescere, sævissimòque tristitiæ tormento vel ad punctum temporis velit exerceri, Quod si tamen, naturæ ut nostræ in læta æquè, ac tristia est vicissitudo, unde unde demum in violento accedat gradu hoc intestinum malum, ablegate illud è vestigio, ad ultimam, si valetis, Thulem: sin minùs, aut absorbendus omnis est, aut premendus dolor. Quid enim est, cur mæstitiæ asperitatem non ratio potiùs quàm dies leniat; Nam quod obliteratur temporis serie, satius prudentia rectè agendorum regulâ temperatur. Illum solidum, & efficacem tristitiæ fugandæ modum existimate velim AA. cùm omnem in animo rerum creaturum sitim restinguentes, de supremo illo gaudii illimis fonte, plenis? ut agunt, manibus, cyathisque bibitur, ac hauritur. Qui enim aut rerum terrenarum cupidine ducitur, ut possideat, vel metuit, nè possessa deperdat; quique in adversis prospera, in prosperis reformidat adversa: ultrò, citroque quasi quibusdam fluctibus agitatur ac in rerum alternantium prælio versatur. At verò in bono interminato, nullique vicissitudini obnoxio spes suas, & res locans, nullo mæroris turbine obruitur, nullisque rerum adversarum incursibus à perenni voluptate animi valet dimoveri. Novit enim verò cuncta infra DEUM posita, bona

[r] *in Mil.* [s] *lib. 3. offic. & 2. Tuscul. quæst.*

bona duntaxat esse evanida, caduca, fumo, nihilòque proxima. Nemo veræ sapientiæ dote cumulatus, segetem lætitiæ metit in campo inanitatis. Felix proinde, qui scit, quo gaudeat. Plurimum interest, unde quis lætitiæ desumat argumentum. Solem autem illud vero innititur gaudium, quod de summo rerum omnium Effectore concipitur. Nullum sinè hoc vobis diem effluere velim. Domi illud, & intra vos nascatur: cæteræ hilaritates non implent pectus. Sed nè minùs fortè opportuna dicendi copia fastidium vobis creem, illam, pro coronide hujus dissertationis, non vulgaris. Poëtæ adnecto parenæsim, quæ omnem animo expungere possit mærorem, crudele animarum tormentum.

Nil sibi consciscat, qui læta vivere mente,
Atque metu vacuos geste habere dies.
Qui probus est, nullo qui pallet crimine, cuique
Intima commissum non ferit ossa scelus:
Ille nec horrendi pavidus tremit ora tyranni,
Mille nec armatas in sua fata manus.
Quin etiam terræ si factus concidat orbis,
Obruet impavidum vasta ruina caput.

Ut que paucis complectar plurima: habet te desiderium nunquam tristandi, sit tibi cura rectè vivendi. Quò melior fueris, lætior eris.

CHRIA VI.

Magistris non potest reddi æquivalens. *Aristoteles* 1. *Polit.*

EXORDIUM. SUpremum illum Philosophorum apicem, vastissimámque scientiarum omnium encyclopædiam, meritis exornare laudibus, quamquàm opus sit omnem dicendi facultatem, vìrésque eloquentiæ longissimè transcendens, atque ideo verecundo potius prætereunda silentio, quam inani verborum strepitu prosequenda; nè

nè tamen in virum undequaque de re literaria bene meritum digna castigatione obticentia, iniqui videamur, pauca quædam de ejusdem præconiis è veterum monumentis delibemus, ex quibus facili conjectura assequi licebit, quis quantúsque fuerit ille Philosophorum Hector. Et quidem è sententia Averrois, sapientiæ itidem studiosi, ea rerum cognitione Aristoteles floruit? ut eum non dubitarit DEUM sapientiæ compellare. Nam seu in eo spectaverit ingenii acumen in rebus inveniendis, seu eximiam vim in dijudicandis, seu felicitatem memoriæ in retinendis, humanæ mentis capacitatem longè illum excessisse judicabat. Ab hujus mente non ablusit Philoponus, Græciæ decus, & ornamentum, qui Aristotelem asserebat Philosophiæ regulam, & exemplar à naturâ factum ad imitandum. In eo dem prædicabat summam eluxisse perfectionem, quæ per naturam homini contingere potest in vita mortali. Nec defuit in Aristotele verbis amplissimis ornando medendi scientia notus orbi Galenus, quamvis eâ ætate illius æmulus, cui veritas inter alias laudes illud expressit, ut peritissimum omnium Philosophorum, atque in ratiocinando vehementissimum palam decantaret. Sed major his omnibus Aristotelis fuit panegyristes divinus Plato, eum per annos complures, in omni genere literarum erudiens, formánsque in severioribus disciplinis. At qua singulari laude suum affecit discipulum? Eximia enim verò. Quippe ubi pervidisset miram ejus solertiam, sagacitatem vim ingenii, atque celeres ejus motus, non blandiendi, sed veritatis edicendæ gratia, mentem ludi sui vocitabat. Crebrius eo absente, vel intelligentiam desiderari ajebat, vel auditorum cœtum surdum esse dictitabat. Utque alia ejus encomia missa faciamus; vendicent nomen ejus ab oblivione, & silentio, digni immortalitate summi ingenii partus, in lucem emissi, tantâ doctrinarum varietate, sententiarum gravitate, disputationum subtilitate, antiquitatis notitia, dialecticæ peritia, rerum dispositione, ac tam nervoso dicendi genere conscripti, ut nescias; utrum materia vincat opus, an opere materia superetur. Nolim ego hæc grandia altissimarum cogitationum monumenta, intelligentiæ

meæ

meæ vim excedentia, hodie pervolvere, sed unam duntaxat è vastissimo sapientiæ moralis penuario depromere Maximam: qua literarum alumni ad gratam litterarum Doctoribus memoriam ritè instituantur. *Magistris*, inquit Philosophorum alpha, *non potest reddi æquivalens.*

EXPOSITIO. An non hic solertissimus veri investigator Philosophus, minimè dubiam, quasi ex Apollinis oraculo protulit sententiam; Quid enim veritati conformius? Quid appositum magis dici potuit ad persuadendas grati animi vices discentibus erga eos, à quibus primos literarum fontes combiberunt; Apprimè enim, ut existimo, perspectum habuit virorum sapientissimus, quos exantlare decumanos propè labores, quæ exsorbere tædia, quas exhaurire molestias iis sit necesse, qui instituendæ probis artibus adolescentiæ propositi sunt Imperio Majorum Nulla dies abit sinè mordente cura, nulla nox præterit sinè interpolata, ruptáque quiete, cogitatio omnis impenditur in discentium progressum. Atque ita corpus enervatur, vires exhauriuntur, valetudo licèt solida atteritur, umbra nonnunquam similiores, quàm homini evadant bonarum Artium præceptores. Et quamvis vitam ipsam ponere sint parati, quò animâ veræ doctrinæ animent, informéntque subjectam sibi juventutem, quæ demum pro impenso liberaliter scientiarum pretio, pio quotidiana opera, pro jugi labore ac sudore, quæ grati animi testificatio, quæ merces, quod minerva; Multa hìc possem, & vero veriora dicere, Sed. Et quamquàm nonnulli ab ingrati animi vitio longius se abesse glorientur, ac magnitudinem meritorum nulla temporis vetustate obliterandam palam profiteantur, nullúmque officii genus in colendis didascalis prætermittant, nunquam tamen eò poterunt eniti, ut partem aliquam meritorum assequantur, eamque referant gratiam, quam pro ratione tanti beneficii par esset referre. Insideant licèt animis, jugíque memoria recolant collata sibi litterarum munera, benigne suos accipiant pædagogos, pro honore eorum depugnent, augeant dignitate, bonorum copiam, fortunásque eis largiantur, omnémque in illos voluntatem, & benevolentiam conferant ubi ubi tempus, & occasio se tulerit, at-

que

que ità grati animi erigant trophæa: nunquam tamen officia Magistrorum paribus officiis poterunt æquare, minùs magnitudinem meritorum multo fœnore remetiri. An non proinde Philosophorum Princeps ipsemet usu complurium annorum edoctus rectissimè dixit: Magistris non posse reddi æquivalens? Nè si Pythius quidem affirmasset, veriora edicere potuisset.

CAUSA. Quis enim assiduis eorum laboribus, doctisque in juventutem meritis ex æquo responderit, qui nullam non ponunt operam, ut rerum præclarissimarum cognitione floridam ætatem imbuant, nihilque non agunt eruditâ manu, ut arte, præceptisque eam poliant, ac perficiant, in deserviturum rebus publicis emolumentum. Nunquam in officio suo dormitant gnavi moderatores adolescentiæ, nullum studium, ac industriam prætermittunt, quò eam ad normam virtutis, ac Doctrinæ sanioris dirigant, nihilque antiquius habent, quàm ut incensos bonarum artium desiderio, in illustria sapientiæ decora efforment, & quasi per quosdam gradus subordinatarum sibi scientiarum, ad gloriæ fastigia evehant, in generis sui lumina, & patriæ ornamenta. Est equidem nonnullorum ingenium suapte natura felix ager, ad fruges virtutum germinandas, sed dum in densiorem vitiorum sylvam fruticat, quantùm operæ [DEUM immortalem,] in evellendis pestiferarum cupiditatum plantis, luxuriéque pravarum affectionum, quantum inquam, operæ, negotisque ponere est necesse, ut ad cultoris arbitrium sementem recipiant virtutum. Quot ad florentissima literarum viridaria indolati accedunt stipites, quot trunci carnei, quot tortuosi, & abnormes caudices, quos impigra topiarii, ac fundatoris scolastici solertia indies asciat, edolat, runcinat, nec non sudore multo irrigat, ut fructum ferant in autumno ætatis. O quot asperitate saxei, obstinatione marmorei, formandi sunt in honoris simulacra, summáque virium contentione fingendi, poliendique in honoris, ac dignitatis sculptile, qui ignobilia jacuissent saxa, pedibus omnium per vicos, & compita terendi, proculcandi, nisi acri, sedulòque magistrorum scalpro, exculti fuissent.

CONTRA.

CONTRARIUM. Sed quæ demum pro tanta animorum cultura, viget apud eos memoria, quæ officiorum promptitudo? Pudet, pigétque verbis promere, mundoque palam facere. Interit penitus, æternaque sepelitur oblivione meritorum recordatio; & in vicem debiti officii, de referenda gratia nè quidem cogitatio suscipitur, quin animi ingrati culpa, qua nihil est iniquius, contrahitur, omnísque memoria accepti beneficii obscuratur. O quàm multos hodiéque repetire est, qui labores, sudores, vigilias, omnémque docentium industriam, malis neutiquam hic recensendis, satagunt pensare. Tulerint olim in oculis, effusissiméque dilexerint literarum doctores, aut, quod interdum usuvenit, sub specie simulationis, officio urbanitatis prosecuti fuerint; jam odio plusquam Vatiniano eos insectantur. Arriserint eos aliquando placide, verbísque melle illitis eos delinire studuerint? quò meritas delictis suis pœnas vel averterent, vel attemperarent; jam oculis veneno turgescentibus aversantur, utinam non maledictis proscindant. Disuavitati quandoque fuerint mollibus labellis benigniorem in se dexteram; jam dentes, & ungues acuunt in eorum lanienam. Et si quid sanioris doctrinæ combiberint; non tantum non palam profiteri erubescunt, ex quo fonte hauserint, sed artium bonarum venam, felicémque scatebram obstruere, & oppilare per aggesta opprobria moliuntur. O quoties in illos maledicam distingunt linguam, satyricè incessunt, auhoritatem eorum concidunt, & ad sempiternas infamiæ umbras illos damnari ardent, à quibus scientiarum luminibus sunt illustrati.

SIMILE. Hi profectò acceptarum gratiarum immemores discipuli, equinum imitantur pullum, cui perjucundum est dentes infigere in parentem. Nec absimiles censeam terreis vaporibus, Solis virtute in altum sublevatis, qui posteaquam sublimiorem aeris regionem invaserint; in ipsam sideris hujus illustrissimi faciem depugnant, eam innatâ sibi caligine occæcare molientes. Luculentam quoque ingrati ejuscemodi animi parilitatem, oculis nostris, exhibet, apprimè cognita voracissimi ignis natura. Quemmodum enim hæc insana Vulcani rabies, illam ipsam

mate-

materiam, quæ ei alendo, fovendo, sustentandoque ministratur, rapidissimâ flammâ depopulatur, & schidias, asses, struicésque lignorum, quibus augmentum capit, in cineres tandem redigit, & favillas: haud secus nonnullos videre est excisos non ità pridem de medulla trunci Cherephontes, ingeniorum caudices, cruda robora, quæ ubi acapna reddideris, luce scientiarum perfuderis, in grandia reipublicæ lumina accenderis? illustrioris gloriæ suæ auspicia nè respiciunt quidem, sed primordia honoris sui tenebris infamiæ obruere nituntur, & si vires animo non deforent, moderatorum suorum splendori non tam officerent, quàm nomen eorum cum vita præstinguerent. O ignes? O lumina? sed de genere fatui. Ignes de cœlo Lunæ decidui, quę quanto ampliore à lucis patre augetur lumine, tantò magìs à fonte lucis elongatur. O ingrati viperarum partus, qui in viscera altricis sapientię barbarè, crudelitérque nonnunquam desęvitis.; Hocne est memorem beneficiorum prętare animum? Hoc reddere magistris æquivalens, Prô pudor, prô crimen, O fędi ex Archanes prosapia surculi, qui ex bono malum, ex salutaribus artium, scientiarùmque viridariis toxica exsurgitis, pleno gutture in pręceptorum interitum evomentes, O caninam ejusmodi ingratorum rabiem, non in commentitium Actionem, sed in studiosos vestri nutritores sęvissimè debacchantem, quos Hipponacteo pręconio, Archilochia mordacitate, Zoilique maledicentia, nè deteriora referam, vellicatis.

EXEMPLA. Testem hujus veritatis appello, magnum illud lumen Græciæ Socratem, Apollinis ipsius arbitratu, sapientissimum omnium mortalium renuntiatum, quíque apud omnes Principes, & velut Dictator audiit Philosophorum. Et tamen, quid ei Athenæ in grati animi vices, ac mnemosynon, pro Attica juventute solertissimè instituta refudère, Quid auguramini, quid censetis, An fortè lumen illud patriæ, novo conspicuoque honoris splendore ornârunt, illustrârunt, haudquaquam, An in amplissimo dignitatis gradu, hoc prodigium sapientiæ statuêre, nihil minùs. An copiosas opes, & fortunas in tot annorum merita contulere, neutiquam. Sed [ô dolor) sed

ut vultum ejus, lætitiæ speculum, curiosi observatores compellarint [b] Intueamini oculis mentis clarissimæ virtutis gloriâ effulgentem Pachomium, qui in corpore inediâ, aliaque maceratione exhausto, necnon continuâ Tartarei Alastoris pugna lacessitus, miram semper præsferebat hilaritatem. (c) Perpendite lacte, melléque fluentes Bernardos, altissimos ab animi demissione Franciscos, sexcentósque alios virtutum sectatores, quos nulla tyrannorum rabies, adversitas nulla, ab animi jubilo è virtutis scatebra profluente, valuit dimovere. Nolim hic referre augusta regnantium decora, Ludovicos, Philippos, Mauritios, Sigismundos: nolim recensere invictos animo heroës, Eustachios, Moros, atque alios propè infinitos; quos nulla calamitatum machina in mæroris barathrum potuit deturbare. Sed nè persacra duntaxat eloquentia divagetur; percurrite mecum veteris, profanæque memoriæ ordinem, & vel inter ærumnas, extremáque deperdendæ vitæ discrimina exultantes, jocantésque in superstitiosâ licet gentilitate Philosophos reperietis, Et horum quidem in censu, primum sibi jure optimo locum vendicat Anaxarchus ævi illius portentum, qui cum immani jussu Anacreontis tyranni, lapidea in pila tunderetur, nullum doloris edidit indicium: quin composito ad hilaritatem vultu, vocéque lætitiam spirante, conversus ad tortores inquiebat: tundite follem Anaxarchi, nam Anaxarchum non tunditis. (d) Huic proximam adamantinæ fortitudinis laudem invadit Theramenes, haud vulgaris sapientiæ Philosophus; qui post vincula, & catastas, oblatum sibi veneni poculum impavidè arripuit, mortísque in confinio sale, & facetiis sermonem suum condiens, edixit: propino hoc Critiæ, qui interitum ei ferali imperio decrevit. (e) Nec gloriâ fortitudinis caret fulmen illud eloquentiæ Pericles, qui geminis, iisdémque percharis sibi spatio dierum quatuor orbatus filiis, nullum vultu, aut verbis dedit mæroris signum, sed iisdem diebus, facie pristinum habitum retinente, fulminante, omniaque permiscente eloquio, disertissimè ad populum

(b) *Cognatus lib.6.Narrat.* (c) *Marul.lib.5.c.8.* (d) *Laert. lib.1.c.10.* [e] *Xenoph.lib.2.de rebus Græc.*

pulum verba fecit. Hæc vir dicendi gloria præstans. (f) At Jurgurtha regio nomine insignitus, cum à Romanæ potentiæ viribus, regni honore exutus, jamque carceri mancipandus, ad Urbem duceretur, ante ostium ergastuli, jocis urbanisque salibus lusisse perhibetur. (g) Hoc forti animo ad fortunam gravem, & luctuosam ritè comparatus fuisse fertur Marcus Antonius, nunquam vultum in mærorem declinans, quibuscunque demum adversis casibus jactaretur. (h) His denique laudabili constantia accedit Tharseas, Stoicæ disciplinæ apprimè gnarus, Neronis crudelitate damnatus insons capitis, qui dum jam effluentem cum sanguine animam persentisceret, exporrectâ fronte gestiens, familiarium lacrymas, luctúmque suorum læta oratione compressit, libavítque vitam, ac sanguinem Jovi Liberatori. (i) O eximia virtutum moralium specimina! O ideam fortitudinis ante oculos eorum statuendam, quos inane non rarò mali phantasma, in fæmineos agit planctus, & quiritatus. Utinam hodiedum ad vivos reditum faceret Lycius ille legislator, denuóque præciperet populis, ut toties palla se amicirent muliebri, quoties in mærorem prolaberentur. (k) Existimabat nempe virorum eâ ætate facilè doctissimus, hoc animarum tormentum sequiorem duntaxat spectare sexum, non excelsam virorum sortem, nullâ flagitiorum labe temeratam. Contemptores æqui, scelerúmque mole obrutos exerceant, lancinéntque Erinnes mæroris. Has diras in præcordia immaniter sævientes, suo malo persensit Constans Imperator, M. Constantini degener filius, qui trucidato per crudelem ambitionem fratre suo Theodosio, crebrius per quietem interemptum conspexit germanum, poculum sanguine plenum sibi porrigentem, dicentémque: bibe frater. Hanc vocem cùm identidem majori clamore iteraret Theodosius, Constans loca locis nequicquam permutando, mærore in pœnam sceleris patrati contabuit. [l] Non absimuli ratione à vitæ statione decessit Theodoricus Gothorum Rex, efferatæ sævitiæ

D 4

(f) *Valer. Max. lib. 5. c. 10.* (g) *Sabel. lib. 1.* (h) *Plut. in Aeton.* (i) *Cælius lib. 22 c. 2.* [k] *Plut. in Orat. consol.* (l) *Baron. tom. 8 ann. 659 ex Cedreno.*

vitiæ homo, cui cùm inter alia saliaris mensæ fercula, miræ magnitudinis caput de pisce maris appositum fuisset: ejus specie attonitus, totóque corpore perculsus, videbatur sibi videre Symmachi verticem, haud ità pridem à se interempti, torva oculorum acie, exertísque dentibus, cum immanitatis exprobratione, funus minitantis. Ea species à phantasiæ umbratilis ludo exhibita, aut quod vero conformius putarim, divinitùs in scelerum vindicias immissa, tantum mæroris, timorísque incussit Principi, ut exinde à mente, & consilio deductus, acerbóque dolore confectus, diem clauserit extremum. (m)

TESTIMONIA. *Ita nempe*, testibus nè desimus, è sensu Oratoris aurei dogma suum confirmantis; *unusquisque peccatis suis flagellatur gravia: enim delictorum pondera gravia criminum verbera sicut onus gravantur grave, & infligunt animæ cruciatus, mærores, angores infinites*, (n) Huic veritati suffragatur Romanus sapiens, ita inquiens; *hæc est secunda peccanti pœna, timere semper, & expavescere, & securitati diffidere. Potest nocenti contingere, ut lateat, latendi fides non potest: quia latendi etsi facultatem habet, fiduciam non habet. Tuta possunt esse scelera, secura non possunt.* (o) *Et gaudium nisi sapienti contingere non potest. Gaudium surgit ex bona conscientia, ex honestis consiliis, ex rectis actionibus, ex contemptu fortuitorum, ex placido vitæ, & continuo tenere unam prementis viam.* (p) Loquatur super hac veritati altiori imbutus Spiritu Græcanicæ Ecclesiæ oraculum D. Basilius ita differens: *Anima, quæ semel modis omnibus desiderio se adstruxit sui Conditoris, jamque insuevit oblectari se illius pulchritudinis contemplatione, prorsus non sinet vehemens illud gaudium, animique sui jucundissimam diffusionem intercipi, aut immutari propter multitudinem, & succedaneam carnalium affectionum mutationem: quin ea potius, quæ aliis mærorem afferunt, & tristitiam in cumulum sibi vertet, & lætitiæ accessionem.* (q) Cum ex adverso teste Romanæ linguæ patre, *sua quemque fraus suum facinus, suum scelus, sua audacia*

(m) *Sigon. lib.* 16. *Imper. Occid.* (n) *Serm.* 1. *Dom. Adven.* (o) *lib. de mor.* (p) *ibid.* (q) *in desert. mor.*

dacia de sanitate, ac mente deturbet: hæc enim sunt impiorum furiæ, hæ flammæ, hæ facies, hæc tela, quæ impiorum mentibus figuntur [r] Et idem alibi: *magna*, inquit, *vis est conscientiæ, ut neque timeant, qui nihil commiserint, & pœnam semper ante oculos versari putent, qui peccaverint.* Et *quemadmodum malefici*, asserente Plutarcho, *cum ad supplicium educuntur, quisque suam effert crucem, & singula peccata ex se fabricantur singula tormenta.* [s]

EPILOGUS. Ecquis jam in dubium vocare ausit, tristitiam, præcipue quæ ex cauterita, sceleribusque saucia procedit conscientia, crudele animarum esse tormentum, non solùm carnem, sed & animam ipsam contrucidans, Et adhuc imposterum quisquam vestrum ferat mœrore, atque angore animi, ex pravo vivendi usu distorqueri? Adhuc sustineat conscientia malè actorum noctes, diesque flagellari? Quis jugiter trepidare, & expavescere, sævissimòque tristitiæ tormento vel ad punctum temporis velit exerceri, Quod si tamen, naturæ ut nostræ in læta æquè, ac tristia est vicissitudo, unde unde demum in violento accedat gradu hoc intestinum malum, ablegate illud è vestigio, ad ultimam, si valetis, Thulem: sin minùs, aut absorbendus omnis est, aut premendus dolor. Quid enim est, cur mæstitiæ asperitatem non ratio potiùs quàm dies leniat; Nam quod obliteratur temporis serie, satius prudentia rectè agendorum regulâ temperatur. Illum solidum, & efficacem tristitiæ fugandæ modum existimate velim AA. cùm omnem in animo rerum creaturum sitim restinguentes, de supremo illo gaudii illinis fonte, plenis? ut aguut, manibus, cyathisque bibitur, ac hauritur. Qui enim aut rerum terrenarum cupidine ducitur, ut possideat, vel metuit, nè possessa deperdat; quique in adversis prospera, in prosperis reformidat adversa: ultrò, citroque quasi quibusdam fluctibus agitatur ac in rerum alternantium prælio versatur. At verò in bono interminato, nullique vicissitudini obnoxio spes suas, & res locans, nullo mæroris turbine obruitur, nullisque rerum adversarum incursibus à perenni voluptate animi valet dimoveri. Novit enim verò cuncta infra DEUM posita, bona

[r] *in Mil.* [s] *lib. 3. offic. & 2. Tuscul. quæst.*

bona duntaxat esse evanida, caduca, fumo, nihilòque proxima. Nemo veræ sapientiæ dote cumulatus, segetem lætitiæ metit in campo inanitatis. Felix proinde, qui scit, quo gaudeat. Plurimum interest, unde quis lætitiæ desumat argumentum. Solem autem illud vero innititur gaudium, quod de summo rerum omnium Effectore concipitur. Nullum sinè hoc vobis diem effluere velim. Domi illud, & intra vos nascatur: cæteræ hilaritates non implent pectus. Sed nè minùs fortè opportuna dicendi copia fastidium vobis creem, illam, pro coronide hujus dissertationis, non vulgaris. Poëtæ adnecto parenæsim, quæ omnem animo expungere possit mærorem, crudele animarum tormentum.

Nil sibi consciscat, qui læta vivere mente,
Atque metu vacuos geste habere dies.
Qui probus est, nullo qui pallet crimine, cuique
Intima commissum non ferit ossa scelus:
Ille nec horrendi pavidus tremit ora tyranni,
Mille nec armatas in sua fata manus.
Quin etiam terræ si factus concidat orbis,
Obruet impavidum vasta ruina caput.

Ut que paucis complectar plurima: habet te desiderium nunquam tristandi, sit tibi cura rectè vivendi, Quò melior fueris, lætior eris.

CHRIA VI.

Magistris non potest reddi æquivalens. *Aristoteles* 1. *Polit.*

EXORDIUM. SUpremum illum Philosophorum apicem, vastissimámque scientiarum omnium encyclopædiam, meritis exornare laudibus, quamquàm opus sit omném dicendi facultatem, vtrésque eloquentiæ longissimè transcendens, atque ideo verecundo potius prætereunda silentio, quam inani verborum strepitu prosequenda; nè

nè tamen in virum undequaque de re literaria bene meritum digna castigatione obricentia, iniqui videamur, pauca quædam de ejusdem præconiis è veterum monumentis delibemus, ex quibus facili conjectura assequi licebit, quis quantúsque fuerit ille Philosophorum Hector. Et quidem è sententia Averrois, sapientiæ itidem studiosi, ea rerum cognitione Aristoteles floruit? ut eum non dubitarit DEUM sapientiæ compellare. Nam seu in eo spectaverit ingenii acumen in rebus inveniendis, seu eximiam vim in dijudicandis, seu felicitatem memoriæ in retinendis, humanæ mentis capacitatem longè illum excessisse judicabat. Ab hujus mente non ablusit Philoponus, Græciæ decus, & ornamentum, qui Aristotelem asserebat Philosophiæ regulam, & exemplar à naturâ factum ad imitandum. In eo dem prædicabat summam eluxisse perfectionem, quæ per naturam homini contingere potest in vita mortali. Nec defuit in Aristotele verbis amplissimis ornando medendi scientia notus orbi Galenus, quamvis eá ætate illius æmulus, cui veritas inter alias laudes illud expressit, ut peritissimum omnium Philosophorum, atque in ratiocinando vehementissimum palam decantaret. Sed major his omnibus Aristotelis fuit panegyristes divinus Plato, eum per annos complures, in omni genere literarum erudiens, formánsque in severioribus disciplinis. At qua singulari laude suum affecit discipulum? Eximia enim verò. Quippe ubi pervidisset miram ejus solertiam, sagacitatem vim ingenii, atque celeres ejus motus, non blandiendi, sed veritatis edicendæ gratia, mentem ludi sui vocitabat. Crebrius eo absente, vel intelligentiam desiderari ajebat, vel auditorum cætum surdum esse dictitabat. Utque alia ejus encomia missa faciamus; vendicent nomen ejus ab oblivione, & silentio, digni immortalitate summi ingenii partus, in lucem emissi, tantâ doctrinarum varietate, sententiarum gravitate, disputationum subtilitate, antiquitatis notitia, dialecticæ peritia, rerum dispositione, ac tam nervoso dicendi genere conscripti, ut nescias; utrum materia vincat opus, an opere materia superetur. Nolim ego hæc grandia altissimarum cogitationum monumenta, intelligentiæ

meæ

meæ vim excedentia, hodie pervolvere, sed unam duntaxat è vastissimo sapientiæ moralis penuario depromere Maximam: qua literarum alumni ad gratam litterarum Doctoribus memoriam ritè instituuntur. *Magistris*, inquit Philosophorum alpha, *non potest reddi æquivalens.*

EXPOSITIO. An non hic solertissimus veri investigator Philosophus, minimè dubiam, quasi ex Apollinis oraculo protulit sententiam; Quid enim veritati conformius? Quid appositum magis dici potuit ad persuadendas grati animi vices discentibus erga eos, à quibus primos literarum fontes combiberunt; Apprimè enim, ut existimo, perspectum habuit virorum sapientissimus, quos exantlare decumanos propè labores, quæ exsorbere tædia, quas exhaurire molestias iis sit necesse, qui instutuendæ probis artibus adolescentiæ propositi sunt Imperio Majorum Nulla dies abit sinè mordente cura, nulla nox præterit sinè interpolata, ruptáque quiete, cogitatio omnis impenditur in discentium progressum. Atque ita corpus enervatur, vires exhauriuntur, valetudo licèt solida atteritur, umbra nonnunquàm similiores, quàm homini evadant bonarum Artium præceptores. Et quamvis vitam ipsam ponere sint parati, quò animâ veræ doctrinæ animent, informéntque subjectam sibi juventutem, quæ demum pro impenso liberaliter scientiarum pretio, pio quotidiana opera, pro jugi labore ac sudore, quæ grati animi testificatio, quæ merces, quod minerva; Multa hìc possem, & vero veriora dicere, Sed. Et quamquàm nonnulli ab ingrati animi vitio longius se abesse glorientur, ac magnitudinem meritorum nulla temporis vetustate obliterandam palam profiteantur; nullúmque officii genus in colendis didascalis prætermittant, nunquam tamen eò poterunt eniti, ut partem aliquam meritorum assequantur, eamque referant gratiam, quam pro ratione tanti beneficii par esset referre. Insideant licèt animis, jugíque memoria recolant collata sibi litterarum munera, benigne suos accipiant pædagogos, pro honore eorum depugnent, augéant dignitate, bonorum copiam, fortunásque eis largiantur, omnémque in illos voluntatem, & benevolentiam conferant ubi ubi tempus, & occasio se tulerit, at-

que

que ità grati animi erigant trophæa : nunquam tamen officia Magiſtrorum paribus officiis poterunt æquare , minùs magnitudinem meritorum multo fœnore remetiri. An non proinde Philoſophorum Princeps ipſemet uſu complurium annorum edoctus rectiſſimè dixit : Magiſtris non poſſe reddi æquivalens? Nè ſi Pythius quidem affirmaſſet, veriora edicere potuiſſet.

CAUSA. Quis enim aſſiduis eorum laboribus , doctiſque in juventutem meritis ex æquo reſponderit , qui nullam non ponunt operam , ut rerum præclariſſimarum cognitione floridam ætatem imbuant, nihilque non agunt eruditâ manu , ut arte, præceptiſque eam poliant , ac perficiant, in deſerviturum rebus publicis emolumentum. Nunquam in officio ſuo dormitant gnavi moderatores adoleſcentiæ, nullum ſtudium , ac induſtriam prætermittunt, quò eam ad normam virtutis, ac Doctrinæ ſanioris dirigant, nihilque antiquius habent , quàm ut incenſos bonarum artium deſiderio, in illuſtria ſapientiæ decora efforment , & quaſi per quoſdam gradus ſubordinatarum ſibi ſcientiarum, ad gloriæ faſtigia evehant, in generis ſui lumina, & patriæ ornamenta. Eſt equidem nonnullorum ingenium ſuapte natura felix ager, ad fruges virtutum germinandas, ſed dum in denſiorem vitiorum ſylvam fruticat , quantùm operæ [DEUM immortalem,] in evellendis peſtiferarum cupiditatum plantis, luxurieque pravarum affectionum, quantum inquam, operæ, negotiſque ponere eſt neceſſe , ut ad cultoris arbitrium ſementem recipiant virtutum. Quot ad florentiſſima literarum viridaria indolati accedunt ſtipites, quot trunci carnei, quot tortuoſi , & abnormes caudices, quos impigra topiarii, ac fundatoris ſcolaſtici ſolertia indies aſciat, edolat, runcinat, nec non ſudore multo irrigat, ut fructum ferant in autumno ætatis. O quot aſperitate ſaxei, obſtinatione marmorei, formandi ſunt in honoris ſimulacra, ſummáque virium contentione fingendi, poliendique in honoris, ac dignitatis ſculprile, qui ignobilia jacuiſſent ſaxa, pedibus omnium per vicos, & compita terendi, proculcandi, niſi acri, ſedulòque magiſtrorum ſcalpro, exculti fuiſſent.

CONTRA.

CONTRARIUM. Sed quæ demum pro tanta animorum cultura, viget apud eos memoria, quæ officiorum promptitudo? Pudet, pigétque verbis promere, mundòque palam facere. Interit penitus, æternaque ſepelitur oblivione meritorum recordatio; & in vicem debiti officii, de referenda gratia nè quidem cogitatio ſuſcipitur, quin animi ingrati culpa, qua nihil eſt iniquius, contrahitur, omníſque memoria accepti beneficii obſcuratur. O quàm multos hodiéque repetire eſt, qui labores, ſudores, vigilias, omnémque docentium induſtriam, malis neutiquam hic recenſendis, ſatagunt penſare. Tulerint olim in oculis, effuſiſſiméque dilexerint literarum doctores, aut, quod interdum uſuvenit, ſub ſpecie ſimulationis, officio urbanitatis proſecuti fuerint; jam odio pluſquam Vatiniano eos inſectantur. Arriſerint eos aliquando placide, verbíſque melle illitis eos delinire ſtuduerint? quò meritas delictis ſuis pœnas vel averterent, vel attemperarent; jam oculis veneno turgeſcentibus averſantur, utinam non maledictis proſcindant. Diſuavitati quandoque fuerint mollibus labellis benigniorem in ſe dexteram; jam dentes, & ungues acuunt in eorum lanienam. Et ſi quid ſanioris doctrinæ combiberint; non tantum non palam profiteri erubeſcunt, ex quo fonte hauſerint, ſed artium bonarum venam, felicémque ſcatebram obſtruere, & oppilare per aggeſta opprobria moliuntur. O quoties in illos maledicam diſtingunt linguam, ſatyricè inceſſunt, auhoritatem eorum concidunt, & ad ſempiternas infamiæ umbras illos damnari ardent, à quibus ſcientiarum luminibus ſunt illuſtrati.

SIMILE. Hi profectò acceptarum gratiarum immemores diſcipuli, equinum imitantur pullum, cui perjucundum eſt dentes infigere in parentem. Nec abſimiles cenſeam terreis vaporibus, Solis virtute in altum ſublevatis, qui poſteaquam ſublimiorem aeris regionem invaſerint; in ipſam ſideris hujus illuſtriſſimi faciem depugnant, eam innatâ ſibi caligine occæcare molientes. Luculentam quoque ingrati ejuſcemodi animi parilitatem, oculis noſtris, exhibet, apprimè cognita voraciſſimi ignis natura. Quemadmodum enim hæc inſana Vulcani rabies, illam ipſam

mate-

materiam, quæ ei alendo, fovendo, sustentandoque ministratur, rapidissimâ flammâ depopulatur, & schidias, asses, struicésque lignorum, quibus augmentum capit, in cineres tandem redigit, & favillas: haud secus nonnullos videre est excisos non ità pridem de medulia trunci Cherephontes; ingeniorum caudices, cruda robora, quæ ubi acapna reddideris, luce scientiarum perfuderis, in grandia reipublicæ lumina accenderis? illustrioris gloriæ suæ auspicia nè respiciunt quidem, sed primordia honoris sui tenebris infamiæ obruere nituntur, & si vires animo non deforent, moderatorum suorum splendori non tam officerent, quàm nomen eorum cum vita præstinguerent. O ignes? O lumina? sed de genere fatui. Ignes de cœlo Lunæ decidui, quę quanto ampliore à lucis patre augetur lumine, tantò magis à fonte lucis elongatur. O ingrati viperarum partus, qui in viscera altricis sapientię barbarè, crudelitérque nonnunquam desęvitis.; Hocne est memorem beneficiorum pręstare animum? Hoc reddere magistris æquivalens, Prô pudor, prô crimen, O fędi ex Archanes prosapia surculi, qui ex bono malum, ex salutaribus artium, scientiarùmque viridariis toxica exsurgitis, pleno gutture in pręceptorum interitum evomentes, O caninam ejusmodi ingratorum rabiem, non in commentitium Actionem, sed in studiosos vestri nutritores sęvissimè debacchantem, quos Hipponacteo pręconio, Archilochia mordacitate, Zoilique maledicentia, nè deteriora referam, vellicatis.

EXEMPLA. Testem hujus veritatis appello, magnum illud lumen Græciæ Socratem, Apollinis ipsius arbitratu, sapientissimum omnium mortalium renuntiatum, quísque apud omnes Principes, & velut Dictator audiit Philosophorum. Et tamen, quid ei Athenæ in grati animi vices, ac mnemosynon, pro Attica juventute solertissimè instituta refudêre, Quid auguramini, quid censetis, An fortè lumen illud patriæ, novo conspicuoque honoris splendore ornârunt, illustrârunt, haudquaquam, An in amplissimo dignitatis gradu, hoc prodigium sapientiæ statuêre, nihil minùs. An copiosas opes, & fortunas in tot annorum merita contulere, neutiquam. Sed [ô dolor] sed

sed [ô pudor;] sed (vix à lacrymis tempero] sed (propè in justam accendor iram) sed virum sapientiæ laude clarissimum), adeòque de republica bene meritum, è vivorum numero exturbarunt. [a] Vah detestabile ingrati animi crimen! Idem penè subiiset fatum, quod Socrates, sanctitatis æquè, ac fama scientiæ inclytus ille Arsenius, Theodosii filiorum, in virtute, & literis sapiens moderator. Forsan jussu providi, magníque Patris, in juvenilia Arcadii delicta, ut fas erat, scholæ fasces strinxit, ac expediit. Quid ad rigidiorem disciplinam Arcadius? necem Doctori suo inferre molitus est, propè Nero ex Arcadio factus. [b] Neronis memoriam usurpavi? O ingratum capud, non Romani Imperii diademate, at serto viperarum coronandum: Neronis mentionem injeci? O humani sanguinis hirudo, qui trabeam Principis, murice non affatim saturatam censuit, nisi cruore è venis Senecæ magistri sui effluente, eam amplius tingeret, ac purpuraret. [c] Nec solùm orbis Principes, ingratitudinis labem sibi adspersère; sed & pusiones analphabeti, in pædotribas suos ingrati animi vitio surrexère. Hoc mineral retulit in pædagogio D. Cassianus. Forsan is, pro tradita sibi docendi teneriorem ætatem provincia, in protervos, ac licentiores adolescentulorum mores, ut par erat, acerbius est invectus. Quid hic intempestivi cœpere consilii discincti nepotuli; quò levitatibus suis vacare, papiliones aucupari, diémque ineptiis, ac futilibus jocis obterere valerent? Quid egere fræni impatientes, suasúque temeritatis procaces tyrunculi, Prô scelus post homines natos inauditum, Dum forsan in protervum quendam, ac immorigerum, stylo ulmeo animadvertit castigator optimus? omnes vindicem æquissimum levitatis, facto impete, obruunt: elementorum tabulas in capite venerando diffringunt, & graphiis punctum per mille vulnera saucium, immaniter contrucidant. [d] Hæc nempe merces sæpenumero redditur operosis sudoribus magistri, si non telis ferreis, certè ferto sævioribus discentium linguis. Hoc æquivalens exhaustis decumano labore præceptoribus literarum

[a] *Sabellic. lib. 7. c. 2.* [b] *Niceph. lib. 12. c. 23.* (c] *Sueton. in Neron.* (d] *Baron. ad 13. augusti in Martyrol.*

rarum reddi non rarò assolet , ut non uno didicimus experimento. At longè aliam grati animi tesseram, ante oculos mentis semper habuit, ut avita referunt monumenta, Alexander ille Macedo, orbis propè universi domitor maximus qui datum sibi à Philippo Patre magistrum Aristotelem magnoperè coluit, ac adamavit, edicens: se illi non minus, quàm Patri debere , quod à Patre vivendi , à Præceptore bene vivendi initium accepisset. (e) Hunc imitatione laude dignissimâ consecutus est Achilles, bellicâ virtute inclytus, qui Phænicem moderatorem suum, ab Agamemnone negotiorum gratiâ subinde ad se legatum, & honorificè habuit, & regni dimidium eidem detulit, gratificandi studio impulsus , ob navatam aliquando operam gnavi præceptoris. (f) Horum à vestigiis , ut innumeros alios prætercam Gratianus Imperator non descivit, qui Ausonium, à quo literis, probisque moribus imbutus est, Consulem crevit, omniúmque suorum arcanorum conscium habere voluit, pluris eum faciens, quàm progenitores suos, à quibus vitam , & sanguinem, non æquè virtutem accepisset. (g) Hi profectò quamvis reddi æquivalens magistris non posse apprimè scirent, ea tamen memoris animi dedêre argumenta, quæ à debita gratitudine poterant proficisci.

TESTIMONIA. Hanc præcepisse juris ordine videtur Romani fori gloria Marcus Tullius, ita inquiens: *Pædagogi negligendi minimè sunt sed maximopere colendi.* (h) Hujus præceptioni adstipulatur magnus ille morum magister Epictetus, in hunc modum disserens: *officia erga bonarum artium Doctores, eadem sunt, quæ erga parentes, & fortasse cum aliquo cumulo, quod hi altores, & curatores non corporis nostri, sed nostri ipsorum sunt : idque nec naturali necessitate, ut parentes, tum apud bruta animantes, tum apud homines , sed bona voluntate divinam Bonitatem imitante, quæ animas in ortum delapsas, eò, unde venerunt, reducere conatur. Illud etiam præterea habeant officia adversus magistros*

(e) *Plut. in Alex.* [f] *Homer. iliad.* 9. [g] *Sign. lib.* 8. *Imp. Occid.* [h] 3. *de divinitat.*

gistros, *quod omnibus eorum praeceptis*, *tanquam divinis edictis est obtemperandum. Earum enim rerum Doctor*, *quae secundum naturam nobis conveniant*, *nihil praecipiet*, *nisi quod ad hunc finem referatur*. (i) *Haec* enim verò *erudita magistri doctrina* , ut cum melleo Doctore loquamur, *compositum reddit omnem corporis statum*, *nec non mentis habitum* , *cervicem submittit*, *ponit supercilia*, *componit vultum*, *ligat oculos*, *cabinnationes cohibet. moderatur linguam*, *frenat gulam*, *sedat iram*, *format incessum*. Et sacro Oratore Cypriano attestante: est *custos spei*, *retinaculum fidei*, *dux itineris*, *salutaris fomes*, *ac nutrimentum bonae indolis*, *magistra virtutis*. [k] *Haec* demum, ut Romani quoque Sapientis utamur testimonio, *mores facit*, *& illud sapit unusquisque*, *quod didicit*. (l) Pro hac non citra sudorem, & sanguinem tradita, quamquam aequivalens reddi nequeat, animo saltem par munus accepto benificio reddatur. *Optima* quippe, ut oris aurei Orator inquit, *beneficiorum custos*, *est ipsa memoria beneficiorum*, *& perpetua confessio gratiarum*. (m) Id ipsum naturae rationalis ductu edocuit, nunquam satis praedicandus moralis Philosophiae Magister Seneca , ita ad quendam , cui obnoxius fuerat , perscribens: *nunquam tibi gratiam referre potero* : *illud tamen certè non desinam ubique confiteri me referre non posse*. (n) Nam qui gratè beneficium accipit , primam ejus pensionem solvit.

EPILOGUS. Quae cùm ita se habeant neminem vestrûm futurum existimo, qui non manus divinissimo Aristotelis effato daturus sit , omníque saltem officiorum genere , in grati animi testificationem prosecuturus literarum Doctores, quos & ut patres amare , & ut Principes timere oportet, ac neque ob amorem, metum discutere, neque ob metum, benevolentiam obscurare. Sed vos potissimùm mea spectat paraenesis ; qui necdum praeceptoris ferulae manum subduxistis , quique etiamnum studium ponitis in artibus

(i) *in deffert. mor.* (k) *epist. 2. de discipl. & habit. Virg.* [l] *lib. de mor.* (m) *super Math. hom. 25.* (n) *lib. 2. de benefic.*

artibus cognoſcendis. Morem gerite illi, à quo ſaniorem accipitis diſciplinam, & cui par referre non datur, amore, honoréque debito proſequamini. Quod ſi verò indies majorem in virtute, & literis progreſſum feceritis, vitam, & conſolationem addidiſtis magiſtro, plúſque emolumenti, atque commendationis à vobis capiet, quàm congeſta licèt elogia præſtare poſſint. Illud una ſcitote velim, palmarem vos irrogaturos moderatoribus veſtris injuriam; ſi eorum vos diſcipulos profiteamini, quorum ſequi inſtitutum detrectatis. Nam velut probitas diſcentis, ac in literis profectus, cedit in laudem magiſtri, ita eidem venit in dedecus, neſciens doctrinam, aut per ſocordiam ſcire negligens. Agite proinde ſeduli Muſarum alumni, & ſterile ingeniorum veſtrorum ſolum, à dumetis ignorantiæ repurgandum, laborioſo, doctóque præceptoris ſarculo commodate, ut in fæcunditatem animati, maturas olim ſcientiarum fruges in veſtram, ac reipublicæ utilitatem proferatis. Ita exculti, elaboratíque, date gloriam iis, quorum ſudore irrigati, in ſpem magnam creſcitis, & quibus par rependere non valetis, eos honoribus meritis prævenite, laudéque perenni celebrate.

CHRIA VII.

Gratia eloquentiæ non in poſtremis ducenda eſt. *Plutarchus. de Polit.*

EXORDIUM. QUamquam neminem veſtrum ignorare exiſtimem AA. bonarum artium ſtudia, maximam humanæ reipublicæ adferre utilitatem, neque ullum in Album ſapientûm jure accenſeri poſſe, qui non probè fuerit earum præceptionibus, & diſciplinis excultus, ac informatus: eâ tamen opinione præpoſterâ nonnullos laborare intelligo, ut minus utilem, minúſque proficuam augmentent harum artium cognitionem. Næ illi mihi in ſpiſſis, gravibúſque ignorantiæ tenebris verſari, ac fœdâ

mentis caligine destineri videntur, qui scientiarum, artiúmque lumina, nec non earum emolumenta clarissimè perspiciunt. Quod enim Sol, fons, & caput lucis est toti quâ latè patet universo: hoc artes, hoc disciplinæ omnes, ritè ordinatis rebuspublicis sint necesse. Tolle serenissimum mundi oculum ab aspectu mortalium, & longe, lateque tenebris plus quam Cimmeriis omnia circumfundentur. Tolle artium, scientiarùmque soles, & in vetus chaos pulcherrima reipublicæ facies revolvetur. Eam enim vero utilitatem mundo adferunt bonarum artium studia; ut nullum florentissimum licet regnum; nulla civitas, domus nulla, hominúmque societas, suo possit in vigore consistere, ac stabiliri. Et erit etiamnum quispiam, qui ea non unius assis, vel cassâ; vitiosáque nuce æstimet, summámque per ignominiam aspernetur? Erit, qui cum Licinio, ęterno Imperantûm opprobrio, litteras reipublicæ pestem, fatuo sensu ausit compellare; Neminem sanè in præsentiarum eâ laborare dementia existimem, cum artes non habeant hostes, nisi ignorantes. A quo probro cum vos longè alienos videam A A. totóque animo, ac pectore in artium liberalium studia incumbere, non est cur ambigam utilitatem disciplinarum omnium, ac comprimis eloquentiæ, cui vos ex asse dicatos compertum habeo, in rationem dubii amplius revocare. Quò verò dicendi gloriam, atque gratiam, fructúsque ex eâ multo fœnore provenientes, non tam magni ducatis, quam toto animo complectamini, author est vobis Plutarchus Chæronensis Philosophus, sapientiæ famâ, omnigenáque eruditione clarissimus, ita de utilissima hac facultate disserens: ***gratia eloquentiæ non in postremis ducenda est.***

PARAPHR. O sapiens pronunciatum, ac veritati perquam consentaneum! At vero cur Plutarchus in Sapientiæ ipsius gremio enutritus, non verbis amplioribus extulit hanc invictissimam animorum Reginam? Non in postremis ducendam esse asserit, cui primæ jure partes ab aliis rerum scriptoribus tribuuntur. Sed quantùm mihi non levi conjecturâ datur assequi, parcior in celebranda laudibus eloquentia videri voluit, ne aliis disciplinis, artibúsque quid-

quidquam iret derogatum. Nil hoc suo effato, de dignitate, ac magnitudine decerpsit scientiarum facile Principi Theosophiæ, cujus argumentum DEUS est, finis DEUS, forma ipsa digna DEO. Transcendat illa celeri, arduoque volatu rerum humanarum terminos, speculetur inconnivo oculo Monadem in Triade, & Triadem in Monade, & sagaciori mente perscrutetur incorporeas intelligentiarum naturas, & circumscriptas mundi sublunaris angustias altissimè transgrediatur. Habeat suum sibi Jurisprudentia encomium, ab æqua justitiæ statera, à sanctissimis Cæsarum institutis, à legum, & decretorum scita partitione, Proponant juris utriusque dogmata, benefactis honores, & præmia? decernant malefactis pœnas, & supplicia, excitent bonorum studia, coërceántque malorum improbitatem. Plaudant suis Podalirii, & Machaones salutaribus aphorismis, quibus noxiam morborum congeriem, ab humanis corporibus provide arceant, & in vitæ, mortísque confinio positos, sanitati pristinæ reddant, ac incolumes faciant, & longævos. Triumphet suo cum Pœcili; aut Lycæo, rerumpublicarum firmamentum Philosophia, seu quæ de moribus ritè formandis agit, seu quæ rerum naturalium principia, causásque pertractat, seu quæ falsarumopinionum temeritatem arguit, erroréſque amputat, ac circumcidit. Sint hæ, aliæque bonarum artium disciplinæ, civilis vitæ columina, quibus reipublicæ moles innititur; nihil eis suo pronunciato derogat sapiens Plutarchus, nihil demit utilitatis. Illud tamen apud æquos rerum æstimatores evicisse illum arbitror, nec arcanissima Theologiæ mysteria, nec Jurisprudentiæ sancita, nec Hippocratis lemmata, nec Stagyræ placita, nec ulla quarumcumque demum artium dogmata, sinè eloquentiæ interventu, ut par est, posse explanari. Quare è mente Plutarchi, nemo hanc artium omnium administram, utilitate sua destitutam arguat; nemo à rostris, & pulpitis, hoc rerum publicarum præsidium, censeat esse arcendum. Ut verò præcellentissimæ hujus facultatis emolumenta, sole ipso clarius elucescant, ipsum ejusdem genium, penitius mecum libeat, reducto tantisper sipario, contemplari. Et eccum ipsa pro-

dit in orbis theatrum, virgineo vultu, habitúque conspicua non calamistro, & cincinnis decora; non cerusá, stibióque delibuta, non emendicatâ à Gratiis formâ, sed qualem verecundia, modestiáque sibi effingere potest. Dicite, amabò, AA, an non hæc est illa potentissima animorum Regina, legum architecta, moderatrix Provinciarum? Dicite, an non vera morum est magistra; vitæ norma, & temperatrix optima cupiditatum? Hæc enimverò Auditorum ferrea licèt pectora novit elliquare: hæc exorbitantes ab æqui tramite homines ad semitam virtutis reducit: hæc vitæ rectè instituendæ præscribit regulas, mores format ad amussim probitatis, leges dictat populis, dominatur regnis, & provinciis, orbemque moderatur universum. Equidem sic existimo, neminem adeo à mente alienum esse; qui dum hæc accuratè, cogitatéque perpendit minus accommodam, minúsque rebuspublicis opportunam arbitrari possit eloquentiam. Quòd si tamen de ejusdem utilitate, adhuc animis pendetis AA, concedite mecum ad triumphatricis eloquentiæ promptuarium, & videbitis instructissimam omnigenorum armorum panopliam, in rerumpublicarum præsidium, ac tutelam ritè apparatam. Objicientur oculis vestris validissimæ argumentorum acies, ad hostiles vitiorum exercitus profligandos. Spectabitis rationum tela, ad protervas, & repugnantes hominum voluntates, imperio rationis subjiciendas. Obversabitur ante oculos vestros, potentissima hæc animorum debellatrix, in orchestra literaria, formare in eruditionis prælia primum juventutis vigorem, & tam manum, quàm vocem, tam gestum, quam oculos, omnéque corporis artus, in bella oratoria scitè conformare. Tanta nimirum commoda, & præsidia in rerum publicarum bonum proveniunt ab hac invictissima animorum dominatrice eloquentia.

CAUSA. Ut ut sint hæc, non minus utilitatis adferunt cætera, quæ ex latè patenti eloquentiæ Oceano, continuâ scaturigne dimanant, nobísque non levia adferunt causæ momenta, non tam solerter ediscendæ, quam in maximis ponendæ. Quid enim est, quod non vi, ac virtute suâ efficiat in animis hominum eloquentia? Oppone illi, si lubet

bet firmissimam, liberrimámque arcem pectoris, nullo alioquin auro, ferróque expugnabilem, expugnabit eloquentia, Objice flagrantes, ardentésque furoris ignibus urbium seditiones, restinguet eloquentia. Oppone frigida, constrictáque veterni gelu ignavorum corda, facibus suis effervens inflammabit eloquentia. Objice tumentes, insanientésque spe mortales, odio plusquàm Vatiniano dissidentes & arrogantiâ supra modum elatos, retundet spem metu eloquentia, odium compescet amore, arrogantiam verecundiâ temperabit: nec strictis, intentatísque mucronibus, sed verbis, sed oratione, sed rationum momentis acerrimè, feliciterque depugnabit, & victoriam omnium maximam, pulcherrimamque de omni hominum genere reportabit. Hæc sola, atque unica cohortatur ad virtutem ardentius, à vitiis revocat acriùs, improbos vituperat asperiùs, probos laudat ornatius, cupiditatem frangit vehementius, mærorem levat mitius, & in omnes affectus suum exercet dominatum. Inflammandi sunt animi, in ignem accenditur: ritè compungendi, in stimulos acuitur: illustrandi, funditur in lucem: consolandi, spargitur in illecebras: compescendi, frænum est; persanandi, panacea est: deliniendi, fit Sirenula, & grato, utilique verborum lenocinio, varios, & admirabiles in animis hominum motus procurat Quid quod suo arbitratu, tempestates in cordibus mortalium excitat, ac sedat: blanditur, & fulgurat: hilarescit, & tonat: cudit fulmina, quibus percellat; depluit voluptates, quibus illiciat: spargit flores, quibus exornet: ornat: ut delectet, delactat, ut juvet, juvat, ut excitet, excitat, ut privata juxta, ac publica attemperet, rectóque in ordine constituat universa. Hoc enim verò magnum quiddam est, hoc admirabile, hoc propè divinum. Video jam, nisi mea me fallat opinio, hoc rationum pondere inclinatos, pronissima vos ferri voluntate in amorem, ac sequelam artis hujus facile principis, quæ præter alia emolumenta, innumeras malorum pestes e reipùblicæ gremio eliminat, & profligat. De quo ne ullus ambigendi locus relinquatur, concipite animis AA. quæcunque demum noxia reipublicæ, ac pestilens omnium malo-

rum congeries in ejus perniciem invehatur, hæc sola, atque unica proscribet imperio suo eloquentia. Erumpat cum universo vitiorum choragio; malesuada desidiæ, otiíque corruptela, bellúmque moveat literarum strategis: una se se opponet eloquentia, quæ hanc luem animorum, cum tota vitiorum cohorte, ex urbibus, regnis, ac provinciis exturbabit. Corrumpat illa consilia, hæc restaurat: pervertat tribunalia, hæc reformat: enervet castra militaria; hæc confortat: demoliatur illa respublicas, & Imperia; hæc ædificat: obruat languore scientiarum emporia; invadat Tullii rostra, omniaque tenebris ignorantiæ involvat, Una, una languorem eloquentia arcet ab scientiarum Athenæo, ab orchestra oratoria segnitiem ejicit, & fædas ignorantiæ umbras felicissimè dissipat, ac proturbat. Quid multis, nihil est adeò immane, atque exitiale, nihil adeò noxium, & formidabile, quod invicto eloquentiæ robore non sternatur, non gloriosissimè profligetur. O fortunatam rempublicam, eloquentiæ præsidiis roboratam! O felicitati proxima Regum augustalia, huic potenti Reginæ desponsa! O beatissimas urbium, quæ huic flexanimæ arti stabilem sedem fixêre, eíque liberos suos erudiendos, formandósque commisêre.

CONTRARIUM. Verùm enim verò videor mihi nonneminem audiri, de triviali popularium fæce obstrepentem, & in hæc verba obgannientem: quid demum ex bracteata illa verborum congerie, in juventutem exsurgere potest emolumenti? Ecquid respublicas juverit, fastaso, tumentéque verborum ambitu, res natura suâ perspicuas circumscribere, ac declarare? Quid phalerata illa cum universo suo apparatu eloquentia, orbi tandem peperit utilitatis? Hæc ille de trivio Cato. O scitum hominem! næ tu mihi in sapientûm subselliis primas tenere videris. O homurculum merum rus olentem! O deridendam toto splene dementiam? Prô DEUM immortalem! eane de facultate longè præstantissima, utilissimáque, præpostera te habet sententia? Quò versano ruis arbitrio? Quo cæca, fatuaque raperis temeritate? At nolim tricari cum umbra scarabæi, verborumque prælium inire cum homine triobulari,

ri, nulliúsque ordinis, ac loci. Sentiat, quod ignorat, deblateret, quod libet, terræ filius, expers verâ rerum cognitione. Ajo ego, suffragante mihi universo Sapientum collegio, eloqui oratoriè, res inventas, digestásque ordine apposito, & verborum, sententiarùmque pondere gravidas, cum apta moderatione vocis, & gestûs ad audientes deferre, provinciam esse longè præclarissimam, rebúsque publicis admodum salutarem. Quod nè inani verborum lenocinio quispiam à me dictum existimet ? vos ego hic præsentes, atque æquissimos rerum arbitros appello, quibus semper versatur ante oculos boni publici ratio, atque emolumentum: dicite, an non eloquentia rerum forensium momenta, dicasteriorum consilia, Patrum sancita, semotâ verborum barbarie omnibus perosâ, cultiore eloquii proferat majestate? Quæ ars literaria, neglectum, incultúmque sermonem, ingratam numerorum asperitatem removet à curiis, & tribunalibus? an non eloquentia, Dicite, quę facultas acceptam auribus dicendi copiam, cultam, politámque facundiam rebus gerendis superfundit, an non eloquentia? Hæc enim verò delecto verborum nitore insontes tuetur in judiciis, nocentes reos agit: capitis pericula avertit, scelera, & improbitatem comprimit; dissuadet patrię perniciosa: pręscribit utilia: conservat authoritatem senatus consilio, amolitur contemptum: procurat salutem calamitosis; impios fulminante voce vulnerat: reprimit ambitionem, fręnat voluptatem, vitia profligat, nihilque non agit culta verborum, ac sententiarum copia, quod non reipublicæ eveniat proficuum, ac salutare. Ex quibus consectarium est, beatam, perennémque vigere illam rempublicam; quæ curiis, ac tribunalibus, judiciis, ac consiliis eloquentiæ operam sibi adsciscit, rerúmque agendarum deligit administram. Quod igitur rem communem bene constitutam, quod seditionibus liberam, quod tranquillam, & pacatam non rarò videamus, quódque novis indies gloriæ, aliorum bonorum incrementis amplificari gratulemur; fructus ii sunt; & monumenta eloquentiæ, Datę mihi ex adverso Rempublicam aliquam ejus præsidiis destitutam, an non collapsâ disciplina, vitiis conta-

taminatam, turbulentis motibus concitatam, invidiæ fluctibus jactatam, vetitis amoribus irretitam, civésque omnes ad nefarias molitiones, ad furta, ad rapinas, & in omne vitiorum genus ferri, rapíque videbitis. Date, inquam, rempublicam, in qua nulla ratio, nulla honestatis species, nulla virtutum exempla reluceant: quid illa fœdius, quid detestabilius, quid perniciosius esse potest; Hanc ego non rempublicam, sed furum, latronúmque receptaculum, sicariorum perfugium non abs re dixero, ac cætum hominum ex omni scelere, ac nequitia conflatum. His profectò malis exempta foret, legibusque gubernaretur optimis, si dogmata moderatricis eloquentiæ sequerentur membra rerum publicarum. Adeò nimirum hæc oratoria facultas opportuna est, ac pernecessaria urbibus ritè dirigendis.

SIMILE. Verùm ut ejus utilitatem, in regnorum, ac Provinciarum commoda pleno alveo dimanantem, parabolicè declaremus: ecquis vestrum est, appello experientiam, ecquis sæpenumerò non persensit, eloquentiam torrentis in morem, non sine fragore, & impetu, per salebrosa hominum pectora decurrere, flagitiorum sementem evellere noxiam vitiorum herbam extirpare, omnémque pravam vivendi consuetudinem vi quadam ineluctabili elidere, atque expugnare. Neque à veritatis orbita deflexero, si eloquentiam comparavero flumini, jam placido, æquabilíque genere dicendi uberrimè diffuso: jam verò ferventiori spiritu, ceu ventis incitato, affectuúmque procellas, ac tempestates excitanti. Flumen est eloquentia, sed jam tenui, blanda, leníque oratione in aures, animósque hominum illabitur: jam verò in nubem iratam coacta, tonat, fulminat, omniáque permiscet cum Pericle. At quò transversus rapior? Flumini contuli eloquentiam, parcite, errore lapsus sum: secus longe se habet gratia dicendi. Nullum quippe flumen tanta pernicitate per abrupta mentium rapitur, quanto impetu, ac celeritate in præcordia audientium defluit eloquentia. Non ita ripas suas transgrediens diffusus septemplici ostio Nilus, agrorum vastitatem fœcundat; velut ad producendam virtutum messem, animis fertilitatem impertat eloquentia. Et adhuc quisquam

ejus

ejus utilitatem in dubium poterit revocare ? adhuc eam, ceu noxiam felicitati publicæ arbitrari ? Næ illum à ratione aversum, & nescio qua Erynni percitum jure reputaro. At longe alia vobis rationis luminis præditis, de arte dicendi cadit, sententia? qui non ignoratis, quanta in omnem hominum conditionum ab ea veniat emolumenta. Illud tamen scitote velim universi, ac comprimis eloquentiæ alumni, nullum ad immensum ejus decus, ac gloriam, adeò rei communi accommodam, perventurum, quem non mirificus exercitationis ardor, in ea penitus condiscenda inflammarit. Frequenti quippe rerum usu, ingenii vis omnis, industriáque viget, generosæ mentis flammæ in opus accenduntur, & quidquid magna laude dignum evadit, pulchum, absolutum, rebúsque publicis utile, id usu, atque exercitatione comparatur. Nemo profectò in peritum navis rectorem se emersisse valet gloriari, quin sæpe sæpius decumanis fluctibus jactatus, atque inter undarum obluctantium procellas, arte, & consilio valuerit navis dirigendæ. Nemo insigni um athletarum syllabo accensere potest? ni crebrius in palæstra athletica, jam eminus, jam cominus hostem noverit lacessere, jam ensem inclinare, jam erigere, jam manu lateraliter ad pectus conversâ mucronem dirigere, jam aversâ retrorsum obliquare, omnémque in partem pugilum ritu evibrare. Nemo unquam ad fastigium Imperatoriæ dignitatis, ac eminentem belli Ducis honorem gradum fecit, nisi perfrequens inter nubes pyrii pulveris, inter armorum se se collidentium fragores, inter ænearum fistularum tonitrua, inter minantes hostium furores, inter cædes, & funera, mortes & vulnera fuerit versatus, & enutritus. Et quisquam vestrûm de præclaro in arte dicendi progressu sibi blandiatur, quisquam reipublicæ bono operam se navigare existimet, qui non die, noctéque, & multa annorum sibi succedentium serie, in hac facultate fuerit expolitus? Firmum proinde, atque fixum sit, hanc præstantem dicendi gloriam in emolumentum vitæ civilis natam esse, & quanto quisque in ea fuerit exercitatior, tantò ampliorem parere Reipublicæ utilitatem. Non equidem is sum, qui liberum quidlibet sentiendi arbitrium,

in

in meam cogere sententiam, temerario ausu præsumam: ea tamen me habet opinio, eámque lego ex oculis vestris conjecturam, neminem deinceps in partes adversarias concessurum.

EXEMPLUM. Quod ut vestro, Reipublicæque bono, eveniat, firmet animos vestros non mea, sed ipsiusmet Tullii flexanima dicendi facultas, quem vobis, ut Principem eloquentiæ, statuimus in exemplar. Quod si tamen non tam orator, quam objurgator nonnullorum socordiæ fuerit; ne, obsecro, ei succenseatis. cùm vos non lateat, exangues animas, seposito verborum lenocinio, acriore uti adversus vitia oratione. Exsurgat itaque è tumulo, ac cineribus suis Romani fori gloria, lingua, Latii, echo univer. Et en hic ante pedes vestros consistit, & hac, simi-líve ratione, eloquentiæ utilitatem nititur persuadere. Equidem à primordio ætatis consecravi me diligentiæ, pro adipiscenda ritè eloquendi copia; vos inertes desidiæ damnati estis. Ego sanè comparandæ huic facultati tantùm studii attribui: ut nulla fuerit regio; nulla provincia, civitas nulla quam non complectendæ animo eloquentiæ gratia peragrassem: vos in paternis ædibus socordes Endymiones, in sinu negligentiæ delitescitis. Ego laborem, vos quietem, turpéque otium sectamini. Ego noctes; diésque elucubrandis operibus, in utilitatem Reipublicæ impendi: vos tempori minùs utili otio comburendo, nullam non operam datis. O desidiam intolerabilem! O socordiam non ferendam? O ignaviam exanimis, ex urbibus, omníque è Republica profligandam, eliminandam, Expergiscimini tandem è veterno vestro, & transite à quiete, ad laborem, à somno, ad vigilias, à sinu desidiæ, ad gremium diligentię, si honori vestro, Reipublicæ utilitati, gloriæque posterorum consulere in animo habetis. Ah siste tantisper, siste fulminatricem eloquentiam tuam Marce Tulli; omnes enim manibus, pedibúsque in tuam ibunt sententiam; si partam eloquentia Romano populo utilitatem, leni oratione palam facere lubet. Et jam videor te mihi audire dicentem: Ego ille sum, (citra tamen jactantiæ crimen) ego ille sum; qui plurium annorum usu, præceptis

elo-

eloquentiæ probè instructus, uberem Romano Imperio attuli utilitatem. Quid enim? an non robustiore mea facundia, Catilinam nefariam pestem molientem in senatu repressi, Antonii cohortes urbe ejeci; Verrem injustitiæ reum egi; Clodii insidias detexi, Pisonem accusavi, & jam jam imminentem malorum iliadem à republica averti. Ego ille sum, qui fretus eloquentiæ viribus, causam propugnavi Amerini, Archiæ, Cæcinnæ, Dejotari, Marcelli, Ligarii, Murenæ, & complures alios de fortunis, de vita, de honore periclitantes, fremente licèt Curia, injustitiáque reluctante, fortiter, felicitérque tutatus sum. Ego denique ille sum, qui telis eloquentiæ armatus, urbem eripui è manibus hostium, labantem reipublicæ statum erexi? Quirites è parricidarum faucibus extorsi, incendium perditorum hominum restinxi, intestina bella pacifico sermone composui, templa, ac delubra, pulcherrimámque patriam in flore, & vigore, non sinè aperto capitis mei discrimine, quoad potui, conservavi. Et vos artem eloquentiæ ad propugnandum validam, ad accusandum acrem, ad defendenda Imperia firmam, minùs adhuc utilem asseretis? Hæc, aut his similia, omnes elegantiæ consummatum exemplar. Sed nè duntaxat à solo Tullio, absoluto eloquentiæ artifice, laudem hujus facultatis mendicare videamur: testor Athenas, amplissimum, florentissimúmque literarum emporium, in quo referente factorum ordine, facundia clari homines clavum Imperii dirigebant, & pro arbitrio concionum fluctus moderabantur, conflabantque exercitus, ac universum reipublicæ statum ritè administrabant. Is ea tempestate erat Rhetorici nominis splendor, ea potestas, atque dignitas, ut unanimi populorum consensu, In Principes, Duces, eloquentiæ fama celebres deligerentur, cùm singularia ex ea commoda, in vitæ civilis culturam propagari clarissimè viderent. Quid hìc referre juverit laudum præconia, honorum insignia, ac triumphales laureas verticibus impositas Oratorum? Quid recenseam statuas, viris Majestate dicendi clarissimis erectas, & uni quidem Demetrio Phalareo sexaginta supra trecentas, Gorgiæ verò fusum ex obrizo simulacrum? Quid commemo-

rem

rem ovantes Cæsarum curules, ad quas non nisi Imperantûm consortibus dabatur ascensus, Oratoribus, ut Dioni, aliísque bene de Republica meritis, esse concessas? Tanta nimirum erat apud Romanos, ac Græcos eloquentium gloria, tantus honor, tanta majestas. Et ne plura ejuscemodi aggerere videar: quid erat, cur flos nobilitatis Latii, Athenas bonarum artium inventrices, in annos singulos proficisceretur, quam ut comparatam domi eloquendi facultatem per summos, & exquisitos Græciæ præceptores perficerent, non ignorantes, illos duntaxat ad rerum publicarum gubernacula adsciscendos, qui Romana facundia spectabiles essent. Indè Camilli, & Scipiones, inde Pompei, & Cæsares, aliíque fama inclyti in Romanæ gentis gloriam effloruerunt. Nunquam ii honorum fastigia conscendissent, nunquam ad res militates gerendas delecti imperatores fuissent, nisi eloquentia plurimum valuissent. Ita nimirum ad tractandas regnorum fasces, ad propaganda feliciter Imperia, multum conferunt Oratores.

TESTIMONIUM. Quod ut teste locupletissimo comprobemus, non pigeat, tędeátque omnium in vicem accipere, unum illum post hominum memoriam disertissimum, & elegantissimum Romanæ eloquentiæ parentem Marcum Tullium Ciceronem. Diffusiore equidem in laudem facundiæ excurret oratione, sed quæ velut nectare, sitientes omnium aures, atque animos dulcissimè irrigabit. Hęc autem de hac facultate rebus publicis ultissima verba facit libro de Oratore. *Neque vero quicquam præstabilius est, quam posse dicendo tenere hominum cætus, mentes allicere, voluntates impellere quo velit, unde autem velit deducere. Hæc una res in omni libero populo, maximeque in pacatis tranquillisque civitatibus præcipuè semper floruit, semperque dominata est. Quid enim est aut tam admirabile, quam ex infinita multitudine hominum existere unum, qui id quod omnibus natura sit datum, vel solus, vel cum paucis facere possit? Aut tam jucundum cognitu, atque auditu, quàm sapientissimis sententiis, gravibusque verbis, ornata oratio, & perpolita? Aut tam potens, tamque magnificum, quam*

quàm populi motus judicium religiones senatus gravitatem unius oratione converti; Quid tam porrò regium, tam liberale, tam munificum, quàm opem ferre supplicibus, excitare afflictos? dare salutem, liberare periculis, retinere homines in civitate Quid autem tam necessarium: quam tener e semper arma, quibus vel rectus ipse esse possis, vel provocare improbos, vel te ulcisci lacessitus; Age verò, ne semper forum, subsellia, rostra, curiámque mediteris, quid esse potest in otio, aut jucundius, aut magis proprium humanitati quam sermo facetus. ac nulla in re rudis; Hoc enim uno praestamus vel maximè feris, quod colloquimur inter nos, & quod exprimere dicendo sensa possumus. Quamobrem quis hoc jure miretur, summéque in eo elaborandum esse arbitretur, ut quo uno homines bestiis maximè praestent, in hoc hominibus ipsis antecellat; Ut verò jam ad illa summa veniamus, quae vos alia potuit, aut dispersos homines unum in locum congregare, aut à fera, agrestique vita ad hunc humanum cultum, civilémque deducere, aut jam constitutis civitatibus leges, judicia, jura describere, aut ne plura, quae sunt penè innumerabilia, consector, comprehendam brevi Sic enim statuo: perfecti oratoris moderatione, & sapientia, non solum ipsius dignitatem, sed & privatorum plurimorum, & universae Reipublicae salutem maxime contineri. Quamobrem pergite, ut facitis, adolescentes, atque in id studium, in quo estis incumbite, & vobis honori, & amicis utilitati, & Reipublicae emolumento esse potestis. Haec ille Oceanus eloquentiae lib. 2. de Orat.

EPILOGUS. Verùm nè per immensum hoc pelagus. vilis ingenii nostra cymba deferatur, ad portum eam revocamus. At priusquam vela subducamus; liceat adhuc quidpiam ex vobis percontari, [quod apud omnes Reipublicae bono studentes plurimum ponderis habere debet] illud, inquam, ex vobis percontari liceat: [parcite si quaepiam aequo liberius dixero] quid tandem, quid est, quod vos ab hoc utilissimo eloquentiae studio in posterum valeat remorari? Geminum ego ante oculos mentis vestrae statuo rationis momentum, quorum alterum, si hominem sapientis,

tis, admittere est necesse. Aut enim per eloquentiæ facultatem, Reipublicæ emolumentum deferre satagitis, quod à vobis rerum omnium supremus author, quod natura, quod patria æquissimo jure flagitat: aut, quod minimè licet opinari, privatum bonum vestrum, communi anteferre illaudabili decreto constituistis. Quòd si ita comparati estis, ite per me licet ad sordes illiberalium artium, ite ad sutorium atramentum, ad forfices, ad dolabra, ad macellum pristinum, trullas, rutra, ac malleos, ipsi fortunæ vestræ fabri, mundo ignobiles, sibilus, dehonestamentum. Id cùm vobis minimè arridere censeam, qui famæ vestræ nunquam non vivitis memores; agite, & in hæc studia, adeò cuivis Reipublicæ utilia solerter incumbite, si rei communis saluti, vestræque dignitati in tempore prospectum itis. Quamobrem valeat apud vos flexanima Eloquentiæ facultas, instructa lectissimorum verborum copia, sententiarum pondere gravida, ad quævis cum decoro proponenda jugiter opportuna. Sint apud vos magnì validissima illa rationum momenta, quæ contumaces hominum animos virtuti faciunt vectigales Nolite participata ab authore naturæ, corporis, animique dona pessum habere; sed ea ad limam artis hujus ultrò porrigite, in vestrum, & aliorum commodum polienda. Hoc à vobis jure efflagitat patria; quæ vos haud modicis laboribus enutrivit in Atlantes, quibus Reipublicæ moles firmiter, & pacificè innitatur. Patiamini vos formari à præceptionibus artis hujus liberalissimæ, quæ sinè prece, ac pretio, nihil non subministrat accomodum vestro honori, ac emolumento patriæ serviturum. Id si negligitis, venturas continuò DEI pœnas pertimescite, rationem desidiæ vestræ exacturi. Id si non agitis, æterno infamiæ probro notandi, vobis, patriæ, Reipublicæ nunquam abolendam nominis labem accersetis.

***
**
*

CHRIA VIII.

Sunt homines, qui rationem bono concilio à Diis immortalibus datam, in fraudem, malitiámque convertunt.

Cicero 3. de nat. Deorum.

EXORDIUM. SI hodiedum Romani fori gloria, si prodigium illud eloquentiæ, omniúmque Oratorum Princeps rostra conscenderet, & perversum hujus sæculi vivendi usum, ejúsque tortuosum, ac multiplex ingenium, ad veteratorias artes compositum, ex alta sapientiæ suæ specula perviderer; an non misso Catilina, hæc, aut his similia, & in eam impostorum sycophantiam verborum fulmina retorqueret? Quousque improbissimarum fraudum artifices, vitiorum Duces, reipublicæ clades, religionis labes, vitæ civilis pernicies, voragines nequitiarum, machinas dolosarum artium fabricabitis, excudetis? Quousque scelerum coryphæi, virtutum hostes infensissimi, leges fidelitatis, sanctissima morum instituta, provinciarum fœdera, cæteráque humanæ societatis ornamenta, impio ausu violabitis, pervertetis? Quousque vaferrimi, versutissimíque impostores, per astus non ferendos, regnum vestrum proferetis, producetis? Quid? an post sublata humanarum actionum commercia, per funestas regnorum, provinciarúmque ruinas, per fumantes urbium favillas, per calentes patriæ cineres, per æmulorum strages, per hostium vulnera, per innocentum funera decernitis porrò grassari, debachari? Quid? necdum omnes humanitatis leges evertistis, ut fraudibus vestris trophæum figatis, erigatis? Necdum fidei jura omnia oppressistis, ut triumphum orbe toto agat perfidiæ dominatus? Necdum justitiam omnem vertere solum coegistis, ut iniquitati tribunal adornetis? Necdum universum decus honestatis furioso pede protrivistis, ut per calcata virtutum decora, scelus vestrum tutiore semita gradiatur? Vah crimen immane, horridum, execrandum! Adhuc ne reipublicæ pestem, provinciis cala-

mitatem, regnis interitum, urbibus excidium, agris vastitatem, universo denique terrarum orbi perniciem lubet machinari? O calidissima, noxiaque ars vulpinandi! Tuo unius scelere perduntur, non acquiruntur Imperia, vastantur, non instaurantur regna, atteruntur, non stabiliuntur provinciæ: vertuntur, non firmantur urbes, efferantur, non placantur cives, excitantur, non componuntur feroces populi, omniaque mundo ingemiscente, susque deque aguntur. Tuo unius crimine, ô fallaciarum architecta, decrescit Regum potentia, excutiuntur è manibus sceptra, divina juxta, ac humana pervertuntur jura, & ipsæ adeò Principum orbis Monarchiæ dispereunt, aut saltem magnâ ex parte concutiuntur, aut labefactantur. Quamobrem, nè & nos hujus malignitate vitii involvamur, innumerámque malorum iliadem in regna, in provincias, in urbes invehamus: pernecessarium esse duxi tum patriæ, tum saluti vestræ. cæterisque omnibus, quibus sustinendæ reipublicæ moles incumbit, ut ejuscemodi perfidorum hominum molimina, tanquam præsentissimam pestem, ex urbibus, ex provinciis, è toto orbe terrarum protinùs exterminetis. Vestrum igitur erit AA. qui vero, germanóque in rempublicam amore (quâ nulla res potior cuiquam esse debet] semper ferimini, vestrum, inquam, erit, quod ratio muneris, boníque communis procurandi studium à vobis jure flagitat, ut duplicis animi vitium confestim ab sedibus patriæ, omniúmque animis excesse jubeatis. Hæc aliáve majori spiritu animata, disertissimus post hominum memoriam Tullius, verba faceret, si ei videre daretur sæculi nostri malignitatem. Erant equidem illâ ætate veteratores callidi, perniciem reipublicæ molientes, de quibus effatum illud Oratoris: *sunt homines, qui rationem bono consilio a Diis immortalibus datam, in fraudem malitiámque convertunt* sed in comparatione sæculi nostri usque adeò hac fallaci arte depravati, minus reos existimem fuci, longíque quibus aliis vafrè, captioséque imponunt. Sed ut pravitatem doli pessimi, fortè ad mentem Tulli aliquatenus elucidemus, libeat tantisper mecum ejusdem genium, ac imposturas perscrutari.

EXPOSITIO. Prô DEUM immortalem! Quid video? Quæ scena feralis obversatur ante oculos meos? O tempora! ô mo-

ô mores! Omnis jam labor, omne ſtudium, omniſque propè mortalium hujus tempeſtatis induſtria in eo deſudat, ut verſutè fingat genium, ac ingenium, coloratis deludat modis, cor machinationibus obtegat, ſenſum, verborum phaleris velet, vera ad falſitatem traducat, falſa ad veritatem obliquet, & per fallaciæ, ac duplicitatis crimen, incautis animis, oculiſque palpum obtrudat. O tempora! ô mores! Utinam nobis daretur AA. in abditum cordis penetrale alicujus ſycophantæ ingredi, & acutiore mentis oculo ſecreta animi penitùs rimari, quæ monſtra, quæ portenta rerum attonitis nobis objicerentur. Intueremur enim verò prælianteś in corde diſordinatarum paſſionum exercitus, in capite ſtimulos ambitionis pungentis, in ſede rationis primæ veritatis contemptum, in voluntate appetitum haud debitæ magnitudinis gloriæ; in memoria jugem reminiſcentiam injuriæ exiſtimatæ. Si reliquos lubet mecum ſenſus hominis è fraudibus conſarcinati percurrere, audietis in auribus murmura, & obtrectationes, ſtridentiáque opprobriorum plauſtra, guſtabitis in lingua morſicantium ſales calumniarum, odorabimini in naribus callidas fraudum machinationes: palpabitis in manibus argumenta perfidiæ: calcabitis in pedibus greſſum ſuperbiæ, & gradum ſequemini in exitium æmuli feſtinantem. Liceat mihi quoque una vobiſcum verſatiles corporis artus tantiſper intueri. Et quid ſpectabimus? Videbimus in oculis averſum à felicitate proximi obtutum; in dentibus frementem invidiâ dolorem, in voce ſervile verborum lenocinium, in pectore ventoſos arrogantiæ tumores, in pulmone anhelitum ad ſolium gloriæ, in ventre turgidum hydronem gaſtrimargiæ, in viſceribus tormenta ab æmuli fortuna, in ſtomacho indigeſtam vindicati odii cruditatem, in genibus inflexibilem ad divina obſtinationem, in toto corpore formatam ad amuſſim Machiavelliċi corporis ſymmetriam. Quid hic recenſeam innumeros aſtus, & technas, tendiculas, offucias, & ſt[illegible]ionatum, aliáſque logodædalorum vafras artes, plenas impietate? Omnia hæc lubens, volénſque miſſa facio, ne criminis atrocitate perculſus, deficiat ſermo meus. Unum tamen, pro clariore dictorum expoſitione, non prætereundum eſſe vaferrimum cor exiſtimem

ad omne ingenium fraudis ità compositum, ad Ulyssis insidias ità factum, fictúmque, ad versutissimas Sinonis artes ita comparatum, ut nihil in eo desiderari posse videam, ad exprimendam duplicis animi fæditatem. Quare si oculo lynceo speculari libet debachantem in vapido ejuscemodi corde perfidiam: ascendite mecum ad acclivos colles, ad imas valles, discurrite mecum per aperta camporum, investigate sylvas, & nemora, lustra & spelæa? sulcate plenis velis maria, & universi quà latè patet orbis regiones peragrate, & nihil adeò horridum, adeò monstrosum reperturi estis, quod in comparationem venire audeat cum illa fallacissimi cordis machinatione. Non tot mutationes, formásque induit Proteus, non tot enumerat metamorphoses Ovidius, non tot metempsychoses recenset Pythagoras, non tot serpentes parit Libya, non tot monstra producit Africa, quot duplicitatis portenta in uno corde resident hominis perfidi, versipellis. Ibi vulpes discurrunt, quibus deludat: ibi tigrides grassantur, quibus corivialium sanguinem exsugat; ibi leones minitantur, quibus alienam felicitatem dilaniet: ibi pardi stabulantur, quibus innoxios glutiat: ibi lupi in perniciem insontum vigilant: ibi viperæ sub virore spei latitantes, in hostium necem insidiantur. Quid alia referam. Nullum mare ità est profundum, nullum flumen ita sinuosum, nullus labyrinthus adeo est intricatus, ut doli implectuntur in corde vafri sycophatæ. Non tot Hibernia habet puteos, non tot Sicilia charybdes, non tot Oceaneus alveos, non tot Scythia torrentes, non tot varietatus perdus, non tot maculas tigris, non tot colores chamæleon, non tot denique vulpes alit fraudes, quod astus fabricant in officina cordis sui artium dolosarum fabri. Et hæc est fallacis animi, corporísque ad versutias conformati rudis adumbratio. At quamquàm penicillo eloquentiæ, ac vivis figurarum coloribus, animi, corporísque formam illuminare adniterer, nunquam tamen ad genuinum doli archetypon pertingere valerem. Arduum sanè est intimum ejus sinum indagare, penitúsque cognoscere, qui non apparet, quod est, & non est, quod apparet. Frons palliata, characterissimus est ficti thrasonis. Quod patet in facie, non renidet in corde. Sub aspectu auroræ ridentis, cor tene-

bris

bris involvit, & sub serenissima in vultu die, noctem in pectore gerit.

CAUSA. Has tenebras sub lucis schemate nobis illudentes, ad inferorum umbras remittendi, licet plurimas, easque graviores causas adferre valeam, illa tamen in præsens sufficerit, quòd non duntaxat humanum, sed & divinum jus per summam iniquitatem evertatur. Quis ferat Orthodoxæ fidei autoratus, ter sancti Numinis Providentiam, per fraudum architectos subrui, ejusque in solio, ab tota rerum universitate venerando, duplicitatis idolum statui, fædéque collocari? Quis æquus sacrorum æstimator, patienti animo sustineat timorem DEI, reverentiam Religionis, ex hominum pectoribus sacrilegio ausu exturbari, tanquam cœco fatorum impetu regantur omnia: nec habeat probus, quod virtutis suæ speret premium, nec improbus, quòd metuat fulmen, ultricésque pœnas perhorrescat? O DEUM immortalem! quot etiamnum hodie personati, larváque fallaciæ velati, Christiano gaudent nomine, qui, licet naturale lumen eis adversetur, nullum inesse Cælo Numen arbitrantur, sed universam rerum seriem fortuitè duntaxat regi existimant, tametsi deforis sententiam animi colorent, nefarium dogma studiosè cælantes, occulentes. O quot reperire est hoc depravato sæculo, qui simulate Religionem colunt propalam, quam tamen clanculum ludum sibi faciunt, & deridiculum, quam sine rubore, sine pudore, exuti omnem habitum verecundiæ, protervè, ac procaciter traducunt, & maledictis miserandum in modum ita proscindunt, ut satis, superque prodant, nullo apud eos loco esse sacrosancta Fidei mysteria, cultúmque Numinis æviterni. O superi! propè in sanguineas colliquesco lacrymas dum haud vanis rumoribus accipio; nonnullos mortalium eatenus Religionis cultum probare, ac retinere; quatenus rei familiari amplificandæ, aut continendis in disciplina civili populis, vident deservire. Non secus se habent ejuscemodi fronte, non mente Christiani, ac ludos agentes Roscii, & pantomimi, qui in mundi scena, aliam semper, aliàmque vaferrimè assumunt personam. Larvam equidem, ac speciem pietatis præseferunt, sed felicitatem suam non ex religione, justitia, ac probitate, verum ex rerum terrenarum

commodis, ac bonorum per fas, & nefas dilatatione metiuntur Aras nonnunquam ponunt, sed fortunæ. Litant persæpe, sed fallaciæ, ac fraudi. Adolent thura, sed idolo status. Pro æde sacra, est illis curia, ac prætorium iniquitatis pro æditu, Si non, aut Phrynondas, pro Numine, aut seipsos venerantur, aut Midas, Cærosos, vel in amplissimo dignitatis gradu confidentes. Leges æternæ sunt apud illos fabulæ, Aliam non profitentur vitam, quam præsentem: aliud bonum non amant, quam periturum. Æternitatem rident tanquam punctum indivisibile, quod tot capere non possit. Paradisum asserunt, sed vel paradoxum, vel quem confinxit impietas Machometis. Infernum transformant in commentum, omniáque Fidei salvificæ capita ad pedes suos abjiciunt, cum eorum supremo Authore proterenda, proculcanda. Quamobrem cum nullum actionum humanarum arbitrum, cuique pro meritis vitæ æqua tribuentem pretia, aut supplicia velint agnoscere, quid est, quod miremur eos, pro libertate sua, per innocentum grassari cædes, per æmulorum bacchari ruinas, viduas, & orphanos depeculari, juris ordinem pervertere, facinus omne perpetrare, DEUM, divináque per summam ignominiam aspernari. Vah scelus impium! dogma nefarium, execrabile, detestandum! Exhorrescat Cælum! contremiscat terra ad hoc immane, sacrilegiúmque facinus, nulli crimini, ac flagitio secundum. O beatissimæ mentes! quid? hæcne sine rigidissimo vindictæ flagro otiosi spectabitis? Quid altum tenetis silentium? Eccur tam gravem Conditori vestro injuriam, citra meritissimam ultionem præteritis? O astra! cur toto cœlo fulmina non vibratis in sacrilegos DEI contemptores? O ignis! cur necdum hos Tartari titiones in pulverem redigis, ac favillas? O mare! cur necdum littus tuum egrediens, iratis fluctibus hanc pestem involvis? O terra! adhúcne hoc pondus minimè ferendum, sustinere non gravaberis? Quid? necdum leones de Hircania, hæc scelerum portenta in mille frusta dispergitis? Et vos tigrides oblitæ immanitatis vestræ, has versipelles belluas frustilatim, minutatim non discerpitis? Egredimini, egredimini de saltibus, de spelæis vestris, & hæc præsidiæ monstra, innatâ vobis feritate dilaniate. O magne

magne DEUS! hæc impiissimorum mortalium protervia, sanctissimum Numen tuum aspernatur in minimis ponit sacrosanctæ Fidei mysteria, Christianam pietatem nihili ducit, Religionem sacrilegè proterit, & nullo loco habet, quod lex, quod natura, te inspirante, sanxit, salubritérque vicaria Cæli potestas in terris decrevit. O sancte DEUS! hæcne vides, & connives? Quousque tantam impudentiam, malitiámque patiêre? Quousque abutentur scelesti hi veteratores patientiâ tua? Quin pœnas reposcis tantæ perfidiæ debitas? Sed quid ego benignissimam Numinis clementiam in ultionem provoco? Quid totam rerum universitatem, ad vindicandam Creatoris sui injuriam, intempestivo ausu prolicio; cùm ipsi meritas de se ipsis pœnas sumant, lancinante illos conscientia, domestico tortore: Obversatur enim jugiter ante oculos mentis immanis ille acervus scelerum, quem indies sibi aggesserunt. Exsternat animum horrida illa malorum vorago; in quam se se præcipites ultroneè egerunt. Objicitur trepidæ menti tota perperam actæ vitæ series, inter fraudes, ac fallacias, sibi, aliisque noxias, iniquissimè traducta. Quare pungentibus syntereseos stimulis nocte, diéque infestantur, horrificis flagitiorum monstris attonantur, & spe salutis in desperationem profligata, angore animi, atrocissimóque suppliciorum genere, à se ipsis immaniter plectuntur, cruciantur. Suscipiunt interdum cœlos, & illud videtur in illos tonare, fulminare, & totam sulphuris, atque ignis in caput scelestum moliri tempestatem. Dejiciunt è cœlo in terram oculos, & hæc cum pedibus putatur tremere, aperiri, dehiscere, vivos absorbere. Retorquent mentis oculos in verberatam occulto flagro conscientiam & illic videntur omnes furiæ ex Orco emissæ debacchari. Hæc nimirum legum divinarum æque, ac humanarum contemptoribus merces penditur; hoc pretium veteratoribus pessimis, hoc minerval.

CONTRARIUM. At verò quos DEI amor, timórque in officio, ac statione pietatis retinet, nullâ duplicis animi contagione, noxiáque vel eminùs se afflari patiuntur. Abhorret virtus illorum ab artibus coloratis, nunquam men-

tem fraudum artificio obtegunt, nihil eſt in eis fuci, ſed aperta cum Cælis, ac hominibus agunt ſimplicitate. Quod ſi impoſtores, ac ſycophantæ, aliud fronte mentientes, aliud corde tegentes, officiorum ſimulatione accedant, & in eorum ſe ſe familiaritatem illatebrare moliantur, continuò eis nuntium remittunt, ne artibus implicatis in ſuam, aliorúmque perniciem irretiantur. Nihil hominibus antiquæ fidei eſt negotii cum male feriatis gnathonibus, cum vafris thraſonibus; qui leoninis exuviis vulpinam aſſuunt appendicem, qui inter prima ſapientiæ dogmata, artes fallendi ſtatuunt, quibúſque nihil turpe videtur, quod honeſtatis ſipario obtegi poteſt, ac cælari. Inglorium ſanè, & ab hominis dignitate alienum exiſtimant puri à fraude viri, in aularum gratiam vafris artibus ſe inſinuare, populares auras captare, favores Summatûm aucupari, Principúmque auribus verbis lenocinantibus deſervire. Alia longè eſt doloſi palponis conditio: alia mens logodædalis, rem ſuam aſtu tractantibus, viróque Principes delinientibus popyſmate palliatæ aſſentationis. Quippe in id ſtudium duntaxat ſolertiſſimè incumbunt; ut omnibus dictis, factiſque Procerum annuant, probent improbanda, vituperent laudanda fumóſque vendant, modò ſpes affulgeat aut æris, aut favoris, aut honoris. Quòd ſi verò ſpem inter, & metum fluctuantibus, nubila eant tempora, & circum ratem felicitatis fremant tempeſtates, ſe in portu præſentis fortunæ continent: & intra moderationis limites afflictâ demiſſione commorantur. At ubi ſecundioris fortunæ, ac favoris aura flaverit: ubi honoris, & opum benignior ſpiraverit favonius, tum libertatem nacti; gnaviter rebus ſuis per fas, & nefas deſudant. Videas tum officiorum largos eſſe, ſed quæ nihil habeant impendii: polliceri liberaliter, at nihil præſtare. Ad ejus ſe ſelatus per artem captioſam adjungunt, quem noverint eſſe gratum Jovi. Fallere, circumvenire alios, naſo ſuſpendere, ſubducere dictis aliquem, os alicui ſublinire, urbanum eſſe exiſtimant, ac civile. Nulli palam, apertéque ſunt nocumento: id enim ſecurius à tergo fieri opicantur. Injurias ſilici, benefacta pulveri inſcribunt. Id primis in curis habent, nè cuiquam ſint

obnoxii.

obnoxii, sibi habeant quàm plurimos. Utilitati suæ, ac cōmodis undequaque invigilant, illud in omni actione sagaciter observantes; ut nullam occasionem quæstui faciendo prætereant, seque ad honorum fastigia, quacunque demum fraudis machina provehant, & attollant. Quod ut feliciorem sortiatur eventum, nihil non agunt, quò alienam subruant felicitatem. O abnepotes Ulyssis, O insidias tantò nocentiores, quantò occultiores, O fraudum Magistri, O Argi centoculi, & ad fallendum lynces, O Antæi cum anima triplici, O Geryones cum terno corde,

SIMILE. At duplicitatis vitium clariore fortè parabola illustraturi sumus, si hominem simulationi deditum, bifrontem esse Janum dixerimus, duásque gerentem facies; alteram qua suscipiat affabiliter, alteram, qua deludat fallaciter. Et quemadmodum delubrum in principe urbium Roma Jano consecratum, belli tempore patebat, pacis autem otio claudebatur, unde jam Patmius, jam Clusinus vocitabatur, haud secus præpostera, perversáque dolosi indoles, & natura, felicitate sibi ostium referante, aliis fores gratiæ obserat: ingruente verò, & januam feriente adversa fortuna, ad omne officiorum genus, etiam de infima sorte genitis, ficta benevolentiæ significatione aperitur. Est enim verò Janus homo versipellis, sed qui multiplicat oculos, quibus mores, & actiones æmuli sagaciter exploret, quíque duplicat ora, quibus obtrectatoriè, morum, actionúmque nævos in omnes divulget. Est Janus duplici fronte effrons, gemináque format in duplici mente cogitata: alia, quibus candorem simulatè in lucem proferat; alia: quibus minus providos vafre circumducat. Geminis odoratur naribus: illis protrudit fictos virtutis odores: illis in vulgus efflat alienæ infamiæ pædores. Quid quod duo gerat corda uno in pectore, quorum altero pollicetur amores, altero furores machinatur. Quatuor jactat sub ciliis oculos, sed omnes carent sinceri animi pupilla. Duplici ore loquitur, & duplici mente mentitur. Genas ejus si curiosius pervagari lubet, jam purpurascunt, jam livescunt, jam serenantur, jam obnubilantur: à fronte solvuntur in risum, à tergo in derisum. Semper est dissimi-

lis sibi in simulatione, semper sibi inæqualiter æqualis. Plurima pollicetur; sed ut retractet: dispergit bona; ut colligat? sequitur omnes, ut præcedat: illuminat? sed excæcat: arridet; sed irridet: blanditur, ut decipiat, conciliat, ut perdat: invitat ad familiaritatem; sed ut ex eadem proscribat. Utque paucis plura complectar, est homo professionis duplicis; imò non homo, quia duplex homo: satius dixero cum Philosopho: informis Chimera. Quod si tamen à sensu meo vestra abludit sententia, dicite, per me licet, vani rumoris aura enutritum Chamæleontem, qui nunquam non se se immutando & colore, & affectu, usitatissimum sibi accommodat diverbium: Chameleonte mutabilior. Etenim quot in animo pingit affectuum colores, totidem in vultum reverberatos excipit. Facili negotio viriditatem induit, qui vernantis spei foliis sæpe sæpius sine fructu pascitur. In nigrorem interdum à mærore immutatur, quo funeratam in aula felicitatem pullo habitu comitatur. In colorem auri haud ægrè flavescit, qui unice defigit obrutum in acervos obrizi. Verum, quod minimè cuiquam mirum videatur, nunquam, & nusquam candore investitur. Prodigio quippe foret simile in tanta vitiorum obscuritate, candorem virtutis reperire, aut virtutem candoris. Neque legere datur ingenuinam in genis purpuram, cum nè ad scelera quidem erubescat. Et quo, pacto erubescere valeat, qui projecto in omne nefas animo, ac proculcatà honesti regula, solius commodi sui ducitur ratione; Est denique homo ex fraudibus, & fallaciis compositus diversicolor, ut Chamæleon, multiformis; ut Proteus, mutabilis, ut Nereus, varius, ut Achelous, versatilis, ut vertumnus Nec absimilem censeam veteratorem Pardo, ac comprimis vulpeculæ, haud obscuro calliditatis dolosæ hieroglyphico. Forsan aliquando Pardus vulpem despicatui habuit, eique se se arroganter prætulit sua pelle, tot colorum lepore venusta. Ad hæc subrisit vulpes, edixitque, nè hoc nitore vario tergoris plus æquo se tolleret, eam quippe colorum varietatem, qua ipse plauderet, sibi in animo esse. Imago hæc est multiplicis, ac tortuosi hominis, semper varii versutiis: quas adornat. Vulpem, si caput ejus penitius contemplexis, blandientem ore lyciscam juraveris? at fallaciam in piloso syrmate ver-

verſat. Quid aliud in Simonis alumno videas; quam in primo aggreſſu inſtar Melitæi catelli blandientem, in eventu vulpem fallaciter deludentem. Quid doloſius vulpina caudâ licet mulceat, mollitérque deliniat; ſi interim acerbum vulnus poſt ſe relinquat? Quid ſævius logodædalo, licèt ſe ſanum, ac mella loquatur; ſi interim fella propinet, mortémque vitæ, ac famæ rivalibus accerſat.

EXEMPLA. O quot, quantíque per ejuſmodi fucatos verborum Dædalos, per impiæ ſimulationis officia, æterno infamiæ buſto ſunt tumulati. Quid Beliſarium regni oraculum, in abjectam Iri dejecit conditionem; dejecit perverſa, maligna fraus. [a] Quid Bajazetem tot regnorum potentem ad puerile ludibrium incluſit caveæ? incluſit captioſa, & ultrix fraus. (b] Quid manfredum, inclytum famæ gloria heroëm, ſecuri victimam ſubjecit; ſubjecit fallax, & invida fraus. (c] Quid Agidem, ſublime Imperii caput in laqueum; perfida, nefaria, turbida fraus. [d] Quid Cleandrum Commodi, quid Ablavium Conſtantini, Ruſcium Domitiani? Eutropium Arcadii, Stiliconem Honorii, Flavium Theodoſii, ferali, ac ignominioſa nece funeravit, callida, implicata, fucata fraus. Quid innumeros alios mundi heroës, ſago; ac togâ celebres, in deplorãdas ſanguineis lacrymis ruinas præcipites egit, unica, nullo ſatis, ut par foret cõpellanda nomine inſidioſa fraus, & impoſtura. Nec ſolum per virorum capita graſſatur hæc fallax ſycophantia; ſed ipſum etiam ſequiorem ſexum; quamvis ſcelere immunem, ſub jura mittit Libitinæ. Hujus vitii malignitatem perſenſit, ut alios ſilentii velo obvolvam, Maria Stuarta, Regina Scotiæ; fæmina profectò ceu eruditus ſcriptor perhibet, in quã omnia ſua ornamẽta videatur contuliſſe Natura, Fortuna, Virtus. Nam eo fuit habitu corporis, ea bonorum affluentia, ea mentis bonitate, ut à tribus illis videatur ſuſcepta contentio, ederétne natura mundo pulchriorem, fortunâ feliciorem, an virtus meliorem Et tamen ejus cervicem omnibus mundi coronis dignam, carnificis gladio dolus ſubjicit. [e] Vetor rei ſeriem enarrare? nè in uberes lacrymas omnes hic præſentes diffluamus. Ita nempe ars veteratrix in coronis porrigit cuſpides; in ſce-

[a) *Egnat lib.* 6. *c.* 10 [b] *Jovius in vit. Bajaz.* [c] *Sabell. l.* 1. [d) *Plutar. in Lacon.* [e] *Polydor. lib.* 27.

sceptris intentat ictus, in diadematibus innectit laqueos, & in media prosperitatis pompa, lætitiæque scena, funestam catastrophen vel ipsis Regnantibus indicit. Et nos ab homine ex fraudibus, dolisque consarcinato, meliorem sortem nobis polliceri valeamus? Quid à perfido Sinone, fallaci Ulysse, capitioso Phrynonda, versipelli Sisypho aliud, quam perniciem nostram præstolemur? Quid ab improbissimis hisce impostoribus, omnia, dicta, facta, cogitata, ad utilitatis propriæ libellam exigentibus, nisi jacturam fortunarum nostrarum expectandam habeamus! Quid ab hac simulata suavitate, aurea nobis omnia propinante, nisi aconita, nisi mortem, nisi funera exspectemus! O crimen exitiosum, O maximum, ubicùmque malum: Et tamen cùm adeò noxium sit, cum summam nobis, ac Reipublicæ perniciem creet cur illud non abominamur, cur non detestamur, Eccur patientia tanti criminis, longe, latéque dominatum exercentis, ærumnas longè gravissimas in caput nostrum accersimus ultroque advocamus.

TESTIMONIA. Sed quid hæc incassum scitor, *Fæcundum in fraudes hominum est genus*, canit Musa Ausonia Silius Ital. (f) Huic accinit Seneca: *fraus sublimi regnat in aula.* (g) *Ibi fallacia alia aliam trudit* Terent. (h) *Non sit inter vos vir duplex, aut multiplex.* Plato. (i) *Iis autem qui in dignitate sunt, turpe est, fraude inhonesta circumvenire. Nihil* enim *minus cadit in virum bonum, quàm fallere.* Thucid. (k) *Sunt vero, qui omnia recta, & honesta negligunt, dummodo potentiam consequantur. Et cum Cæsare illud usurpant: si violandum est jus, regnandi gratia violandum est: aliis rebus pietatem colas.* Idem (l) Sed *nihil stabile, quod est infidum.* Cic. (m) Unde vera Regis prudentia *fallere non vult, & falli non potest* Auth. de 4. virt. *Nunquam* enim *deceptus est Princeps, nisi qui prius ipse decepit.* Plin. paneg. Itàque *nè quid insidiosè, nè quid simulatè, nè quid fallaciter agat.* Cic. (n) *Sed unum illud ad laudem cum virtute directum iter probet, sine fuco, & fallacia.* Cic. (o) Nam *gloriam, honorem, & imperium bonus, & ignavus æquè*

(f) *Lib.* 3. (g) *in Hypol.* (h) *in Andr.* (i) *lib.* 3. *de republ.* (k) *lib.* 4. (l) *ibid.* (m) *de amicit.* (n) 3. *de offic.* (o) *pro M. Cal.*

quæ sibi exoptat: sed ille vera via innititur: huic quia bonæ artes desunt, dolisatque fallaciis contendit. Saluft. [p] *Nulla* autem *pernicies vitæ major esse potest, quàm cùm in vita inest simulatio* Cic. (q] Ne fit igitur Princeps similis aut Tiberio, *qui nullam æque, ut rebatur, ex virtutibus suis quam dissimulationem diligebat.* Tacit [r] aut Cajo, *qui etsi commotus ingenio, simulationem falsa in sinu avi perdidicerat.* Idem. (s] Sed potius Agricolæ, qui *ut bonis communis, ita adversus malos injucundus.* [t] *Cæterum ex iracundia nihil supererat. Secretum, & silentium ejus non timeres: honestius putabat offendere, quàm odisse* Idem. [u] Et in eo *Trajani simplicitas, veritas, candor agnoscebatur.* Plin. [x] *Ita ut esse, quam videri probus malit.* Saluft. [y] Non quales illi, *quos ambitio falsos fieri subegit, magisque vultum quàm ingenium bonum habere.* Idem [z]

O vita fallax, abditos sensus geres,
Animisque pulchram turpibus faciem induis,
Pudor impudentem celat, audacem quies,
Pietas nefandum, vera fallaces probant,
Simulantque molles dura. Sen: (aa]

Verùm enim verò *malus cùm se bonum simulat, tunc est pessimus.* Publ. *Quo quis* autem *versutior, & calidior, hoc est invisior, & suspectior, detracta opinione probitatis.* Cic. [bb] *Plus enim formidinis afferunt, falsæ virtutes, & vitia redditura.* Tacit. [cc] Quocirca *adstutiæ tollendæ sunt, illaque malitia, quæ vult quidem videri se esse prudentiam, sed abest ab ea, distatque quam plurimùm.* Cic. [dd) Nam *si quis simulatione, & inani ostentatione, ficto non modò sermone, sed etiam vultu stabilem se gloriam consequi posserentur, vehementer errant. Vera gloria radices agit, atque etiam propagatur. Ficta omnia celeriter, tanquam flosculi decidunt: nec simulatum potest quicquam esse diuturnum.* Idem. [ee] *Illud* proinde Principes, omnésque alii *caveant, ne qua fraus, ne quis dolus adhibeatur:* Fugiant *occultum, & insidio-*

[p] *in Catil.* [q] *epist. 1. ad Artic.* (r) *Annal.* [s] *annal.* [t] *in Agricola.* [u] *ibid.* (x) *in paneg.* [y] *in Catil.* [z.] *ibid.* [aa] *in Med.* [bb] *2. de offic.* [cc] *lib. 1. hist.* [dd] *3. de offic.* [ee] *lib. 2. de offic.*

insidiosum malum perfidiam; cujus efficacissimæ vires sunt, mentiri, & fallere. Valer. Max. [ff]

EPILOGUS. Quamobrem author vobis sum AA. nè eorum hominum in censum veniatis, qui rationem à DEO immortali datam in fraudem, malitiamque convertunt Exhorrescite, ac detestemini pravum quidvis simulandi usum, idque unum spectent cogitationes vestræ; ut immunes vos præstetis ab hac noxia exitiali, tot malorum haud dubia auctrice. Quisquis verò es, qui capiti: qui saluti, qui fortunis tuis in tempore prospectum velis; tritam illam quidem, è sapientiæ tamen erutam tripode amplectere gnomam: fide, sed cui, vide. Et quamvis ejuscemodi perditi gnathones, benevolentiæ studio à foris te sequantur; licet per artem vafram coram te pedes circulent? festivè galerum detrahant, caput serviliter inclinent, corpus profundè incurvent, si sapis, fidem habere noli. Esto in præsentiarum oculos, remota nube, velut in solem serenent labia, & genas in risum explicent, linguam in ambrosiam eliquent, si sapis, fidem habere noli. Præveniant licet urbanitate, bracchiis amabiliter expansis occurrant, amplexentur, disuavientur, lenocinentur, si sapis, fidem habere noli. Affingant sibi quæcunque demum humanitatis officia, quibus illiciant, demissionem, qua colant, hilaritatem, qua congaudeant, si sapis, fidem habere noli. Cavesis fucatis istis credere coloribus, quibus pingitur in fronte serenitas, cum in corde atrocissima sæviat tempestas. Abhorreat animus vester ab hoc fuco, & fallacia in perniciem vestram, ac Reipublicæ nata. Eliminate ex urbibus hos consutos è fraudibus logodædalos, qui verborum ambiguitate, simulatione officiorum, in proborum exitium utuntur. Proscribantur ab ædibus, à curiis, à tribunalibus artes omnes simulandi: ejiciantur callida, astuta, vafra, versutáque ingenia, quæ sensuum fallacia, rebúsque fuco oblitis ingenuas mentes fascinant, varie variis imponunt, omniáque utilitate sua, non virtutis, ac honesti decempeda metiuntur. Sed nè inani verborum apparatu, in longiorem æquo decurrat parænesim criminis infandi detesta-

[ff] *lib.* 9.

testatio; illud ad extremum omnium animis, in jugem reminiscentiam, inaratum velim, quod venustè cecinit Poëta Venusinus:

Nunquam te fallant animi sub vulpe latentes.

CHRIA IX.

Qui genus jactat suum, aliena laudat. *Sen. in Herc fur.*

EXORDIUM. NOn sola tumens Græcia, quæ se omnium bonarum artium jactat inventricem, non inquam sola proluit labra fonte caballino, nec sola in bicipiti Parnasso choreas agitat cum Musis. Habeat doctrinâ fluentem Bæotia Hippocrenem Pegasi ungula excitatam, è cujus latice novem bibunt sorores, rivos scientiarum, per totum, qua latè patet orbem rursus effundendos. Decantet pleno ore res gestas, & memoriæ veteris ordinem retexat Clio: proclamet tragico boatu lugubres Principum catastrophes Melpomene, agat lætiores fabulas, ludosque faciat dedita histrioniæ Thalia: animet suas in dulciorem harmoniam tibias Euterpe: citharæ, & choreis præsideat Terpsichore: sollicitet docto pollice lyram Erato: gloriosa heroum facinora versu epico enarret Calliope: Uranie astra, cœlorumque motus perscrutetur: Polymnia vocem, gestúmque moderetur: hanc, inquam, sororum novenam, Jove, ac Mnemosyne progenitam, arroganti laude Græcia, commendet. Vident & alia orbis theatra suum Heliconem, & exsurgentem gemino colle Parnassum, nubes ipsas cacumine suo evincentem, in quibus fixam Apollo cum præfato Musarum choro celebrat stationem. Possem hìc ego florentissimas orbis regiones citra commentum recensere, atque scientiarum, artiúmque Athenea in medium producere, benigniore à Phœbo afflata numine, quàm Græciam plus æquo rerum novarum cognitione tumescentem. Sed ne per orbis universi climata, suis finibus constricta evagetur

vagetur eloquentia in unica pedem figere jubetur Hispania, emporio omnium scientiarum. Atque in hac multiplicis sapientiæ palæstra, novum sibi Apollo erexit Parnassum, non jam Pieriis, sed Iberiis Musis circumseptus, doctrinarum latices uberrimè propinaturus. Harum in syllabum proximè accensendus venit, illustrissimum Parnassi Hispanici lumen Seneca Cordubensis; cui ipsa Melpomene jure æquissimo primas concesserit. Si enim tragici carminis majestatem sententiarum gravitatem, aliaque divini propè ingenii monumenta pro theatro data, auribus, animísque excipere lubet; ab ipsius sapientiæ ore prolata nemo ambigere valebit. Hunc spectabilem sapientia virum, plena manu in astra tollerem, ac magnificè perlubenter prædicarem, si par ejus meritis mihi foret dicendi, laudandíque facultas. At cùm imparem ejus panegyri non diffitear eloquentiam unicum duntaxat illius effatum, ab ipsa Pallade dictatum, liceat mihi hodie explanare. Cæterum sit laus maxima Senecæ, quod satis laudari non possit. Verùm quamtandem, è tot sententiarum myriadibus, plenam eruditione gnomam, breviore paraphrasi elucidare est animus? Nè vos multis distineam? illa mihi solùm hodie probatur, illáque duntaxat arridet, quam de quibusdam thrasonibus, genus suum efferentibus posteritati reliquit, inquiens: *qui genus jactat suum, aliena laudat.*

PARAPHR. O dictum præ oraculis Delphicis audiendum, O effatum, quod ipsæ non erubescant depromere Athenæ, Et hac pretiosiore obrizo sententia commonere voluit omnes illustriore prosapia oriundos, né pavonis flabellum præseferant; ac genus suum insolenti præconio extollant, in cujus originem nihil admodum præclare factis & nè fumi quidem umbram contulere, Nobo gigantea magnitudinis decempeda pumilum recte metitur. Nemo sibi jure laudi ducat, quòd avita Gracchorum familia sit prognatus, si tanto generi labem inurat stigmate desidiæ. Jactitet se Icaro, aut Phaëtonte tumentior quispiam cum volante in scuto gentilitio regina volucre, quæ ad labriosam avorum pennam advolavit, aliena, non sua laudat. Deprædicet regem animantium leonem suæ stir-

pis insigne, quod rebus fortiter gestis promeruit abavus, non sua, sed aliena laudat. Loquatur alius magnificè de fulminante dentibus apri capite, quod atavus intrepidè venabulo excepit: non sua, sed aliena laudat. Glorientur alii cum arboreis cervorum cornibus, cum ferocibus tigridum unguibus, cum sanguineis luporum rictibus, cum minacibus taurorum capitibus, cum Pantheris, Lyncibus, & ejusmodi notis priscæ nobilitatis, in præmium virtutis à principe collatis: non sua, sed aliena laudant. Loquantur alii sesquipedalibus verbis de Gryphis, & Struthionibus, de Phœnicibus, & Haliætis, de Ardeis, & Halcyonibus, de Ciconiis, & Gruibus, aliáque volucrum capita, nescio quibus cristis adornata ostentent, quæ progenitorum virtuti, vel in toga; vel in sago bene de Republica meritæ sunt attributa: non sua, sed aliena laudant. Consurgant demum alii in veteris famæ suæ encomia, per excelsos montes, per turritas moles, & alia inclytæ nobilitatis insignia, quæ non vacat, aut satiùs piget hic referre, in monumentum fortitudinis primis patribus applicata: non sua: sed aliena laudant.

CAVSA. Quid enim (ut rationis momenta adducamus) proderit cuiquam generis claritudo, si moribus pravis ei inducat caliginem?. aut quid nonnullis officere valeat natalium obscuritas, qui suæ virtutis luce evadunt illustres, Quid juverit eminentem nobilitate habuisse patrem, si natus ad infimam se conditionem ignobili vita deturbet, Quid opulentis Patrum facultatibus quiquam gloriari velint: si inopes sunt virtute. Quid facit ad nepotum gloriam, Majores eorum, magnorum prærogativâ Dominorum conspicuos fuisse, si illi mancipia sunt vitiorum, Ecquid attollunt suo cristas in vertice, quæ alieno sudore creverunt. Eccur abnepotes spectandam in scuto gentilitio exhibent aquilam; cui jam satiùs talpa terræ affixa inderetur. In exilem, vacuámque cedit laudem, frementem vasto oris hiatu, ac oculis minantem, in patriis insignibus ostentare leonem, si lepus in præcordiis stabuletur. Quis jure plaudat cum fulminea aprorum ira ab atavo edomita, qui pedem efferre in umbrosos, aptósque venatui saltus perhorre-

horrescit? Nemo sermonibus hominum celebrabitur, qui depicta se jactat dexterâ æripedem cervam retinente; quam alius Alemena gemitus impavidâ manu prehendit; si vel digitum exporrigere in luctamen cum belluis pertimescit. Nunquam per ora hominum volitabit; qui Gryphos, Struthiores, aliáque volucrum genera, in Patrum ceris, ac imaginibus exarata jactitârit, cui formido pennas succidit, quique Endymionis instar in olorum stragulis volutatur. Nullus secundam populi admurmurationem consequetur; qui Pantheras, Lynces, tigrides, & id genus alia in tritavorum insignibus gerit, si ad immite nomen sylvestrum ferarum transit in pallorem. Quid alia referam? neminem iconismus præruptæ cautis ab avo superatæ excelsiorem reddit: neminem turrita moles à proavo expugnata, solóque æquata, efferet laudibus in cælum: neminem denique, ut paucis multa complectar, gloria Majorum reddit gloriosum, aut virtus eorum efficit virtuosum. Nobilium quippe gloria perexigua est, solo naturæ beneficio, nisi commendetur virtutis, ac gratiæ ornamento.

CONTRARIUM. At verò illi in veram illustrioris prosapiæ laudem jure maximo veniunt, qui sua virtute gloriosa edunt facinora, quique non ex fumosis magis, quam famosis protoparentum imaginibus auram captant popularem, verùm suis præclarè factis insignia nobilitatis adipiscuntur. Illis enim verò multùm decoris, ac generosi nominis accedit, qui malunt genus nobile sibi parere, quàm acceptum turpi segnitie dehonestare. Satius existimem in nobis antecessores glorientur, quàm nos in illis. Majori est ornamento rebus suis florere, quàm aliorum niti gloria, & ita vitam cum virtute colere, ut posteris simus nobilitatis initium, rectéque factorum exemplar. Ab iis clarum genus, clarum sumit exordium, qui aut in belli palæstra, vitæ, ac sanguinis prodigi, hostem patriæ invictâ fortitudine devicerunt, aut cum laude gesserunt magistratus, vel in bonarum artium studiis eos fecére progressus; qui sacræ juxta, ac profanæ Reipublicæ emolumento fuêre Natalium splendor, qui ab opibus, atque emptitiis titulis emicat, parvi ducitur apud æquos rerum æstimatores.

Sola,

Sola, veráque nobilitas non emanat à sanguine, sed à virtute. Nec quicquam aliud in altiore prosapia expetendum videtur, nisi quod nobiliores surculi necessitate quadam constringuntur; nè ab antiquorum probitate degeneres evadant. Ille clarus, ille nobilis, ille sublimis, qui se, factaque sua subjicit legibus honesti, non quidlibet volendi desiderio, ac cupiditati. Præclara domo esse natos, haud paucis ignominiam parit. Familiæ nobilitas potissimam à probitate vitæ ducit commendationem. Quem verò morum pravitas dedecorat, licèt à meliore descendat patre, quàm sit Jupiter, ad ignobilium sortem devolvitur. Haud parva est infamiæ labes, illustrem esse natalibus, & virtutibus obscurum. Virtus, & benefacta in meritam cadunt panegyrim, non clara Patrum genealogia. Probitas, animæ est character. Non equidem negare ausim, nobili gaudere illum nomine, qui à parentibus procedit bellica virtute claris; aut muneribus in Republica gloriosè defunctis: illud nihilosecius ajo præstantissimum esse nobilitatis genus, cum quis per se animi magnitudine excellit.

SIMILE. Hujus enunciatæ veritatis haud aspernenda se se mihi objicit similitudo, ab obvia camporum planitie segetum copia, & densitate fluctuante. Quemadmodum enim fruges ruri natas, non ex eo censemus optimas, quod à nitidiore gleba, pulchráque aspectu oriantur; sed quia à testibili agro, bene subacto, effractóque feliciter proveniunt: ita hominis bonitatem, ac virtutem, non à generis claritate, sed ab egregiis moribus, quæ in fertili animorum solo enascuntur, commendandam arbitramur. Et veluti brutas pecudes, omniáque rationis expertia animantia, ex actionibus naturæ instinctu profectis discernere licet, utrum generosa sint, an inertia: haud secus hominum nobilitatem, non ex laude Majorum, sed ex propriis actionibus rebúsque cum virtute gestis oportet æstimare. Quippe veteris persapiæ decus in illo pereat est necesse, qui ex sola ejus origine gloriosum sibi nomen aucupatur. Ut enim plumbum argentarium, quod vulgò stannum nuncupatur ab excocta argenti massa egressum, nullatenus virtutem, ac pretium hujus metalli assequitur: sed in sua jugiter delite-

ſcit vilitate : non diſpari ratione alto profuſus ſanguine thraſonum aliquis, nunquam attinget primæ ſtirpis amplitudinem, qui ab ejuſdem virtute ſuaptè pravitate deſciſcit. A perſpicuo fontis latice ſæpenumerò rivus profluit; quem cœnum collutulat, ac defædat. Clariſſimus nonnunquam ſanguis in obſcenum deducitur animum, cum opprobrio generis ſempiterno. Non raro dignitas ſplendidi ortus, infami exitu abnepotum terminatur. Atque inde ſatiùs eſt de obſcuriori genere clarum fieri, quàm de illuſtri familia in probroſam caligнем devolvi. Pulchrum eſt ſua, non aliena virtute ex umbra in Solem prodire. Illum ego meritis laudibus celebrarim, qui radioſum, ac illuſtre ſidus ipſe ſui eſt generis, & gloriæ theatrum præclaris facinoribus invadit.

EXEMPLA. Hoc pacto in altiſſimum gloriæ faſtigium evectus fuit, primáque ſibimet ipſi generis ſummi fundamenta jecit Bamba, ab aratro ad Principatum evocatus, & exinde in Regem Hiſpaniarum inauguratus, ob inſignem fortitudinis virtutem; qua Mauros Hiſpaniæ littora cum claſſe ducentarum navium ingreſſos, omniáque fædum in modum vaſtantes, ingenti prælio fudit, ipſámque claſſem hoſtium in cineres egit, & favillas. (a) Neque obſtitére ſordida Tullii Hoſtilii incunabula, agreſtéque patris tugurium, quò minus validâ, & maturâ ætate, Imperium Romanorum féliciter capeſſeret, regerétque. (b) Nec quicquam de conſulatus claritudine, & ſplendore imminuit obſcurum Varronis genus, qui ex macellaria patris taberna, apicem dignitatum conſcendit, (c) An Oratorum Principi M. T. Ciceroni, plebeja, & ignobilis origo quicquam obſuit, quò minùs ſummos in Republica Romana gereret magiſtratus? (d) An ejuſdem bene gerendæ, & procurandæ occaſionem eripuêre, viliſſimi, & obſcuriſſimi natales Maximini Imperatoris, qui à prima ætate paſtoris ovium munus ſubivit? (e) Quis ignorat Tambernalem paſtore natum patre fuiſſe, intérque cuſtodes pecorum ab incunabilis

(a) *Ritius lib. 2. Reg. Hiſpan.* [b] *Florus lib. 1.* (c) *Sabell. lib. 3. c. 4.* (d) *Plutar. in Cicer.* [e] *Capitolin. in Maximin.*

bilis enutritum, qui tamen virtute, & solertiâ ad solium Augustale, ac regimen Ottomannicum est provectus? [f] Quem fugit Valentinianum restionem egisse, [g] Justinum bubsequam, [h] Marcianum verò fabri ferrarii partes obiisse, (i) quibus tamen fores ad Imperatoriam dignitatem patuêre? Quid dicam de Agathocle Rege Syracusarum patre figulario oriundo? (k) Quid de Lecho Rege Poloniarum? (l) Quid de Przemislao Bohemæ gentis capite, (m) quorum uterque ob eximium virtutis decus, regni gubernaculis est admotus. Nec prætereundum hic existimem Iphicratem, militarem Atheniensium Ducem, obscuris majoribus ortum, qui generis tenuitatem (nam calceamentario patre prognatus fuerat) sibi objicienti, reposuit: meum genus à me habet origenem, tuum verò in te desiit. (n) Sed nè vetera duntaxat, eáque profana adducere videamus. Urbanum V. Pontificem Maximum natione Gallum nullâ tamen progenitorum laude commendatum, in exemplum damus. Huic summo Hierarchæ, cùm ab Rege Hispaniarum natalium vilitas objiceretur, vir singulari prudentiâ, ac eruditione clarus respondit: virtutis non esse, nasci nobilem, sed nobilem factis, & meritis fieri, id verò generosi animi esse. Itaque non esse, cur stirpem, genúsque suum contemneret, quod scientia, rebúsque præclare gestis tam illustre reddidisset. (o) Pari ratione generis obscuritatem illustriorem effecit Willegisus Archiepiscop. Moguntinus, patre rhedario oriundus, qui ob eximiæ decus sapientiæ, ab Ottone III. primum Electorum Collegio accensus fuit. (p) Ita nempe nobilitatis gloria, à virtute, ac eruditione, non à generis claritate persæpe originem ducit. Huic veritati suffragantem habeo Alphonsum Regem Aragonum, Principem facile sapientissimum. Forsan eum aliquando gnatho palatinus summis laudibus efferebat quod Regis esset filius, ac nepos, longáque serie descenderet Imperantum. Hunc aretalogum auribus duntaxat servi-

(f) *Fulgos lib.* 3. *c.* 4. (g) *idem ibid.* (h) *idem lib.* 6. *c.* 10. (i) *Procopius lib.* 1. (k) *Dion. Sic. lib.* 19. (l) *Cromerus.* (m) *Dubravius* (n) *Plut. in Iphic.* (o) *Platina in Urbano V.* (p) *Bruschius de Episcopatib.*

servientem interpellans Alphonsus, edixit: nihil esse, quod in vita minoris ipse duceret, quàm quod ille tanti facere videretur. Laudem enim illam non suam, sed Majorum suorum esse, quippe qui justitiâ, moderatione, atque excellentia sibi regnum comparássent. Successoribus quidem oneri regna cedere, & demum honori, si virtute potius, quam testamentariis tabulis illa suscipiant. A se itaque, si quà modò exstent, elicerent ornamenta, non à patribus jam vitâ functis extorquent. (q) Quibus sapienter prolatis Regum prudentissimus palam orbi fecit, multò gloriosius esse, à semetipso inclarescere, quam niti avitis imaginibus, regnúmque propriâ virtute partum clarius habendum, quam quod hæreditariâ obvenit successione.

TESTIMONIA. Atque adeò haud inconcinnè Juvenalis Poëta cecinit.

Quis fructus generis, tabula jactare capaci.
Fumosos equitum cum Dictatore magistros,
Si coram lepidis malè vivitur: &c (r)

Et in eadem satyra hos teretes in rem nostram effudit versus:

Stemmata quid faciunt, quid prodest Pontice longo
Sanguine censeri, pictos ostendere vultus
Majorum, & stantes in curribus Æmilianos?
Tota licet veteres exornent undique ceræ
Atria, nobilitas sola est, atque unica virtus. (s)

Et brevi pòst, ità numeris adstricta oratione Ponticum affatur.

Sed te censeri laude tuorum
Pontice noluerim, sic ut nil ipse futuræ
Laudis agas, Miserum est aliorum incumbere famæ. (t)

Libeat quoque audire Ulyssem prudentiæ laude inclytum, ita de se apud Ovidium confitentem:

Et genus, & proavos, & quæ non fecimus ipsi.
Vix ea nostra putem. (u)

Et quidem *nobilitas bonum sed majorum bonum.* Plut. (x) At

(q) *Panormit. de reb. gest. Alphon. lib.* 2. (r) *Satyra* 8. (s) *idem ibid.* (t) *idem ibid.* (u) *lib.* 13. *Metamor.* (x) *de puer. educ.*

At *nemo in nostram gloriam vixit* , *nec quod ante nos fuit. nostrum est.* Sen. (y) *Genus* enim *non eligimus* , *nec ante nos nostri arbitrii sumus.* Quintil. (z) Unde *qui imagines in atrio exponunt* , *& nomina familiæ suæ longo ordine* , *ac multis stemmatum illigata flexuris* , *in parte prima ædium collocant,noti magis, quam nobiles sunt,* Sen. (aa) *Quidam avitas* , *paternásque flagitiis obruerunt imagines.* *Quidam ignobiles nati fecêre posteris genus. In illis non servâsse, quod acceperant* , *maximum dedecus* , *in his* , *quod nemo dederat, fecisse laudabile.* (bb) *Quis ergo est generosus? ad virtutem bene à natura compositus.* Sen. (cc) *Non facit nobilem, artium plenum fumosis imaginibus. Animus facit nobilem cui ex quacunque conditione supra fortunam licet assurgere:* Idem (dd) Ab hujus sapientia non abludit Romanæ Princeps eloquentiæ ita disserens: *homini honor, non generi; moribus, non majoribus* , *virtuti perspectæ* , *non auditæ nobilitati deferendus.* (ee) *Ex virtute* enim *nobilitas capit.* Salust. [ff) *Marius apertè præsefert novam sibi nobilitatem esse* , *quam meliùs est peperisse* , *quam acceptam corrupisse.* Idem (gg) *Quid sis,non unde natus sis reputa.* Liv. [hh] *Turpe* enim *est nequiter vivere bene natis.* Sophocles apud Stob. [ii] *Tum* quippe *nobilitas velamentum est malitiæ.* Laert. [kk] Et *plerumque homines in veteri dignitate fortunáque nati. copiam rerum moderatè ferre non possunt.* Cic [ll] *Quidam verò sunt tam genere insignes,quàm vitiis nobiles.* Idem (mm) *Ingenuitas est virtus generis.* Arist. (nn) Et *nobilior est, à quo genus incipit.* Pythag. (oo) Liceat his non ignobilem adnectere Poetam ita modulantem.

Non ebore, & gemmis,non auro vera paratur
Nobilitas, aliquid majus habere decet.
Nam virtutis opus tantùm ornamenta putantur.
Causam in se virtus nobilitatis habet.

EPILOGUS. Fateamur itaque est necesse , veritati proxi-

G 4

[y] *epist.* 14. [z] *declam ult.* [aa] *lib.* 3. *de benefic.* [bb] *Sen. Rhet.lib.*1.*controv.*6. [cc] *epist.*44. [dd] *ibid.* [ee] *in Pison.* [ff] *bello Jugurt* [gg] *ibid.* [hh] *lib.* 1. [ii] *serm.* 15. (kk) *lib* 6. [ll] *de leg. agrar.* (mm) *lib.*3. *epist.* (nn) 3. *Polit* [oo] *apud Stob.*

proximè accessisse Principem tragici carminis Senecam, dum cecinit: qui genus jactat suum, aliena laudat. Nemo proinde eò plauserit, quod neutiquam in sua fuit potestate. Gloriam Majorum perperam sibi attribuit, qui nihil decoris ei contulit. Virtutes progenitorum non reddunt sibi posteros æquales. Virtutum habitus eos duntaxat insigniunt, qui in communionem paris veniunt honestatis. Præter hanc nulla est vera nobilitas. Cætera fortunæ sunt bona, quæ in mores quoque pravos nonnunquam cadunt. Gloriandum igitur est in probis animæ dotibus, non in prosapia illustri, quæ in obscura factis posteritate non raro extinguitur. A virtute, non à natalibus vera nobilitas origenem ducit. Ad probitatem ritè à natura comparatus, rectèque institutus, in veram hominis venit æstimationem. Nemo clarus est fortunæ mendaciis, nemo verè dives opulentiá, ac gazis, quæ sunt extra hominem. Nullus solâ magnitudine avorum magnus est censendus. Magni viri non nascuntur, sed fiunt. Non è Majorum ceris, ac imaginibus, quisquam alti generis formam desumat, ac characterem. Quare nemo generis claritatem jactet, nisi quam factis suis promeruit? cujusque primordium ipse fuit. Nobilem meritis, & fortiter gestis, aut scientiæ alis in altum evolâsse, id enimvero nobilis animi reputarim. Utque verbò absolvam plurima, nobilitas sola est, atque unica virtus.

CHRIA X.

Tutissimus murus est prudentia

Antisthenes apud Diogen. lib. 6.

EXORDIUM. SI progenitores vitâ functi, à liberis suis, tandiu quam aliquid sui existentibus, rectéque educatis, haud vulgarem cineribus suis aspergunt honorem, quantò magis viri eruditione clari, doctoresque literarum jam cassi lumine, honoris splendore illustrantur ab iis, quibus opera sua, ad Cleantheam lucernam elucubrata, lucémque

cémque ſapientiæ non irrito labore tradierunt. Hoc ſingulare præconium, Princeps, & velut Dictator Philoſophorum Socrates, à formato in ſeverioribus æquè, ac manſuetioribus diſciplinis Antiſthene, vel poſt fata ſibi jure vendicat, in cujus gloria longævam provixit ætatem, & etiamnum vitam agit immortalem in litterarum monumentis, ab Antiſthene ad poſteros propagatis. Decus diſcipuli, in laudem, & encomium cedit magiſtri. At qualis, quantúſque tandem Socrateæ ſapientiæ alumnus fuit Antiſthenes, ut ab eo claritatem nominis, illuſtre adeo Philoſophorum lumen nactum fuiſſe cenſeatur? Paucis ejus magnitudinem accipite. Fortè fortuna Antiſthenes, doctiſſimè diſceptantem, & cum ipſis Muſis decertantem audierat Socratem ac non tam verba, quam oracula, è ſapientiæ penuario depromentem. Hoc exquiſito, reconditóque doctrinæ genere; quo parem Socrates habebat neminem, in tantùm novus auditor illectus fuit, eoque proſecutus eſt amore ſolidam, multi jugamque Socratis eruditionem, ut ejuſdem inſtitutioni continuò ſe ſe tradere firmiſſimo animi ſanxerit decreto. Quare ad ludum ſuum literarium reverſus, quem non ita pridem aperuerat, diſcipulis ſuis author fuit, alium diſciplinis liberalibus nobilem quærerent adiréntque præceptorem: aut ſi liberet, una ſecum concederent ad combibendam Socratis doctrinam, qui longè ſcientiſſimus foret omnium, artiumque cognitione ſuperior cæteris, qui locum obtinet inter eruditos. Quo dicto, fortunis omnibus valefecit, unóque duntaxat tectus pallio, Athenæum Socratis, adiit, ſummum in literis, exquiſitiſſimæque doctrinæ virum deinceps auditutus. Et verò tanta inſtitutionem ejus excepit aviditate, ut in dies ſingulos, quadraginta emenſis ſtadiis, è Pyræo, in quo habuit incolatum, Athenas conceſſerit, Gymnaſium Socratis frequentando. Nec vulgarem in literis fecit progreſſum, eò in ſcientia à magiſtro Socrate hauſta procedens, ut grandia variarum cogitationum, eáque utiliſſima publici juris fecerit monumenta, quæ etiamnum manibus eruditorum teruntur. Quod ne forraſſe magnificentius, quàm verò conformius à me aſſeri quiſquam exiſtimet? unum duntaxat

ejus sapiens effatum, è pluribus posteritati relictis voluminibus, assumo paucis pertractandum; ex quo de aliorum sapientia haud levis fiat conjectura. Inter alia, quæ litteris publicis consignavit, arridet illud, quod de virtute prudentiæ prodidit memoriæ, inquiens: *tutissimus murus est prudentia.*

PARAPHR. O dictum ab ipsius prudentiæ ore sapienter effusum! O dignam profectò sententiam, quam omnis eruditorum natio festis vocibus excipiat, cuique viri prudentiæ laude florentes unanimi consensu applaudant. Murus enim verò est virtus prudentiæ, omni pariete marmoreo solidior, omni mole, ac mœnibus constantior, tantáque gaudens firmitate, ut nullo ariete, nullis catapultis, nullaque vi hostium labefactari valeat, aut collabi. Citius legetis, urbes validissimo præsidio firmatas, & castella aëris mœnibus surgentia, expugnata devictáque fuisse, quàm animam in castro prudentiæ residentem, quæcunque demum adversitas valuerit infringere, debellare. Sit superbissimus aliquis montium, ipsius naturæ manibus efformatus, ab ipsis radicibus, præruptis, abscissísque rupibus ad horrorem sublatus; vastissimúmque suo in fastigio ambitum complectatur. Huic insideat arx firmissima; quæ communi omnium sensu, non nisi temeritate, & audacia duce valeat tentari; ac nulla arte polemica, nullísque machinis superari. Assurgat castrum, hinc fortibus sepimentis communitum, pinnisque & acroteriis hostibus minitetur, nec non fossâ præcipiti, pendenti vallo, continuo aggere, lenta plaude, multiplique præsidio sit interclusum, illinc latissimo, rapacíque flumine sit circumfusum, cui incumbant projectæ in altum turres, portæque transversis cratibus, vectibus, ac repagulis sint obfirmatæ. Prospiciant ad terrorem quaquaversus majores colubrinæ, ac flammam, plumbúmque cum mortibus vomentes ballistæ; quibus conspectus à militari specula hostis, intervallo stadiorum aliquot, è destinato peti valeat, atque ita undequaque suspectâ, & malefida statione, hostiles copiæ agere cogantur. Eludat quoque haud modico temporis spatio adversariorum operam formidandum ipso aspectu septum, nul-

nullo propè calle pervium, difficiléque expugnatu. At nihil ætate nostrâ adeò reperias arduum, nihílque naturæ vi, attéque ita præmunitum, quod viam præcludere valeat perito belli gerendi archi-ſtratego, omnia virtute ſua tranſcendenti. Aderit opinione citiùs, aut novus aliquis Hannibal ad portam, aut Alexander ad petram: aut Scipio ad ingentium murorum molem, qui inter denſas pyrii pulveris nubes viſum hoſti eripientes, diſtricto ferro ſuperet mœnia, immobilitatem arcis ſuccutiat, firmitatem infringat, muros ſubruat, gloriam caſtri in acervos redigat, palámque mundo faciat, nihil in orbe ter-aqueo eſſe;quod non virtuti martiæ ſuccumbat. At qui in Pergamo prudentiæ jugem agit ſtationem, & pro ejus portis tempeſtivus circitior excubat, infeſta hoſtium ſigna temperato explodit riſu; odia, & ſimultates adverſariorum patientiæ clypeo excipit, nullis fallaciæ arietibus, licet crebrius impetitus, à gradu ſuo dimovetur; at ſui propoſiti tenax; in eadem ſententia hæret, ac commoratur.

CAUSA. Ea quippe eſt prudentiæ vis, ac efficacitas, ut ea munitus, ac obarmatus, ad omnem iniquioris fortunæ in curſum, priſtinam retineat voluntatem? nullo metu exalbeſcat, nullo terrore, minúſve percellatur, minùs animo cadat, aríſque, & præſidiis ſe autumet deſtitutum. Nunquam hac virtute confirmatus pedem referet, quamquam velut dato claſſico, acies calamitatum eum impetat; ſed ad omnem plagam, ad dolorem, ad ignominiam occalleſcit, & propè Diis ſuppar, agit jugiter inconcuſſus. Nec quiſquam hæc prudentiæ robur, ac firmitatem in dubium revocarit: cui ejus poteſtas, ac natura, è doctrina ſapientûm, probè eſt cognita, & perſpecta. Hæc enim verò nihil unquam dignum agit pœnitudine, nihil normæ rationis difforme, nihilque moribus diſſonum, minúſque accommodatum. Sapientem quippe decet futurorum providentia, non ſera, ac lugubris malè actorum pœnitentia. Neque à recti calle unquam exorbitat omnibus veræ prudentiæ dotibus cumulatus. Semper enim Eubulia ejus aſſiſtit lateri, quæ media aſſequendo fini opportuna inveſtigat: nunquam non adeſt Syneſis, quæ de idoneitate medi-

mediorum ad finem incorruptam fert ſententiam: ſemper in promptu eſt, ac ſub oculos cadit gnome, quæ rectè conſulta, judicatáque præcipit executioni mandare. Atque ita prudentia providam in ſpecula ſua agens ſtationem, nullâ temporum viciſſitudine, nulla rerum præſentium mutabilitate, nullóque hoſtili turbine unquam perturbatur, at vindex ſuæ manet ſemper libertatis, vímque omnem, ac injuriam facilè à ſe propulſat. Et quæ malorum fulmina, fortunæque adverſæ tempeſtas prudentiam obruant, quæ rectum inter bona, maláque facit diſcerniculum, nulloque errore luditur, ſive in bonis, ut par eſt, appetendis, ſive in malis, ut decet, evitandis. Prævidet enim verò univerſa, & obtutum figit in omnia, quæ ſeu à fronte, ſeu à tergo, aut quácunque demum ex parte poſſunt accidere, evenire. Terna quippe gaudet facie ſapiens prudentia, qua præterita, præſentia, futuraque ſolerter, acutéque obſervat, & ex iis fructus legit non pœnitendos. Ex rebus jam ante longo tempore evolutis, factiſque antecedentibus, ſalubria capit adverſus infeſtam ſortem conſilia: præſentia ritè, utilitérque nititur collocare. Nam qui rectè utitur præſenti tempore, in certam ſpem venire poterit futurorum, ſecundiore eventu terminandorum. Tertio demum vultu prævidet eventura, omnéſque animo præſagit, præſentítque caſus adverſos, quos non tam iniquior fortuna, commentum ſapienti, quam rivalium malevolentia valeat adornare. Atque ita animum, ceu triplici ære roborant, ad perferendos ſerena, placidáque fronte adverſariorum impetus, & ad reprimendas hoſtium machinas; nè tutiſſimum prudentiæ murum agere valeant in ruinam, ac diſſipare.

CONTRARIUM. At ô miſerrimam illius caſtri conditionem; pro cujus portis non excubat prudentia, hoſtiúmque tacitas, & occultas non prævidet inſidias, quibus dolos, & ſycophantias in æmuli interitum machinantur. Ubi prudentiæ virtus non reſidet, vigilemque jugiter non agit ſtationem: omnibus vitiis animæ janua ſemper pateſcit. Submotâ virtute prudentiæ, nihil cujuſquam generis eſt, quod licèt bonum videatur, in malum non recidat, hominíſque decus funditùs evellat, diruat, ac peſſumdet. Tolle pruden-

prudentiam, & virtus vitium erit. ipsáque affectio naturalis in perturbationem magis agetur, exterminiumque naturæ. Et verò quem prosperum rerum suarum teneat cursum, & quo pacto feliciter ei cadant Jovis taxilli, quem moderatrix virtutum omnium, ordinatrix affectuum, sapientissimáque morum doctrix destituerit? Haud dubiè murus prudentiæ collabetur, si quatuor ei demas fulcimenta. Primum ejus sustentaculum est, maturam secum inire deliberationem, de modo, déque ordine operis exequendi, & obstaculis tempore opportuno removendis; priusquam illime de re judicium feras, opúsque aggrediaris. Hoc fulcrum subruit festina, præcepsque actio; quæ fine quoniam ob oculos sibi perperam posito, continuò, & sine interpolatione operis executionem invadit: aut certè posthabita maturiore deliberatione, de mediis, ac modo judicium sequitur intempestivum. Alterum hujus muri stabile subsistit fulcrum, ut rei natura, de qua pronuntianda est sententia, quæque ei insunt attributiones, ad libellam rationis, antequàm jus dicatur, exigantur, omniáque sagaci oculorum lumine obeantur. Hoc fulcimen cadat est necesse si inconsulta irruat in opus ratio, projectáque in consilium vocetur temeritas, ac sententia de re Antabatarum more feratur, prætermissa solerti eorum, quæ ad rem faciunt indagatione. His tertium accedit fulcrum, ut rebus probè in deliberationem vocatis, rectáque trutina, suísque momentis delibrata, inconcussè adhæreas, neque animo vacilles, aut Proteo, Vertumnoque mutabilior, levi de causa à sententia tua discedas. Id agunt ventoso, volatilíque præditi ingenio Chamæleontes, quibus rerum vicissitudo, & Euripus jugiter fluit, refluítque in mente. Demum prudentiæ murum stabilit, firmúmque reddit, ac inexpugnabilem, post rationes probè deliberatas, discussásque, opportuna pró tempore, loco, aliísque circumstantiis operis executio, valido, robustoque brachio inchoata, perfectáque. Huic verò obicem ponit, ac remotam torpor, & lenitudo in opere terminando: quod alia fortè tempora nequibunt resarcire. Nam qui suspensa, levíque manu, & extremis ut agunt, digitis, opus attingit, perfectionem ope-

operis relicto sibi opprobrio, aliis extradit. Opus quippe festinationem nonnunquam è prudentiæ gnoma flagitans, socordiam odit, & languorem.

SIMILE. Quemadmodum enim belli Imperator, dum agitur de capite: fama, regnique incolumitate, non segniter copias ducit militares: ut navis gubernator, impigerque archi-talasius, non deses ad clavum sedet, dum ventos furentes, undas ferventes; æstuantésque conspicit: útque ipse summus rerum Monarcha, & mundi totius opifex DEUS, res omnes consilio, ac ratione ad præstitutos fines dirigit: ita prudentia temporibus accommodatis, felicitatem præsentis vitæ temperat, regítque; & nihil eorum oscitanter prætermittit; quæ ad rei agendæ executionem conducere queant. Nec aliæ desunt parabolæ in rem nostram efficacitatem prudentiæ haud obscurè declarantes. Et comprimis urbem aliquam principem, regnique metropolim, nobis ante oculos corporis, animíque statuamus. Hanc licet probe communitam, ac quaquaversus fortiter obvallatam, præsidiisque septam, ac firmatam, nisi valentiori lacerto, & gladiatoria totius corporis firmitate præditi heroes tutati fuerint, ejúsque strenuam susceperint defensionem; nunquam non hostibus patet in direptionem. Quod sunt viri fortes urbibus, id animæ nostræ civitati, ex corpore animoque constanti, amica prudentiæ cogitata, quæ instar firmissimi propugnaculi, injuriam omnem adversariorum, ab hoc castro pro propulsant, & haud dubiam animæ, corporique salutem procurant. Et nè à corporis similitudine longius discedamus: quemadmodum caput, ceu princeps, ac monarcha totius corporis, suum in omnes artus exercet dominatum, eisque sapienter prospicit, quo in sua perennent integritate: haud secus monarcha, ac regnum prudentiæ, principem locum obtinet inter virtutes, quæ de moribus sunt, illísque agenda, omittendáque ex imperio suo præscribit. Et veluti bona corporis habitudo, firmáque ejus constitutio, integram valetudinem, ac longævam membris præstat incolumitatem: at verò imbecillitas, & gravitas, adversáque valetudo, interitum corpori accelerat: haud aliter prudentia, quæ vera mentis est sani-

tas

tas optimam humani corporis partem, suo in vigore, ac flore conservat; cum interim opposita ei imprudentiæ malignitas, noxiáque lues, eam in perniciem ducat, utpote quæ gravissima, & insanabilis animæ est ægritudo. Cùm verò etiam prudentia bonum à malo, verúmque à falso secernere, ac discriminare nôrit; non incongrue cum Philosophia rationali in comparationem venit. Ut enim Dialectica omnium scientiarum antesignana, in hunc potissimum finem inventa est, nè in veritatis inquisitione, mens humana erroribus implicetur? sed ut vera à verisimilibus internoscere valeat: pari ratione in vicem Dialecticæ, discretionis, ac prudentiæ regulæ sint oportet, quò viri sapientia conspicui, & penes quos est Principatus, veram virtutem à falsâ ejus specie disjungere nôrint, nè videlicet quod haud paucis evenire assolet, in sui, aliorúmque moderamine, in haud levia inducantur errata.

EXEMPLA. Ex imperio hujus virtutis: legúmque præscripto omnes rerum habenas tractantes, quibusque cardines reipublicæ commissi sunt, nunquam egerunt quicquam perperam, & in summa negotiorum diversitate, velut lyncei, nihil offenderunt. Testes hujus veritatis locupletissimos habemus Julium Cęsarem Romanorum, Artaxerxem Ægyptiorum, Cambisem Persarum, Carolos Hispanorum, Henricos Angelorum, Philippos Macedonum, Alphonsos Aragonum, Nisias Athenienfium, Ingemaros Gothorum, Pyrrhos Epirotarum, Sigismundos Bohemorum, Jacobos Scothorum, Haraldos Danorum, sexcentosque alios, qui è prudentiæ institutis, aut regni terminos ampliarunt; aut lapsam regnorum disciplinam, in emolumentum populi erexerunt; aut hostes felici prælio debellarunt. Ad hujus virtutis libellam, & amussim conformatus quidam Regum, in ætatis verè adhucdum constitutus, florentissimum sibi regni statum procuravit. Fortè fortuna hic floridioris ævi Princeps, forum nundinarium mercatu frequens viserat, animum tantisper à curiis levaturus Hic dum oculis non cursoriis universa pensiculatius evolvit, eminus conspicit annis, pannisque obsitum senem depontanum, vacuo sigmati assidentem. Miratur primum

inanem

inanem negotiatorem, & propolam, nec non frivolarium institorem: tum propiùs ad eum concedit, sciendi cupidus, quid insolens ille mercatus denotaret. Vix citerior fit seni recocto, ac propè Acherontico, ex eo protinus scitatur; quid hic rerum ageret, quidve venum proponeret in cassa mercibus mensa. Nec responsum moratur senex capularis, sed illico quæstioni Principis occurrens, ait: se venalem habere sapientiam, volentibus eam justo pretio nundinari. Non exilem hoc è responso cœpit voluptatem Princeps, blandéque hunc sapientiæ propolam affatus, magno sibi obryzi pretio eam tradi postulavit. Nec segnis in illa venumdanda, distrahendáque fuit ætatis decrepitæ Philosophus, continuò inquiens: unam tibi pro præsenti auro trado maximam, quam si bene, scitéque tenueris, optimè regeris, & reges. Temerè nihil loquaris: temerè nihil attentes, nisi prius cogites, quid sequatur. Arrisit hæc sapientis parænesis Regi, adeóque illam probavit, ut verba hæc omnibus januis, superliminaribus, & vasis inscribi jusserit, populúmque sibi subjectum ad normam sapientiæ, justitiæque gubernarit. Interea quidam Optimatum, iniquo jure plebem erant oppressuri. Quod cum incorruptæ æquitatis Princeps accepisset, ab subditorum cervicibus jugum servitutis demere, pro ratione muneris sui satagebat, & summates regni ad officium revocare. At illi eam ob rem in defectionem à Principe conversi, seditiosa capere consilia, Regémque è vivis exturbare sunt moliti. Ut verò hæc clandestina perduellio proximum sortiretur eventum, virum quendam, qui barbam, seu potius lanuginem demere Principi erat solitus, pretio deliniunt, eóque munusculis deducunt, ut in se receperit, gulam Regis opportuno tempore cultro tonsorio se abscissurum. Quod cum ille, fide auro labefactatâ, die præstitutâ, jam jam in actum ducere moliretur, lecta in malluvio sententia: temerè nihil attentes priùs, quàm consideres, quid sequatur, à facto immani animum, dextrámque abstinuit, pallorem vultu, ac horrorem toto corpore confessus. Non potuit sagacem latere Principem formido per faciem, corpúsqué discurrens Quare metûs insoliti, ac horroris causam Rex continuò ex

eo scitatur. Verum cum ex homine timore perculso, & atrocitatem pœnarum timenti, veritatem rei elicere non posset, quæstionem cruciatu exercuit, admotisque sine mora tormentis, intimum animi sensum extorsit. Atque hoc pacto Rex discussit periculum capitis, & telum jugulo intentatum feliciter avertit, internecioni alioquin dandus, nisi comparatam à Philosopho sapientiam, prudentiæque gnomam maximi fecisset, ejusque è præscripto regni habenas direxisset. (a) Ita nempe semper è re facit eorum prudentia, quibus cardines Reipublicæ sunt commissi.

TESTIMONIUM. Et verò *Prudentia est virtutum Princeps, reliquisque omnibus utitur, atque ipsarum ordinem, modum, & occasionem in præsentia, tamquam oculus quidam mentis undequaque lucidissimus ostendit.* Jambl. apud Stob. Unde meritò dicebat Bion. *prudentiam tantò cæteris virtutibus antecellere, quantò reliquis sensibus præstaret visus.* apud eundem. *Ille* autem *est vir prudens, qui potest bene consultare, & judicare de iis, quæ ipsi sunt bona, & utilia, non ex parte solum aliqua, sed quoad totam vivendi rationem.* Arist. (b) Itáque *ars vivendi est prudentia, ut medicina valetudinis.* Cic. (c) *Hæc præsentia ordinat, futura providet, præterita recordatur.* Author lib. 4. virt. *Est autem prudentia propria Imperantis virtus.* Arist. (d) Igitur. *quemadmodum sibi gubernare navem velles, omnino prius artem gubernandi disceres: ita civitatem recturus, regnandi disciplinam, addisceto.* Epist. apud Stob. *Hac duce per totam viam eundum est: minima, maximáque ex hujus consilio regenda sunt.* Sen. (e) Hæc enim *gubernatrix hominum est, & totius inter eos ordinis dux.* Jambl. apud Stob. Et Plato eam vocat *primam divinarum virtutum ducem*: (f) *mentis oculum* Philo: (g) *magnam Deam* Sophocles: (h) *artem vivendi* Cicero appellat, (i) Socrates vero *animi concinnitatem.* (k) Hæc est *robur & murus, & arma sapientis.* Pythag. (l) Hæc *habitus cum recta ratione circa mala* &

H

[a] *Cantipratanus lib. 2. apum cap. 43. p. 2.* (b) *lib. 6. Ethic.* (c) *lib. 5. de finib.* (d) *lib. 3. Polit.* (e) *lib. 1. de benefic.* (f) *lib. de LL.* (g) *libro de Abrah.* (h) *apud Stob. serm. 1.* (i) *lib. 1. de finib.* [k] *apud Stob.* [l] *apud Stob. serm. 1.*

& bona humana activus. Arist. (m) Et alibi ita inquit: *constat neque propriè bonum esse sine prudentia, neque prudentem sine virtute morali quempiam esse.* (n) Et idem sua dicta stabiliens, *manifestum est*, inquit, *quoniam impossibile est prudentem esse, qui non sit bonus: tum quia virtutes comprimunt inordinatas passiones; quæ sincerum judicium corrumpunt: tum quia quisque ferè secundum affectum judicat* (o) Huic accedit Sen. inquiens: *si prudens fuerit animus tuus, tribus temporibus dispensetur: præterita cogita, præsentia ordina, provide futura.* (p) *Neque committere oportet aliquid* è mente Ciceronis, *ut aliquando dicendum sit: hoc non putâram.* [q

EPILOGUS. Et etiamnum dubitabunt orbis Principes hanc rerum appetendarum, fugiendarúmque scientiam, ad res suas rectè gubernandas adsciscere, illáque auctrice, & auspice, secundo eventu, subjectísque plaudentibus, dirigere Imperii fasces? Hæc enimverò est virtus, quàm si Monarchæ orbis ritè sectati fuerunt; nunquam ab officio, virtutéque discessionem facient; nunquam vitiorum agmen in regni interitum accersent. Ubi ratio, & prudentia rebus agendis idoneum tempus, modúmque definiunt, plurimus ex eorum usu in rempublicam fructus. Prudentia, si quæ virtus alia, propr ia est Principum, qua ità ditiones suas administrant, ut n on solum universis, sed & singulis opportunè prospiciant, prout ordo rerum exigit ac personarum. Atque ideo in hoc mundo rerum pot ientes, præterita in memoriam revocant, præsentia ordinant, futuráque sagaci lumine prævident, né quid sibi, aliisque, quos regendos ex lege æquitatis susceperunt, malum accersant. Nil perperàm agunt, nullóque errore implicantur mundi capita, quæ sapientem in futura vibrant obtutum. Nec quicquam subitum, minúsque opinatum illis evenit, qui totum ante prospiciunt, animóque suo cuncta solerter objiciunt, quæ pro rerum, & temporum varietate obtingere possunt. Satius quippe est præcavere, quam pavere, priúsque circumspicere, quó eundum sit, quam ire. Nemo,

[m] *lib. 6. Ethic. c. 5.* [n] *lib. de virt. & vit.* [o] *ibid.* (p) *lib. 4. virt.* (q] *lib. 1. offic.*

mo, cui prudentia domi naſcitur, ſagittam, telúmque antè de manu miſerit, niſi prævie ſcitè cognôrit, quem ſcopum petat. Longè ab amuſſi prudentiæ, conſiliíque legibus aberrat, qui a decempeda agendorum deflectit. Ignorans quem portum tenere debeat, minimè ſibi faventem ventum experitur. Alia capiunt conſilia veri moderatores regnorum. Priùs univerſa in mentis trutina exigunt, quam operi manum imponant. Melius enim eſt præviè futuris malis occurrere, quam accepto ab infeſtiore fortuna vulnere, ſerò pharmacum indagare. Quare mundi Præſides, aſſiſtricem jugiter lateri ſuo habeant prudentiam, ne quid inauſpicatè eis accidat, quod inſanabilem reipublicæ plagam inferre poſſit. Atque ita rebus ſecundiſſimis affluent, omniáque eis cadent è ſententia, & nomen ſuum immortalitati tranſcribent, nullo ſæculo abolendum.

CHRIA XI.

Componitur orbis Regis ad exemplum *Claud.* 5. *Conſul. Honor.*

EXORDIUM. NEmo ad laureatam Vatis unquam ſurrexit gloriam, qui non prius, ut veterum eſt opinio fonte labra proluit caballino. Hanc involutam ſapienti commento veritatem; jam indè ab ultimis temporibus erudita perſpexit antiquitas in Heſiodo Poëtarum facilè vetuſtiſſimo, qui nunquam ad eam felicitatem carminis pertigiſſet, niſi in Helicone artem Poëtices amyſtide bibiſſet. Forſan memoratus Vates adhucdum cuſtos pecoris, integram agebat vitam cum innocuo balantûm grege; quem ponè bicipitem Parnaſſum, ad viridem paſtum propellebat. Utque vaga ſunt paſtorum ſtudia, fortè fortunâ ad felicem illum, Phœboque dicatum collem aſcenſum fecit, ovibus pabulum inibi daturus. Et en tibi ad choreas Muſarum accedit, doctíſque Pieridum concentibus auditis, adeò hac melleâ, eruditâque capitur harmoniâ, ut cum iiſ-

 dem

dem & choreas ducere, & symphoniacè canere, licet numeri, modorúmque ignarus, attentârit. At forsan agresti dissonáque modulatione, offensam incurrit apud Castalides? nihil minùs. Quin hę placidæ sorores, simplici, innocuóque ejus candore mirùm quantùm delectatæ, de frondibus divinis nonnulla dono obtulêre folia, continuò absumenda. Vix Hesiodus hoc doctiore edulio refectus fuit, & confestim posita agresti inscitia, in virum artis Poëticæ eximium provectus fuit. Si Hesiodus degustatis aliquot Parnassi foliis, in tantum excrevit Vatem, quæ vos habet AA. sententia, de magno, celebríque Poëta Claudiano? An non jure augurari possimus, Aganippides, earúmque Præsidem Phœbum, eruditam de fonte Castalio potionem huic Vati Alexandrino propinâsse, ex qua portentosa illa fluxerunt epica; quæ ipsam Calliopem earum inventricem, in sui rapiunt admirationem. Hanc masculam, & cothurnatam Poësim, tot sapientiæ luminibus illustrem, tot gravibus fœtam sensis, orbis sapientûm stupet universus. Quod ut veritati consentaneum nemo non vestrûm clarissimè perspiciat, unam duntaxat ejus gnomam sæculorum omnium admiratione dignam proferre lubet, Principum holis celte inarandam nempe: *componitur orbis Regis ad exemplum.*

PARAPHRASIS. Ita sanè AA. archetypon, & idea vivendi subditis orbis sunt Monarchæ, facémque præferunt aliis, seu ad vitii, seu ad virtutis sequelam. Ad exempla Principum cęteri mores suos componunt. Principes sunt subditorum speculum, in quo sub regno, & ditione eorum agentes, clarè perspiciunt agenda, omittendáve. Quod ut aliquatenus enucleemus, in vitam Principis tantisper oculos mentis deflectamus. Habeat jugiter assistentem lateri suo clementiam orbis moderator, nec fulmen irarum pro intemperante arbitrio, in subditorum vibret capita, sed delicta populorum, dum legibus non usquequaque adversantur, in benignitatis materiam convertat: mitem quoque, ac placidum, iræque parcum in regno subditum nunquam non habebit. Raro bile intumescit populus sub Rege sedato. Vigeat in Principe Justitiæ amor, summáque religione sedeat pro tribunali, & incorruptâ æquitate forum

rum agat, numquam iniquus rerum æstimator : videbunt quoque suos causæ, non inflectendos prece, aut pretio advocatos, rectósque juris dicasteria sacerdotes. Princeps pro æquo, bonóque dicat; nemo perperam causam disceptabit. Ineat Princeps amænum, utiléque cum Musis commercium, omnibus veræ sapientiæ dotibus cumulari satagat; quibus fasces rerumpublicarum è legibus Palladis, ut par est dirigat: omnes bonarum artium peritia excoli, opulentámque doctrinæ supellectilem sibi comparare adnitentur, Principe non vulgariter erudito, omnes literis non mediocriter tingi exoptant. Emineat Princeps vitæ integritate, quæ nervus est felicitatis: plerique à viis impiorum deflectent, nihílque non postponent pietati. Sit denique Princeps, ut plurima paucis complectar, ingruente belli tempestate, militaris disciplinæ admodum peritus, manúque strenuus, ac illustris bellator : omnes sagum induent in Principis, regníque tutelam. Sit clausis belli portis pacis studiosus, ac consentientes in urbibus efficiat civium voluntates: omnes unâ mente vivent, summámque studiorum fovebunt consensionem. Sit in secundiore fortuna moderatus, in sinistra æquanimus, supráque omnem mortalitatis turbinem mentem gerat elevatam: omnes adversum æquè, ac prosperum fortunæ statum ferent moderate. Sit demum viva, absolutáque omnium virtutum idea: omnes eximio virtutum splendore inclarescent. Ita nempe vita Principis quasi in specula posita, magistra est publicæ disciplinæ.

CAUSA. Nec est, quòd miremur, ad Regis exemplar componi orbem : efficacissimè quippe suadet, qui factis præcedit. Virtus Principis est aliis norma virtutis. Quicquid is fecerit, id sibi omnes subditorum faciendum putant. In capite Regnantis omnis sita est felicitas membrorum Reipublicæ. Citò sedet animis, quod docetur exemplis. Magis instruunt exempla, quam verba. Et majori efficacitate penetralia subit animorum vox Principis, quam illius vita reddit commendatione dignam. Nam quod loquendo imperat, ostendendo adjuvat, ut solerter fiat. Atque ita dat voci suæ vocem virtutis, si quod subje-

ctis suadet, sibi priùs persuasisse videatur. Faciat Princeps, ut loquitur: cum noverit validiora esse opera, quàm ora, multóque fideliorem, & certiorem esse doctrinam operum, quàm sermonum. Qui ejusmodi est, etiam cùm in silentio versatur, neque in oculos cadit subditi, docere potest. Et alios quidem, sub quorum aspectum venit, in sui trahit æmulationem, alios verò, apud quos fama illius increbrescit, in magnam nominis sui ducit æstimationem. Et verò quadam necessitate obstricti sunt orbis Monarchæ, ad suæ virtutis exemplar componere mores subditorum, ac lumine rectitudinis aliis prælucere. Etenim si Princeps in universam regni familiam virtutis suæ exerat splendorem: nemo non in veritatis luce, & aprico virtutis iter aget. Duce probitatis semitam tenente, ægrè ad callem vitiorum deflectunt sequaces. Et ita Divorum vitam adeptus sibi cum populis jure videri potest Princeps, prosperúmque tenere regni cursum, nunquam rebus duris, tristibúsque interrumpendum.

CONTRARIUM. At verò miseram regni illius conditionem, cui Rector præest devius à virtute. Princeps vitio mancipatus, facilè populo in vitium naturâ suâ prono affricat errata. Vehementiùs in subdito culpa accenditur, quando pro reverentia dignitatis scelus in Principe honeratur. Si rerum potiens immani dominatu jugulos calcet subditorum, & rabie plus quam ferali in eorum excidium debacchetur, iræque suæ pro animi sententia frena laxet; paribus irarum stimulis ad nefanda quæque impellitur populus, & in rabiem urbibus noxiam asperatur. Rege iracundiâ flagrante, nemo non incandescit. Exulet à Principis solio Zelevci regula, justitiæque oculis in provinciarum arbitro præstinguatur: nemo lumina ad æquitatis trutinam applicabit, nemo, ut par est, exercebit quæstionem Sedente pro tribunali iniquitate, fas solum vertere jubetur. Laboret Princeps ex inscitia, literásque vix à limine salutârit; nemo subditorum bonis artibus operam navabit, nemo Palladi nomen dabit maximo Reipublicæ detrimento Principe ex abditis literarum fontibus nihil hauriente, neminem sitis artium, & scientiarum accendit. Sit Princeps alie-

alienus à Religione, divinaque habeat despicatui: omnes cultum supremi Numinis, vitæque integritatem ponent in postremis. Et ne per alia evagemur meridianâ luce clariora, exemplar agendorum petunt à Principe subditi, ejúsque vitæ instituto se conformare adnituntur. Prototypon scelestum, facilè paria sibi ectypa efformat. Pestiferum capitis flagitium, in membra virus suum pronum est, ut derivet. Monarcha, qui in conspectu populi dignam censurâ Aristarchi vitam agit, mortem sibi, aliisque vivens accersit Quid quod monstrum solio insidet Princeps vitiosus. Quid juvat summo locari gradu, si animus in imum scelerum sit abjectus? Quid emolumenti adfert sedes prima, si vita sit infima; Quid magnifica proderit crepare, & manu, operéque segnescere? Quid in gestu, corporisque habitu præferre gravitatem, & in moribus alere levitatem? Si Princeps non habeat opera, non tantùm non prodest, sed vel maximè obest Reipublicæ. Facta principum sunt populis norma agendorum.

SIMILE. Unde subditos, Regum umbras nonnemo sapientum scitè asseruit, Quemadmodum enim umbræ figuras corporum, ita hi Principum mores adumbrant. A curvo corpore, in vanum umbræ rectitudinem præstoleris. Principe in vitii obliquitatem declinante, populum quoque à virtutis rectitudine desciscere videbis, Offendente Principe, rarus est, qui non offendat. Ut enim in officina chalcographica, liberario typo per socordiam, aut errorem vitiato, omnes postea libri typotheticis notis commissi, paribus cum mendis in lucem prodeunt: non absimiliter unius Principis offendiculum, totius populi sit vitium, ac dehonestamentum. At verò regnorum moderatore singulari virtutis excellentia præstante, rarior est, qui vitiis non faciat vale. Nam veluti laborantes ex oculis, pannos cyaneo colore imbutos manibus versantes, illorum aspectu nonnullum capiunt morbi levamen: ità populi, qui Principis eximio virtutum splendore clari imaginem præ oculis habent, in eámque assiduè lumina defigunt, licèt mentis oculum vitio perturbatum habeant; à virtutis tamen idea è Principis moribus relucente perfectam consequuntur sa-

nitatem. Valeant quam rectissimè, bellissiméque orbis capita, incolumitatem, ac salutem in membra Reipublicæ derivabunt. Sint Principes lux Solis orbi subjecto, totíque astrorum regni sui satellitio lumen virtutum communicent: nullus, aut perpauci ad Cimmerias vitiorum tenebras declinabunt. Æmulentur Principes moderatorem temporum Solem, assidua vertigine cælum obeuntem, suáque luce clarissima perfundentem, ac collustrantem omnia: accedent proximè subditi ad genium, ac naturam heliotropii, ad mores Principis nunquam non se convertentes. Sit demum Princeps speculum, vitreúmque subjectis suis oraculum, in quod jugiter oculos suos defigant, & ex ejusdem vivendi ritu ideam sibi agendorum efformabunt. Qualis nempe est Princeps, tales esse subditos est necesse.

EXEMPLA. At forsan ex exemplis hucusque asserta stabiliri avetis AA. Non invitùs meo perfungar officio, diversa allaturus archetypa, ad quorum vitæ cum laude actæ tenorem, mores suos populi conformárunt. Ac comprimís memoranda venit Serenissimi Belgarum Principis Alberti virtus, quâ facem præferente, domum regiam velut in pudicitiæ, modestiæ, ac Religionis sacrarium commutavit. Virtus Principis eadem in Palatinis relucebat: nec ullo erat apud Albertum loco, qui non eum moribus, vitæque consuetudine referret. (a) Hunc magna temporis intercapedine anteivit Theodosius Imperator, frugalitati impensè addictus. Hoc parco, sobrióque vivendi genere id effecit abstemius Princeps, ut in omnibus mensis Optimatum frugalitas assideret, moderatióque, exterminato luxu, apud summos, infimósque locum obtineret. (b) His suppar in omnibus Rex Aragonum Alphonsus, ut alios eminentiori dignitate, ita & virtute præibat. Ut verò suos ab immoderata vestimentorum, lasciváque elegantia ad ostentationem facta averteret, vestitu humili, & obsoleto utebatur. Cum verò ab officio Palatino moneretur, ut rejecto viliori habitu, regali se amiciret, reposuit: malo moribus, & authoritate meos excellere, quam diademate, & purpurâ. Atque ita indumentis artificio acûs splendidissimè

(a) *Bayerlink. in orat. funebri.* (b) *Paculus in orat. funeb.*

ſimè elaboratis, oſtroque perfuſis, è ditione ſua eliminatis, luxum omnem veſtium exceſſe regno juſſit. [c] Nec duntaxat exempla Principum in toga, ſed & in ſago vim obtinent exempli. Luculentum hujus veritatis teſtimonium exhibet Alexander Macedo, tot ſubjugatis hoſtibus victor nunquam non glorioſus. Forſan rei bellicæ gloriâ maximè clarus, in interiorem Perſidem cum delecto milite penetrare decernit. Dum verò contendit magnis itineribus ad gloriæ novæ metam, en tibi via obviat altis nivibus obſita, gelúque conſtricta, remoram victoriæ jam animo definitæ, factura. Sed nec via hæc difficilis, & aſpera curſum honoris valuit interrumpere, ac præpedire. Nam licèt triarios ſuos longo itinerum tractu jam delaſſatos, à proſecutione viæ abhorrere non uno obſervaret indicio; quia tamen exempla Ducum plurimùm ponderis habere non ignoravit; ex equo deſcenſum facit, primùſq; viam ſibi expeditam multo negotio efficit, gradúmque in Perſiam accelerat, facturus eam ſuæ poteſtatis. Hoc viſo rudiarii, tantique Principis exemplo moti, non gravate veſtigiis ejus inhærent, ac deſtinatam Imperatoris ſui metam egregia animi alacritate feſtinantes. [d] Pari ratione gemma Cæſarum Carolus V. ad lauros, & palmas nunquam non properavit, ducente ad glorioſas de ſubjugatis hoſtibus victorias, & triumphos ſpecimine, ac documento propriæ virtutis. Acceſſerat ſubinde cum militaribus ſuis copiis Albim fluvium, magna vi aquarum reſtagnantem. Cùm verò tranſmittere aciem pontis adminiculo nequiret, primus armis obrizo fulgentibus conſpicuus, amnem natatu generoſioris caballi trajicit, aliis in par factum calcar additurus. Et verò Martis aſſeclæ tanti Cæſaris exemplo permoti, continuò & ipſi, pedeſtribus copiis tergo equorum inſidentibus, poſthabito omni diſcrimine flumen ſunt ingreſſi, eoque feliciter ſuperato, hoſtem prælio glorioſe profligarunt. [e] Tanti refert Principem agendorum normam in ſe ipſo exhibere.

TESTIMONIA. Nec enim [ut teſtibus hucuſque di-

[c] *Æneas Sylv. de dictis Alphon.* [d] *Curt. lib. 5.* [e] *Surius in comm. f.* 404.

cta confirmemus] *tam imperio subditis opus est, quàm exemplo.* Plin. paneg. Nam *quales in Republica Principes sunt, tales reliqui solent esse cives.* Cic. [f] Etiam *obsequium in Principem & æmulandi amor, validior a, quàm pœna ex legibus, aut metus.* Tacit. (g] *Et rectè facere Principes suos faciendo docet.* Vell. Paterc. l. 2. Siquidem *flexibiles quamcunque in partem ducimur à Principe, atque, ut ita dicam sequaces sumus. Huic enim cari, huic probati esse cupimus; quod frustra speraverint dissimiles, eoque obsequii continuatione pervenimus; ut propè omnes homines unius moribus vivamus. Porrò non tam sinistre constitutum est, ut qui malum Principem possumus, bonum non possimus imitari.* Plin. Paneg. Itáque *Rex velit honesta, nemo non eadem velit* Sen. [h]

Nec sic inflectere sensus
Humanos edicta valent, quam vita regentes. Claud. [i] Nam *studiosè plerique facta Principum imitantur.* Cic. [k) *Et qui in altiorem honoris gradum extenditur, magis in exemplum spectantibus patet.* Quintil. [l] *Et vita Principis censura est, eaque perpetua. Ad hanc dirigimur, ad hanc convertimur.* Plin in paneg. Nam *eorum, qui Republicæ præsunt, non modò singula verba, nec res tantùm publicitus gesta animadverti, notarique solent, sed virtus quoque, jocique simul, & seria quoque.* Plato (m) *Et duo nos maximè movent, exemplum, & similitudo : studiosè enim plerique facta Principum imitantur.* Idem [n) Huic accinit Martialis in hos versus:

Nemo suos, hæc est aulæ natura potentis,
Sed Domini mores Cæsarianus habet.

Et Theodoricus Rex Gothorum ad Patres Conscriptos hæc exaravit: *facilius est errare naturam, quàm dissimilem sui facere Rempublicam* [o]

EPILOGUS. Quamobrem Principes, velut archetypa probitatis, ac virtutum vos aliis statuite, quò imitentur vitæ vestræ studia, & ad mores Imperantis populi conformentur

[f] *Epist. 3. ad Lentul.* [g] *in annal.* (h] *in Thyest.* [i] *5. Consul. Honor.* [k] *lib. 1. offic.* [l] *declam. 3.* [m] *de Polit.* [n] *ibid.* [o] *apud. Cassiod.*

mentur. Vestræ virtutes sint colores, in subditorum tabulas inducendi: pro peniculo sit actualis exercitatio rectè agendorum, oculísque semper ad prototypon virtutum convertantur. Non difficile à subdito retinetur; quod jam factum à Principe conspicitur. Tonitru erit ejus oratio, si vita fulgur fuerit. Principis namque splendor populi est incendium. Validiora esse rerum potientes exempla nôrint, quàm verba solum crepantia, pleniúsque opere gentes edoceri, quàm solâ voce ex alto tonante. Facta Principem exornant, aliosque ducunt in sui æmulationem. unde pulcherrimus, saluberrimúsque evadit ordo Reipublicæ., si onera populis imponenda, ante suis injiciat lacertis Monarcha, & ex se ipso prius capiat experimentum; qui aliis oporteat moderari. Facilè populus vestigia sequitur Principis, si rectè præcesserit, at si malè, ac perperam, asseclas habebit innumeros, cum Principe per vitia grassante, idem callis vitiorum à subdito expeditissimè teratur. Quare in excelso Regum fastigio sedentes, humilia vitiorum deserant est necesse. Qui enim aliorum delicta corrigant, si ipsi eodem vitio laborant, Qui Reges pro tribunali sedeant, ac quæstiones in reos scelerum exerceant, si ipsi eadem iniquitate sordescant? Quid quod clariores suas maculas reddunt provinciarum Præsides, si digna reprehensione agant, ac perniciosum præbeant subditis exemplum, quibus præferre facem ad probitatem oportebat. Sed quid hæc pluribus? Solis induere naturam Principes juvat; qui & sibi ardeant, aliísque lumen præferant virtutum.

CHRIA XII.

Quisquis odii medicamentum bibit. amare neminem potest.

Quintilianus declamat. 5.

EXOR-

EXORDIUM. **A**Lieno non eget encomio, qui maximus est, suo: nec verbis potest exequari magnitudo, quæ omnem dicendi facultatem altissimè transcendit: neque adscititia commendationis luce petit illustrari, quod jubare suo in oculis omnium elucescit. Atque inde consectarium est, claritatem nominis orbe toto diffusam, ab obscuro dicendi genere non emendicare Quintilianum; qui ipse sibi innubis est sapientiæ dies in mundo eruditorum. Et verò quis eximium ejus ingenii splendorem, Rhetoricæque lumina è tot elucubratis operibus effulgentia, coloribus, pigmentisque eloquentiæ valeat illustrare? Quis portentosas in laudes Principum panegyres, quis patheticam, plenamque acrimoniaæ in configendis vitiorum monstris facundiam, quis fertili natas ingenio differtationes, & acutis reconditisque sensibus prægnantes, idonea valeat paraphrasi elucidare? Næ ille non humano, sed divino præditus sit ingenio, ipsumque superet eloquio Nestorem, qui virum omni laude superiorem, grandiaque variarum cogitationum monumenta merito velit præconio exornare. Tantum mihi equidem non sumo? nec integrum est imbecillitati meæ eam impertiri laudem Quintiliano? ad quam nec ad lucernam Aristophanis elucubrata oratio, neque Attica licèt Musa quicquam pro dignitate valeat adferre. Quare hodie proimposita mihi dicendi provincia officio mea probè me persuncturum existimo, si unicam duntaxat ejus maximam succinctè enodaro, quæ ita habet: ***quisquis odii medicamentum bibit, amare neminem potest.***

PARAPHR. At liceat mihi ex te virorum disertissime percontari, quid hoc tantum non Theobusiæ ænigmate, gryphoque prodere lubuit, aut indicare? Quæ hæc inusitata eloquendi est ratio! Quæ insolens, pace tua dixerim translatio, proximáque temeritati Catachresis: Quid intercedit fœderis medicamini cum odio, aut vice versa, Quid valetudinis præsidium cum animi ægritudine, quid naturæ virtus in pharmaco triumphans, cum vitio habet affinitatis, An non satius è re Vatiniani odii, in vicem antidoti, pestilens, ac lethale virus ei accomodatius venisset: Et tamen medicamenti nomen huic destabili malo placuit admovere?

re? Quid ita? Cur non planius, ac dilucidius loqui tanto lubuit Oratori, Dispungat has Lycophrontis tenebras, ut veri lucem legem valeamus. Sed nulla, ut ego quidem existimo, nebula, ac caligine adopertum est Quintiliani dictum; qui non alexipharmacum, ac panaceam, præsentissimum morborum remedium attribuit odio, sed medicatam potionem, qua vel funestus, inducitur lethargus, aut alia corpori mortifera ægritudo. Etiam toxicum, ac philtrum mentem dementans in nomen cadit medicinæ. Atque hoc medicamentum odii, malignámque potionem quisquis largius biberit, neminem amore debito prosequetur. Neminem, ita sanè. O quantus hic eloquentiæ campus apertus, per omne hominum genus, ac conditionem longè latéque diffusus, At satis, supérque mihi hodie fuerit de homine odio flagrante edicere: neminem omnium amore complectitur, nullíque locum in animo suo favet amicitiæ, odio capitali dissidens ab universis.

CAUSA. Est quippe, ut id ipsum ratione aliqua confirmemus, est, inquam, è mente sapientium hoc execrabile vitium inveterata ira; quæ adeò profundas in corde radices agit, ut nullo virtutis: industriæque sarculo stirpitus valeat evelli. Odia inveterata raro videris persanata. Date enim mihi AA. hominem, si tamen hominis gaudere potest prærogativa, date inquam mihi hominem, qui effervescentem iram non continuò reprimat, sed plusculum huic insano motui indulgeat; aversa foveat à proximo cogitata, acceptatam in animo suo aggravet offensam, sanguinem in flammas agat, biléque intumescat: an non conclamatum de salute ejus censueritis? Nemo, aut rarior curationem recipit, qui suo sibi arbitratu animi ægritudinem inducit. Odii aconito totum hominem occupante, incassum remedia adhibebis. Citius elephantiasi, aut morbo herculaneo laborantem pristina salubritate donabis, quam ægrum novercali odio ad sanam mentem revocaris. Atque exinde quid est, quod meremur, tot alia promanare corporis, animíque mala, quæ non duntaxat authorem suum ad extrema deducunt, sed perniciali contagio in proximi exitium, famæque interitum noxiè grassantur. Utque jurgia

gia, dissensiones, & id genus alia cum toto vitiorum syrmate involvam silentio; an non in sicariorum infamen censum jure illi veniunt; qui alienos gerunt animos ab iis, ad quorum familiaritatem se applicare deberent. Sed gladium in eos non distringunt, non pugione percutiunt, non plagas, & vulnera infligunt, neque eos luce communi, viave privant? At solo odii cogitatu in corde eorum debachante, malúmque identidem machinante; cædem velut subsessores perpetrant, perversáque voluntate sua immaniter hostes contrucidant. Quos oderunt, occiderunt Quin sibimet ipsius spontaneum consciscunt exitium, legibúsque naturæ adversantibus se se interimunt; cum odium omni mucrone sævius intima viscerum occulta immanitate pervadat. O noxium humano generi vitium, quod & authorem suum, & proximum è vivis exturbat.

CONTRARIUM. At ex adverso, quæ non, quantáque dimaneant emolumenta ex amoris pharmaco tota amystide in jura fraternitatis epoto, atque ex mutua inter homines benevolentia, legibus divinis juxta, ac humanis utiliter sancita. Hæc enim verò induratos mortalium animos emollit; hæc saxea adversariorum corda disrumpit, hæc arentia in reciprocum eliquat amorem, amissa familiaritatis jura educit; deperdita reperit; ruinam minitantia erigit, ac consuetudinem humanæ societati per quam necessariam jugi conservat in vigore. Et verò hanc tueri, sartámque omni tempore conservare, ipsa nos docet humanitas, si homines dici velimus. Quid quod hæc dilectio tantò magis debetur, quantò amplius impenditur: nec amittitur, quod opere identidem exhibetur; sed danti multiplicatur, reditque semper cum fœnore mutui amoris. Hoc amore sociali nihil in rebus creatis optabilius, nihil delectabilius, utilius nihil possidetur. At videor nonneminem mihi oggerentem audire: honori meo derogavit adversarius, injuria me affecit? jura amicitiæ deseruit, pessiméque de me est meritus? Qui igitur eum feram in oculis, qui me ad ejus familiaritatem conferam, quíque inter primæ admissionis habeam amicum? Si me audis, & saluti tuæ, famæque immortali consultum aves: mitte continuò simultatem; odi-

odium è pectore jube exulare, injuriarum memoriam ex animo ejice, offendicula sepeli æterna oblivione, cúmque tibi necessitudine junge; qui eam discidit, ac dissolvit, & mutuâ te complectetur hostis benevolentia, si adhuc intra terminos remanet humanitatis. Ad hæc, qui remittit aliis, ipse sibi veniam tribuit, non sinè perennaturæ gloriæ incremento. Multò apud æquos rerum æstimatores gloriosius est injuriarum oblivisci, quàm odio incitante feraliter ulcisci. Præstat medicamen amoris plenis bibere cululis, in suam, proximorúmque salutem; quàm noxia odii potione se proluere in propriam: aliorúmque internecionem. Vita reipublicæ à mutuo animatur amore, eoque indissolubiliter perdurante, stabilis permanet, ac inconcussa.

SIMILE. Quemadmodum enim architectus, maximorum licèt operum structor, nunquam ædificio imponet coronidem, nisi ferrumine cæmentorum ita lapidem committat lapidi; ut alter hæreat alteri, mutuoque se se potent: haud secus in ordinata Reipublicæ fabrica damnũ haud leve, & indubia rei communis ruina meritò pertimescenda est, si ejus membra reciproco amore comportare se renuerint, detrectârint. Dissipetur est necesse, quod odio separante divisionem patitur, & in adversas abit partes. Ut enim jacula in unum fascem colligata ægrè admodum diffregeris; segregata verò nullo negotio in frustra egeris: non absimiliter respublica adversus hostes suos invicta stabit, & perennabit; quoadusque ejus municipia per vinculum concordiæ fuerint adunata. At verò ubi divisionem animorum, & amorum admiserint, pronum est omnia pessumire. Nec solum in comparationem venit agreste odium cum disgregatis fascis ejusdem jaculis, sed vel maximè flammæ imitatur naturam, universa in cinerem, & bustum redigentis. Exoriatur Vulcani rabies in æde repagulis, & obicibus intersepta, exitúque prohibeatur, an non majorem inferet perniciem, totámque incendio absumet domum? Æstuet Vatinianum in corde hominis odium: pulcherrima animæ structura flammis interibit, utinam non sempiternis. Hoc agunt flammæ odii per intima grassantes, debacchantes, Verùm enim verò si in apricum prode-

at,

at, quæ non detrimenta infert reipublicæ, ac suis præsertim adversariis, quos in odiorum metam ita statuit, ut eis maximopere officiat, nullàque non afficiat calamitate. Et quamquam fortassis reapse hostibus suis, utpote extra telorum jactum positis insanabilem nequeat infligere plagam, animo tamen, ductu odii, mille vulnera, funeràque machinatur.

EXEMPLA: Hoc capitali [ut ad exempla veniamus] odio in omne hominum genus exarsit misantropos ille Thimon Atheniensis, qui usque adeò insana hujus vitii potione se se ingurgitavit, ut velut contagionem, aspectum omnium fugerit, sermonem, aditum, congressumque horruerit, atque universis pestem, malámque crucem exoptarit. Cùm verò quispiam non sine formidine ex eo scitaretur: eccur plus quàm hostiliter aversus homines affectus esset, atque adeò ejus voluntas ab omnibus abhorreret, reposuit voce acerbitatem spirante: improbos odi, quia improbi sunt, reliquos autem, quia improbos non oderunt. (a) Sed non duntaxat per inglorios terræ filios, infimíque subsellii homines, sed per ipsa etiam orbis capita hoc execrabile vitium suum exercet dominatum. Testem hujus veritatis appella Hannibalem odio capitali à Romana gente dissidentem. Utque innumera maligni ejus animi in Romanos argumenta missa faciam, quæ in adulta ætate palam dedit, needum ex ephæbis excedentem tantisper contemplemur. Nondum nuces Hannibal reliquerat, versando trocho habilior, quám sceptro, ferròque, cùm a plenis cyathis amarulenti odii potionem combibit, quæ adeò pueriles adhuc medullas permeavit, ut crescentibus annis in atrocissimas effluxerit simultates, nulla arte edomandas. Cùm verò nescio quæ funesta, etiamnum titubante lingua creparet bella, quispiam ex usu familiari non veritus fuit eum percontari: quinam conceptum Romam inter ac Carthaginem odium esset terminandum: Quid hic reposuisse existimatis AA. irrevocabili odio flagrantem pusionem, Facto, verboque responsum dedit: Nam pede solo ferociter infixo, ac suscitata nube pulverea, tum demum

[a] *Sabell. lib.* 2. *c.* 34.

mum finem belli fore edixit, cum dissidentium partium altera in pulverem fuerit redacta. Quis non hic natum Romani gentis exitio ingenium clarissimo colligat argumento: (b) Sed hæc in rudibus annis, in eâque ætate, quæ cum ipso nutricis lacte errorem sugit, & ab incunabilis ad studia Martis eruditur, minus admirationis pariunt, atque moderatiore animo sunt accipienda. Verum quis æquâ ferat mente, viros sapientiæ dotibus cumulatos, quique aliis rectè vivendi facem præferre deberent, simultatibus esse obnoxios, agrestique odio inter se dissidere? Hoc aversissimo, infensissimóque erant animo Divinus ille Plato, ac Philosophorum princeps Aristoteles, quibus nunquam, ut par erat, conveniebat, ceu ex veterum monumentis, toti palàm fit universo. At quæ causa dissidii, ac discrepantiæ inter oracula sapientiæ? Si fides habenda est rerum à Græcis gestarum scriptoribus, diversum vitæ institutum præbuit materiam odiorum. Quippe Plato vestitu humili, & obsoleto, feréque mendiculorum tegetibus utebatur: Aristoteles verò concinnâ veste, & ad ostentationem facta amiciebatur. Ille nudatis pedibus procedebat in publicum: iste calceamenta, ac sandalia eis inducebat. Ille promissâ barbâ, capillóque neglecto, ac sine lege errante horrebat: iste cultiorem alebat comam, cæsarémque sæpius, ac barbam resecabat ad decorem. Hæc dispar cultus ratio, aliaque forte, quæ Græcia memoriæ non prodidit, eam peperêre in animis eorum simultatem, ut nunquam non abhorruerit voluntas Platonis ab Aristotele, nunquam non Aristoteles Platoni fuerit infensus. (c) Ità nonnunquam acerba etiam inter sapientes odia levibus de causis enascuntur, quæ nullus dies, nullaque temporis abolet intercapedo.

TESTIMONIA. Quamobrem odii *principiis obsta*: *serò medicina paratur, cùm mala per longas invaluére moras* Ovid. (d) Nam *omne malum nascens facile opprimitur: inveteratum fit plerumque robustius.* Cic. [e] Unde.

Helleborum frustrà, cum jam cutis ægra tumescit,

I *Poscen-*

[b] *Plut. in vita Hannib.* (c) *Cælius lib. 17.* (d) *Lib. 1. de rem. amor.* [e] *Philip. 5.*

Pascentes videas: venienti occurrite morbo. Persius [f] *Affectus quippe frequentes neglectique fecere morbum, sicut distillatio una, nec adhuc in morem deducta, tussim facit, assidua, & vetus phthisim* Sen [g] *Animus* enim *si in iram, aliosque se projicit affectus, non permittitur reprimere impetum. Rapiat illum oportet, & ad imum agat suum pondus, & vitiorum natura proclivis.* Idem. [h] Itaque *in primis finibus hostis arcendus est. Nam cum intravit, & portis se intulit, modum à captivis non accipit. Hinc facilius est excludere perniciosa, quam regere, & non admittere, quam admissa moderari. Cum enim se in possessionem posuerunt, potentiora rectore sunt, nec recidi se, minuive patiuntur Deinderatio ipsa, cui frena traduntur, tam diu potens est, quamdiu deducta est ab affectibus. Si miscuit se illis, & inquinavit, non potest continere, quos submovere potuisset.* Sen. Enimverò *gravissimum est imperium consuetudinis.* Publ. Mim. Præsertim verò odii, quæ Tullio est *ira inveterata.* [i] Atque inde nonnulli *odiis propè majoribus certarunt, quam viribus.* Liv. (k) Hæc ut ex animis hominum primæ, ut vocant notæ, penitus evelleret Patriarcha, hac utitur paræneſi: *Domini animadvertite, qualiter tempus volat, & qualiter vita fugit, & mors fit supra dorsum nostrum. Vos estis nunc hic, recessum ipsum discite, quod anima est nuda, & sola: oportet, ut perveniat ad viam dubiam. Ad transeundam hanc vallem placeat deponere odium, ac indignationem. Venti contrarii vitam claram reddunt, & id quod in alterius pœna tempus amittitur, ad actionem digniorem manûs, aut ingenii in quampiam pulchram laudem, in aliquod honestum studium convertatur. Sic hic gaudetur, & via cæli patens reperitur.* Hæc ille. [l] Cui accinit Poëta Cordubensis in hæc metra:

Si æterna semper odia mortales agant,
Nec cœptus unquam cedat ex animis furor,
Sed arma felix teneat, infelix paret:
Nihil relinquent bella. Tum vastis ager

Squa-

(f) *satyra* 3. (g) *epist* 75. [h] *lib.* 1. *de ira.* [i] *lib.* 4. *Tuscul. quæst.* [k] *lib.* 23. [l] *Cantian.* 25.

Squalebit arvis, subdita tectis face,
Altus sepultas obruet gentes cinis. [m];

EPILOGUS. Quâ de causa medicamentum odii, quod non morbo levat animum, sed mentem sanam gravissimè offendit, vel delibare horreamus. Quod si tamen quidpiam de ejus malignitate haustum in corde nostro etiamnum est reliquum, illud quantocyus egeramus, ne animi interitum nobis ultroneè accersamus. Ab hoc perniciali malo si immunes esse avemus, locum veniæ continuò demus adversariis, injurias æternâ oblivione sepeliamus: odia in amoris studia convertamus, simultates in exilium mittamus, solúsque amor, ac concordia in humana República triumphum agat. Homines diligamus, quia homines sunt ejusdem consortes naturæ, vitia verò eorum duntaxat horreamus. Non enim est prudentis errantes odisse, alioquin ipsi nobis odio erimus. Quare pacem habeamus ad invicem, & neque facto, neque verbo, neque alia quacunque demum ratione proximorum honori derogemus. Subducatur materia flammis odii, & æstuans hoc vitium penitùs restinquetur. Evitetur occasio dissensionum, & hoc tumultuans in animo malum conquiescet. Et quamquam ab aliis odio habeamur, non idcirco par pari reddamus, cum vitium vitio rependere lege divina, humanáque prohibeamur. Majori cedit gloriæ hosti parcere, quam perdere odio stimulante. Non eant in longum odia, animóque nunquam exardescant, ne in fatale bustum abearis sempiterni inferorum titiones.

CHRIA XIII.

Nihil pretiosius tempore. *S. Bernardus serm. ad scholares.*

EXORDIUM. Libeat mecum hodie AA. tantisper descensum facere ad Claram Vallem, rore gratiarum cælestium irriguam, in eaque mysticum contemplari Olito-

(m) *Herc. fur.*

rem, è diverso florum genere sacrum viridarium conferentem. Et en, quam miro ordine directæ ad normam virtutis aut quadrantur, aut rotundantur areolæ, in quibus odoriferæ hortorum gemmæ, floréſque virtutum progerminant, & ad illicium non tam oculorum, quam animorum ſuum explicant pretium, ac decorem. Hic plantarum gloria terræque decus, ac ornamentum, argentea candicant pudicitiæ lilia, ad quæ nullus infamis mollitie unguis accedere, minus carpere valet, aut iniquinare. Quibus illud inſcripſeris: candore triumphant. Esthinc regna florum omnium purpuraſcit roſa, non ſanguine Idalio, [ut commenta referunt] ſed murice verecundiæ perfuſa, quæ adverſus diſcinctos Veneris nepotes, ſatellitio veprium eſt obarmata, cui vulgatum lemma applicueris: noli me tangere. Illinc demiſſi animi typus, humi ſerpentes violæ, ab elatis thraſonibus non violandæ, ſuaviſſimum diffundunt odorem, quibus epigraphen adjeceris: gratiſſima humilitas. Alibi alia florum myſticorum decora ſuam expandunt gloriam, quæ ne æquo longiores ſimus, miſſa facere jubemur. Ad hæc non Theſala Tempe naturæ manibus fabricata; ſed gratiæ virtute conſita Bernardi viridaria, univerſis probæ vitæ ſectatoribus, non duntaxat facilis acceſſus patet, quin pro libitu has odoras licet gemmas colligere; & mira florum germina in proprios uſus carpere, quæ non quidem ſint narium illecebra, at ſalutare animi oblectamen. Legant alii vel aurum roſarum, vel argentum illiorum, vel lutum violarum, variíque varia legant florum myſticorum ornamenta: ego nardum piſticam à pretio commendatam decerpo, cui illa Bernardi gnoma ſit inarata: *nihil pretioſius tempore.*

PARAPHRASIS. O flos florum! O germen ab ipſa ſapientia plantarum, cujus vel aliqua duntaxat folia paucis liceat explicare. Utinam hunc florem in reconditæ eruditionis ſolo enatum, ipſe deſertiſſimum Orator Claræ Vallenſis per mellifluas periodos diffudiſſet! Solum inquit: nihil eſſe pretioſius tempore. Quid ità melle dulcior Bernarde? An tempus, quod hominibus projecta alga vilioribus, ipſiſque adeò Iris commune venit, ſummi obtineat pretii æſtimatio-

mationem? Ita equidem sentit parsimoniæ temporis zelator singularis Bernardus. Præferant alii Cræsi, Midæque opulentiam, & auri sartaginem nocturno, diurnóque labore accumulatam primis in curis habeant: Bernardo omnibus fortunis pretiosius est tempus. Æstiment alii mortalium, præsertim qui ad sequiorem accedunt sexum, erutos è visceribus terræ onyches, atque adamantes, nativo suo fulgore oculis imponentes. Magni ducant haud æqui rerum æstimatores ejectos ab indignante Erythra, vel Hydaspe uniones, lineasque margaritarum omni pretio anteferant: pretiosius est his tempus Bernardo. Maximi pendant affixi terræ homunculi sumptuosa principum palatia, surgentia auro laquearia, quadrata porphyrite Cæsarum Augustalia; pluris facit Bernardus, ac pretiosius tempus, quod hæc universa edaci dente consumit. Pretium sibi alii constituant vel in perfusa ostro tunica, yel in elaborato acu phrygia amictu, vel in quovis alio corporis decore: nullum his pretium tribuit Bernardus, quæ blattæ, tineæque in opprobrium luxus facile corrodunt. Suspiciant alii alia, quæ longum esset referre, summíque ducant, quidquid ambitu suo pretii orbis ter-aqueus complectitur, non tam è merito rerum, quam opinione hominum rebus æstimationem imponens: Bernardo nihil est pretiosius tempore; quod rebus omnibus virorum sapientissimus longissimè anteponit.

CAUSA. At eccur temporis usura tanti fit, tantique penditur à Claræ Vallis, universíque Doctore? Novit enimverò, apprimèque compertum habuit, nullum esse sumptum pretiosiorem tempore, solúmque esse, cujus jactura nullo impendio sarciri queat. O quod etiamnum reperire est hodie, qui amissum boni temporis pretium nulla arte recuperare valent. An non amplas, copiosasque opes perlubenter effunderent; si præteritum revocare possent tempus per aggestam auri congeriem? Sed actum agunt. An non de gradu dignitatis, & honoris haud inviti descenderent, si deperditum in ruderibus gloriæ tempus recipere esset integrum? Sed reti ventos captant. An non omnia præteritorum annorum gaudia, & mellitissimas

voluptates cum felle, absynthióque rerum adversarum haud ægrè commutarent, si anteacti temporis jacturam hoc pacto possent resarcire? Sed è pumice aquam postulant. Nemo horas; nemo dies, nemo annos male collocatos restituere sibi ulla ratione valet. Res nummaria, Pelopisque talenta, à vecticulariis, & lavernionibus sublata recuperari adminiculo industriæ possunt, at nunquam tempus. Allata Gange unionum, margaritarúmque pretia commercari ære valent, at nunquam tempus. Absumpta furore igneo prætoria novis operibus restaurari possunt at nunquam tempus. Alia omnia ad pristinum revocaris florem, ac vigorem, at nunquam tempus. Adeò nempe gravis est jactura temporis nulla arte reparanda.

CONTRARIUM. Et tamen tempore è sensu ejusdem Doctoris melliflui, cujus ratio maximi habenda esset, nihil est vilius, minimóque habetur loco, quin penitus negligitur, fastiditur. O quam multi tempus perniciosis actionibus comburunt, bonámque vitæ partem rebus nunquam profuturis, perperam extradunt. Isti somno appro be irrigati in altum diem stertunt, ac ultra Epimenidem dormiunt, qui tamen excubare pro re familiari, próque virtutum augmento deberent. Illi magnam diei noctisque portionem lectissimis ciborum cupediis insumunt, instruunt per ordinem saliares epulas, instaurant commessationes, natique duntaxat abdomini, ad ambas usque aures sese ingurgitant, juges patinarii, ac glutones. Accedit, quod plurimum temporis mero frangant, in orbem identidem bibant, jus fraternum immanibus scyphis sibi concilient, ingentes exsiccent cyathos, pretiúmque temporis cum debita salutis cura submergant. Alii ludis otium conterunt; honestúmque, ac liberale studium cum abaco lusorio commutant, talos continuò, aut chartas vetitas manibus versant, fritilli sonitu duntaxat delectantur, non tam pretium dierum, ac noctium deperdentes, quam rei domesticæ jacturam facientes. Nonnulli vel saltatorium orbem persæpe versant, vel genio fædum in modum indulgent, vel alia, quæ nefas est recensere, in quotiadinum deducunt usum, nulla famæ, salutísque habita ratione. Atque ita dies diem, annusque

núſque annum excipit, quibus tempus peſſimè collocatur, nihilque actitatur, quod ratio; quod virtutum leges à nobis jure ſuo efflagitant. O calumitoſum ævi noſtri ſtatum, in quod omnis impietatis colluvies exundavit! O deliros ſæculi noſtri mortales, qui nullius rei penuriâ, quam temporis laborant!

SIMILE. Eccur in hac iniqua temporum conditione, cujus ipſi authores ſumus, ſi non virtute præditos, parcóſque temporis, ſaltem inſtitores; ac propolas lubet æmulari? Ecquis nundinatorum eâ ſegnitie torpeſcat, adeóque rerum ſuarum ſit incurius, ut dum frequent in emporio indicitur mercatus, non lucri, ac copioſi quæſtus gratia, omne tempus utiliter ponat? Et nos vitæ hujus ſpatia, quæ ad mercatum ſimilitudine proximè accedunt, ſinè fructu, ac emolumento transmittamus, & tam parvi temporis uſuram faciamus? O lymphaticos, ceritóſque mortales, qui dum pretioſas adeò operum bonorum merces ſummi vendere, aut comparare valent, indultam à Cælo pro his temporis opportunitatem iniquiſſimè dilapidant. Ecquis adeo ſit à ratione averſus, ut opobalſamum, caſiam, vel ſtactem ad colluviarium, aut foricam abjiciat, vel alios in uſus minus congruos effundat? Et nos pretioſius hac odorum ſuavitate, ac fragrantiâ tempus, in res frivolas, inanes, fluxas, ac evanitas impendamus? Ecquis telones, portitores, aut quoſcunque demum vectigalium exactores culpa teneri diffiteatur, ſi nullam tributi quamquàm levis habeant rationem? Et nos eximendam à noxa eorum deſidiam arbitremur, qui fœnus temporis ſine emolumento diſpergunt? Quis demum eos mente non excidiſſe reputet, qui ad Regis gazophilacium admiſſi, copiam habent quidlibet per unius diei moram in uſus ſuos efferendi, ſi vel momentum temporis elabi ſinant, quo ſuæ conſulant egeſtati? Et nos in aureo temporis theſaurario conſtituti, quibus integrum eſt ampliſſimas ejus opes aggregandi, hanc occaſionem ſegni otio, ſummóque cum diſpendio negligamus?

EXEMPLA. Aliud tempori pretium ſtatuere inaniam licèt Deorum cultores, & quamquàm tenebris gentilitatis oppreſſi fuerint, naturali tamen rationis lumine per-

spexerunt, quantùm pretii ei insit rectè, ut par est impensi. Quod si id exemplo reddi illustrius avetis, Sertorium Proconsulem Romanum in medium producamus. Forsan hic heros militaris disciplinæ admodum peritus exercitui Romano summa cum potestate præfectus, transitum per terras barbarorum cum militaribus copiis adornabat, Quia verò bello opprimendos pro ratione illius temporis non censebat, transmissionem non levi peculio sibi procuravit. Ob hoc factum cùm à suis stomachantibus malè audiret, quod Romani barbaris penderent tributum, hæc ad eos verba fecit: scitote me tempus redemisse; quo nihil carius esse potest avidis magnarum rerum viris; (a) Huic accedit Similius magnus æstimator temporis, qui cùm annos complures in clarissima Præfecturæ dignitate invitùs transegisset, septem verò duntaxat postremos in suburbano prædio tranquillè, placidéque persolvisset, illud urnæ sepulchrali inarari jussit: Similius hic jacet, cujus ætas multorum quidem annorum fuit, septem verò solum annis vixit. (b) His accensendus jure optimo venit, aut satiùs præferendus generis humani delicium Titus Vespasiani filius; quem cùm nocte concubia subiisset memoria, se nullum eo die beneficium amicis contulisse, cum gemitu fertur exclamasse: hodie diem perdidi. (c) Tanti nimirum ducebat tempus, quo bene de aliis merendi opportunitas datur. Et ne ab Roma sapientiæ magistra longius abeamus: tantisper Curionis maximi, & Hierarchæ Clementis VIII. sensum de pretio temporis accipiamus. Fortè non unus ad hunc sapientiâ conspicuum. Protomystam se se contulerat, sortem suam inauspicatam ad sanctum ejus tribunal depositurus. Et alius quidem jacturam fortunarum suarum copiosis infusùs lacrymis exponebat: alius famæ, nominisque dispendium interruptis dolore vocibus depromebat: alii in alios quiritatus prorumpebant; quibus malignitatem fatorum lugubribus verbis explicabant. Sed quid ad hæc Sacerdos summus? Ejus vero rei, ait, jacturam deplorandam censeo; (tempus indicans) quæ semel amissa revocari non potest, nec reparari. (d)

TES-

[a] *Plutar. in Sertor.* (b) *Dio Cassius in vita Adriani.* (c) *Suet. in. Tito.* (d) *Bayerl. in apopht. Christianor.*

TESTIMONIUM. Hujus nè irreparabilem faceret jacturam Lucilius, hæc ad eum per tabellam dedit Magister morum Seneca: *Ita fac mi Lucili, vindica te tibi, & tempus, quod adhuc auferebatur, aut surripiebatur, aut excidebat, collige, & serva. Persuade tibi, hoc sic esse, ut scribo Quædam tempora surripiuntur nobis, quædam subducuntur quædam effluunt: turpissima tamen jactura, quæ per negligentiam. Et si volueris attendere, maxima pars vitæ elabitur malè agentibus, tota vita aliud agentibus. Quem mihi dabis, qui aliquod pretium tempori ponat? qui diem æstimet, qui intelligat se quotidie mori; In hoc enim fallimur, quod mortem non prospicimus. Magna pars ejus jam præteriit. Quicquid ætatis retro est, mors jam tenet. Fac ergo mi Lucili, quid facere te scribis, omnes horas complectere: sic fiet, ut minus à crastino pendeas, si hodierno manum injeceris. Dum differtur, vita transcurrit. Omnia mi Lucili aliena sunt, tempus tantum nostrum est. In hujus rei unius fugacis, ac lubricæ possessionem natura nos mittit, ex qua expellitur, quicunque vult.* Ita Romanus Sapiens [e] Alio verò in loco de confectis senio, atque inani otio ita differit: *Nihil turpius est, quam grandis natu senex, qui nullum aliud habet argumentum, quò se probet diu vixisse, præter ætatem Longa est vita, si plena est. Quid illum sexaginta anni juvant per inertiam acti: Non vixit ille: sed in via moratus est: nec serò mortuus est, sed diu. At ille obiit viridis; sed officia boni civis, boni amici, boni filii executus est: in nulla parte cessavit: licet ætas ejus imperfecta sit, vita perfecta est.* (f) Mellifluus verò Doctor ita differit de tempore: *Nemo vestrûm parvi æstimet tempus, quòd in verbis consumitur otiosis. Volat verbum irrevocabile, volat tempus irremediabile nec advertit insipiens, quid amittat. Licet fabulari, dicunt, donec hora prætereat. O donec prætereat hora, quam tibi ad agendam pœnitentiam, ad obtinendam veniam, ad acquirendam gratiam, ad promerendam gloriam miseratio Conditoris indulget. Donec transeat tempus, quò divinam propitiare debueras pietatem, properare ad angelicam societatem, suspirare ad amissam hæreditatem, excitare remis-*

[e] *epist.* 9. (f) *epist.* 13

remiſſam voluntatem, flere commiſſam iniquitatem. [g]

EPILOGVS. Ex quibus illud pro colophone haud malâ intulerim ſequela: meliorem eſſe ſenectutem morum, quàm annorum, nec non meritorum, quàm temporum malè tranſactorum. Ibi quippe perfecta cenſetur ætas, ubi virtus ad perfectionis gradum aſcendit. Sit vita noſtra jugis mercatus, ut cùm abeundum de vitæ ſtatione fuerit, penuria eorum non laboremus, quæ ad viam faciunt longinquiorem. Curæ nobis ſint omnes ſtillæ temporum, nè ullam per ſegne otium effluere patiamur, quæ inſimul aggregatæ pelagus tranquillum efficiunt, per quod ad optatum felicitatis portum provehamur. O ſtultiores terebintho, vel Amphiſtide mortales, qui profuſiſſimi ſunt in jactura temporis: cujus unius honeſta eſt avaritia. Re omnium pretioſiſſima luditur, nulláque ejus ratio habetur, cum ſub oculos non cadat res corporis expers, cujus tamen pretium vident oculi immortales, & in maximis illud ponunt. Quare virtutis ſtudioſi, ac præſertim floridior ætas, cui ver adoleſcentiæ pro ludo eſt, nunquam anſam perbenè agendorum præterlabi ſinat, quæ opinione citiùs aſſolet elabi. Rarus eſt, quem fugiat, occaſionem gerere in pedibus talaria, volubili rotæ inſiſtere, fronte eſſe capillatam, glabroque capite, quod niſi continuò arripiatur, protinus ſequi pœnitudinem, individuam comitem occaſionis. Hæc amplectenda eſt, dum abeſt, nunquam alioquin ulla arte revocanda. Illud demum ſcitote velim, fugax ætatis ſpatium, vitreámque valetudinem noſtram non quibuslibet rebus eſſe impendendam, ſed iis duntaxat, quæ animum erigere posſint ad magna, eáque æviterna.

CHRIA XIV.

O formoſe puer nimiùm nè crede colori. *Virgil. in Bucol.*

EXORDIUM. Aſſurgite AA. Magno illi Poëtarum Principi Publio Virgilio Maroni, cui Roma orbis domina

[g] *in ſerm. ad ſcholares.*

domina [ut perhibent scriptores] cum universo populo assurgere non est verita; cum divinos suos, & ad omnem limam perpolitos versus, pro theatro, apta moderatione vocis, & gestûs decantaret. Nec quisquam miretur velim, nam ab Romanæ gentis suffragio collatam fuisse tanto Poëtæ venerationem, quæ illum admirabili quodam deorum dono præditum reputabat, ac divinitatem quandam artis metricæ consecutum esse existimabat. Adeò quippe cœlesti quadam vena in humanas defluxit mentes, ut nunquam non attonitum rerum novitate, dicendíque gratia reddiderit. AA. Nec solùm, quod Poëtarum est proprium, suavi, gravíque illapsu in aures Romanorum influxit, animosque mira dulcedine versuum demulsit, sed & ad virtutis studium haud paucos feliciter inflammavit. Et quid ab virtuoso, parthenioque vate aliud potuit Roma præstolari? Qualis enim vir, talis, & ejus oratio. Ab idea virtutis, quid nisi seminata probitatis exspectes? Atque hæc non duntaxat viris Plato ille Poëtarum dictavit; sed & vernantem primo flore ætatem ad virtutis normam inflectebat. Unde illa ad nitentem floridulo ore Acanthum saluberrima parænesis. *O formose puer nimium nè crede colori.*

PARAPHRASIS. O effatum omni venustate venustius, suaviúsque! Forsan virgineus Poëta pudicos conjecit oculos in Hylam aliquē, aut Hyacinthum, liberali prorsus, ac scitula facie præditum, lectissimæque parvulum venustatis. At qua tandem Narcissulus enituit formæ elegantia? eximia sanè, nobilissimàque. Et enim in serenissima, explicatissimáque frontis area Charites, ipse jugem sibi incolatum figere videbantur. Huic nigra, decoráque subjecta erant cilia, quæ candidissimum illius ebur coracino suo colore amplius illustrabant. In oculis Castor, & Pollux amæmissimè colludebant: aut fulgentissima emicabant sidera, quæ pulchritudinis diem ampliabant. In genis Pæstana efflorescebant rosaria, quæ argentum superantia circumdabant lilia, candidum & rubicundum Adonim spectantiū oculis exhibentes: Animatum labellis insidiebat minium, nativáque discurrebat purpura; non sine nota, atque indice prin-

principatûs in oris dignitate. Hanc perpolitam à naturæ lima formæ venustatem incingebat cæsaries auro certans, ordinatè in gradus fracta, sciteque in cirrhos contorta, quæ v. .t laqueis in sui amorem emissitios intuentium oculos irretiebat. Et nè per alias formæ hujus illecebras diffusius evagemur, totum succi plenũ Alexis corpusculum, & ad justam à naturæ beneficio efformatum symmetriam miram quandam spectantibus afflavit suavitatem. At sagaciori pollens oculo; ingenioque Poëta laude pudicitiæ clarissimus, probéque speciosum Acanthum contemplans, suoque, ut crediderim, vultûs decore pueriliter turgescentem observans author ei fuit gravissimus, nè plus nimio confideret formæ venustati.

CAUSA. Nec abs re illum Veneris nepotulum à nimia speciei suæ præfidentia, & amore deducere satagebat rerum caducarum apprimè gnarus eruditissimus Maro. Quid enim formæ gratiâ mobilius, quid levius, magísque inconstantiæ obnoxium, ac subjectum? Hæc enim verò autumno est inconstantior, mutabilior Chamæleonte. Nam decrepitæ ætatis accessu, pulcherrimus Ganymedes transit in Thersitem, horror, & abominatio oculorum. Abeat senio accedente in mille rugas eburnea frontis planities: gratiæ omnes, quæ ante in levi hoc æquore inoffenso pede discurrebant, alio commigrabunt. Emarceant, flaccescántque cilia, & grata eorum nigredo abeat in lurorem: ludibrium sunt spectantibus, & cavillus. Deficiant gemini illi oculorum soles, & totus pulchritudinis dies tristissimo occasu tumulatur. Deflorescant genarum rosæ, transeántque in pallidiorem buxo colorem argentea malarum lilia: prò quale ostentum turpitudinis oculos percellit, quod vix ex aula Telemachi, vel patrocli prodiret. Exarescat viva labiorum purpura, ejusque in vicem exanguis pallor succedat: totius oris decor Corytheo est deformior. Brevis proinde, & caduca est omnis vultûs gratia, fallax, & evanida, quæ facili ex causâ deperit, & in nihilum abit. Mentitur equidem se esse stabilem, quæ tamen, ut quotidiano usu edocemur, umbratica est, Proteoque, ac Vertumno mutabilior.

CON-

CONTRARIUM. Et tamen [ô corruptos, perditosque sæculi nostri mores!) ab vanis ævi nostri thrasonibus tanti ducitur? ut pro unius putridæ formositatis assecutione, velut pro Troja plurium annorum bella suscipiant, & cum rivalibus etiam in sanguineam non erubescant descendere arenam. Quodque crimen auget horridum, atque execrandum; ceu Dearum maximam de genu salutant, divinosque ei persolvunt honores. Vah nefas imane, eliso de cœlis fulmine, ac inferorum rogis jure maximo plectendum? Utinam ejusmodi ignobiles terræ filii, ac Thiresia, & Liberide cæciores, adamatas plus equo formas penitius introspicerent: næ aliam de ejus nitore ferrent sententiam, ac saniora imposterum volverent cogitata. Viderent sanè clarissimo lumine fulgentem superficietenus decorem, multa fœda contegentem, & sub levissimæ cutis obtentu ea latere cernerent; quibus enumerandis, nè Auditoribus fastidium creem, jubeor supersedere. At illud præterire vetor, quo saluti multorum consulere pro ratione muneris mei velim, nempe: ejusmodi procos, ac venatores formarum, in proximo semper versari discrimine salutis æviternæ. Nam quicunque hoc fucato vultûs nitore tenentur; vix ac nè vix quidem ab ejus complexibus abstrahuntur. Formosior quippe forma glutinum aucupum pennis amantium implicat nè in fastigia virtutum animo valeant evolare: velum adaptat oculis, nè verùm à falso discernant: fallacem pedibus instruit laqueum; nè vestigiis possint insistere virtutum. Atque ita multos per honestatis tramitem pergentes formæ decor remoratus est, & ad deviam, implicatamque erroribus viam detorsit. Hac vultus illecebra quisquis delectaris, habes domi tuæ adversarium, & quod certiorem animæ procurat interitum, delectabilem, ad blandum. Habes depopulatorem temporis, ac dulcissimæ quietis, nec non perpetuum tortorem, noctes, diésque te infestantem. Habes jugem laboris materiam, formenta pravarum cupiditatum, utque paucis complectar plurima, mala propè infinita.

SIMILE. At nè ab hac eburnea pestecontagium trahamus, oculos ab ea, mentémque avertimus, & ejus caducita-

citatem parabolicè aliquatenus declaramus. Aspicitis persæpe, ac versatis manibus, non sine oculorum, nariúmque illicio animatam illam rosæ amænitatem, & purpuream ejus pulchritudinem summa commendatione naturæ dilaudatis. At ubi hunc regem florem vel levis pruina percusserit, vel asperior aura vitiarit, vel inimicæ manus unguis violarit, non sine dolore videtis languescere, flaccescere, disperire, & in tabem resolvi, ac mephitim. Quid similius vernanti, florentíque gratiæ genarum? Utque alia parilitate liberalis formæ inanitatem explicemus: quis adeò à ratione sit alienus, qui abominandam fimi congeriem amore prosequatur: aut maximi ducat cæni, lutíque materiam, etsi candidissima nive coopertam; Et quis clara sapientiæ luce conspicuus caducam vultûs speciem deamet; quæ fimi duntaxat est Spectaculum, candidâ, rubeáque cute investitum? At fœdius vobis ostentum ob oculos ponam AA. si penitius formæ inanitatem lubet contemplari. Concedite mecum ad augusta Regum, Principúmque conditoria, nec non aliorum monumenta, quos formæ venustas mundo reddidit spectabiles: an non plena putoribus corpora, vermibus scatentia, saniéque abominabili diffluentia spectaturi estis? Et quid aliud est caro speciosa per cutem hominis tralucens, quam candido inductum tectorio sepulchrum.

EXEMPLA. Nec veritas dictorum eget exemplis confirmari; quam in tumulis formosorum indies non sinè horrore videre datur. Hanc fragilem, mortisque imperio in tabum diffluentem formæ elegantiam, clarissime perspexerunt florentes virginitatis laude adolescentulæ, atque indè in minimis, nullóque loco eam habuere. Neque illas altiori lumine illustras fugiebat, rarissimam esse formæ, atque pudicitiæ concordiam, & ideo nè intaminata pudoris lilia halitu impuduco affarentur, aut quemquam luce pulchritudinis urerent, eam modis post natos homines inauditis obfuscarunt. Testis est mihi locupletissima hujus veritatis, altissimi sanguinis virgo Euphemia, quæ ut ardentem malè amantium restingueret cupiditatem, fœdum in modum decus formæ corrupit, violavit. At quam demum sanctam

ctam tyrannidem in subjectam altiori animo formæ elegantiam exercuit magnanima virago? accipite, & in admirationem abite. Subit hæc fortissima virginum secretius conclave, sistit si ante speculare oraculum, & in eo illibatas nitidissimi vultûs nives, & suffusas virgineo murice genarum rosas aliquanto temporis intervallo contemplatur. Cùm verò hoc eximium formæ decus, haud pudicum satis amorem in multorum cordibus excitare non ignoraret Euphemia, sacrâ quadam effervescit ira in admirabilem vultûs gratiam, cultellum graphiarium, aut alium huic non absimilem generosâ manu arripit, prehensísque sinistra eburneis naribus se se mutilat, virgineo cruore sinum, ac afarotum irrigante. Tum frontis explicatæ scalpro librario invadit majestatem, & sectim, punctímque candidissimum illius æquor violat, & defædat. Inde percurrit immani dextera nativum genarum purpurissum, labia crudeli gladiolo involat, & vitale ejus ostrum minio propii sanguinis decolorat, pulcherrimámque toti vultui inducit deformitatem. [a] O spectaculum admiratione dignissimum, ad quod ipsos cœlorum indigenas crediderim esse essusos. Possem hic innumera alia neglectæ formæ adferre documenta in sexu etiam sequiore, ut memor brevitatis, omnia silentii velario lubens, volensque involvo.

TESTIMON. Noverint enim verò formæ contemptores *pulchritudinem rem esse infelicem* Euripidi: [b] *tacitam deceptionem* Theophrasto: (c] *eburneum detrimentum* Theocrito: [d] *modici temporis tyrannidem* Isocrati, [e] *bonùmque alienum* Bioni. [f] Et sane *ô profundum inane, si nugas farì fas est, & vanitates,* (g] Nam

Forma bonum fragile est, quantumque accedit ad annos.
Fit minor, & spatio carpitur ipsa suo. Ovid. [h]

Quippe: *Florem decoris singuli carpunt dies* Sen. [i]
Et exigui donum breve temporis. Idem(k)*Quis sapiens bono confidat fragali?* Idem [l]*Languescunt folio lilia pallido,*

&

[a] *in specul. exemplor. dist* 9. c. 22. (b] *in* Helen. [c) *apud Diogen. lib.* 5. (d) *ibid* (e) *ibid.* [f) *apud Diogen. lib.* 1, (g] *Plato in Gorg.* (h) *lib.* 2. *de art. am.* (i) *in Trag.* (k) *in Hypol.* (l) *ibid.*

& gratiæ capiti deficiunt rosæ. Vt fulgor teneris qui radiat genis momento rapitur: nullaque non dies formosi spolium corporis abstulit. Res est forma fugax. Idem (m)

Non semper violæ, nec semper lilia florent,
Et riget amissa spina relicta rosâ.
Et tibi jam venient cani formose capilli,
Jam venient rugæ, quæ tibi corpus arent. Ovid. (n)

Alibi verò ita canit Sulmonensis olor:

Ista decens facies longis vitiabitur annis,
Rugâque in antiqua fronte senilis erit. (o)

Fallax igitur gratia, & vana pulchritudo. Proverb. 31. Nec est in tuto hoc formæ bonum. *Magno* enim *tum periculo custoditur, quod multis placet.* Publ. Syr.&

Lis est cum forma magna pudicitiæ; Ovid. (p)

Hæc testimonia è re nostra sapienter consignat Boetius, ità inquiens: *si linceis oculis homines uterentur, ut eorum visus quæque obstantia penetraret: nonne introspectis visceribus, illud Alcibiadis pulcherrimum corpus turpissimum videretur? Igitur te pulchrum videri non tua natura, sedo ulcrum spectantium reddit infirmitas*, Hæc ille (q)

EPILOGUS. Nemo ergo magni faciat oris venustatem, tum ob ejus caducitatem, tum ob silentem qua illudit fraudem, & absque verbis plurima persuadet mala, nullaque vi adhibita impetrat, quod avet. Nil equidem gratius est decore vultus, sed & nil brevius. Et quamquam esset durabile, perpetuúmque naturæ bonum, haud quicquam tamen habet, quod tantoperè expetendum videatur, cum nihil in eo solidum, sed decor superficietenus duntaxat fulgens, & (honor sit auribus) phlegma sanguine mixtum per cutem speciosè pellucens. Ne tamen à nonnullorum vana opinione discedere videar, non inficias iverim bonum esse, sed extra hominem positum, quod nec sibi quisquam è sua facultate dare potest, neque datum ita tueri; ut constantem ejus videat in vultu firmitatem. Sola animi bona, nostra sunt, nulla morbi violentia, nulla vetustate temporum.

(m) *ibid.* (n) *lib. 2. de art. am.* (o) *lib. 4. trist. eleg* 4. (p) *epist. Parid. ad Helen.* (q) *lib 3. de consolat.*

rum nulláque decrepitâ licet ætate auferenda. Horum proinde decus primis in curis habeatur, quæ corporis venustatem, suavitate, ac constantia longissimè antecellunt. Quin operam damus, ut corporis amorem ad animam, ejusque decus transferamus; quod nec longa dies deterere, nec vitæ occasus valet obumbrare? Nemo coquiescat, sibique blandiatur in candido, rubeóque colore mephiti superfuso, quem morum pulchritudo, & honestas in sui pellicit amorem. Si cui tamen venustas oris indulta est à liberaliore natura, caveat dignitatem corporis fœdis moribus collutulare: sin autem infelicior ei obtigit forma, satagat eam tegere laude, decoréque virtutis.

CHRIA XV.

Unum sapiens consilium multas vincit manus. *Euripedes apud Stob. serm.* 52.

EXORDIUM. ETiam post fata superstes agit clarissimorum sapientia virorum: nec emori in memoria posterorum valent, qui relictis à se monumentis sempiternam degunt ætatem Equidem in omnes suum exerit rigorem cæcus furor Liditinæ; sed immortalem eorum famam in labris eruditorum vigentem, viventémque suæ nequit subjicere potestati. Altior quippe legibus Parcarum est sapientia, & quæ astris dominatur, jus quoque dicit ordini fatorum. Et hoc dominium penes se habuit vir exquisitissimus in literis Euripides Poëta, cujus memoriam nulla unquam vetustas obruet, nulláque iniquitas temporum obliterabit. Hujus rei veritas non fugit sapientes Macedonum, qui Euripidis tumulo in urbe Pella affabre constructo, in epitaphi vicem hoc metrum exarari fecerunt.

Nulla ætate tua Euripides monumenta peribunt.

Et vero pessum non iverunt scientissimi hujus Poëtæ opera, quæ publicis literis consignata, etiamnum lucem vident, jubárque multigenæ eruditionis longè, latéque dispergunt.

Liceat mihi hodie unicum duntaxat illustre ejus dictum non tam illustrare; quod temeritatis foret in homine tenebris ignorantiæ circumsepto, quam breviusculâ paraphrasi explanare fœtam sapientia gnomam, Principibus in regnandi normam proficuè deservituram. At quæ illa; *Vnum sapiens consilium multas vincit manus.*

PARAPHRAS. Sapientissimum me Hercule apophtegma, aureis Regum tholis inserendum; & ad conservandam Regnorum, Principúmque felicitatem perquam accommodum, & salutare. Atque hoc prudenti effato author fuit terræ moderatoribus Euripides, non perinde referre, quam numerosum educant in campum Imperatores exercitum, sed quantùm polleant consilio, rerum scitè gerendarum administro. Quis enim sanæ mentis ambigat, plùs habere momenti in bello prudens consilium, quàm vires consilii expertes? Quid enim juverit quasi in corporis validi speciem ordinari aciem militarem, cámque à fronte esse spatiosam, aut in semilunarem exporrigi figuram, à lateribus cogi in angularem, equitatum quasi in brachia explicari, peditatum in modum umbilici disponi, ora esse tormenta, aures præsidia lanceas cilia, oculos fistulas è ferro cusas, aliúmque belli apparatum, alia corporis humani membra æmulari: quid inquam hæc universa juverint eripiendæ hostibus palmæ, dum caput belli consilio est orbatum, viduatum! In miserandam abit stragem sub signis miles, truncatur, mutilatur, & in densos cadaverum acervos cumulatur, fœdóque jugera camporum sanguine irrigat, dum Imperator consilii inopiâ laborat, moreque Andabatarum descendit in arenam.

CAUSA. Atque hanc ob causam gnavi Principes, ac providi belli Duces nîl inconsultâ ratione actitant, nè temerè, ac incuriosè agendo, projecta audacia se, suósque in proximum vitæ, fortunarumque discrimen objiciant, vel exponant. In summa quippe etiam fortuna, maximóque Principum dominatu, amplius valet consilii ratio, quàm immensa telorum, armorúmque panoplia. Illud regnum incolumitati suæ rectè prospicit, in quo consilia Optimatum, usu rerum, atque experientia præstantium locum obtinent,

quíque

quique arma ad præstitutos fines accurarè, cogitatéque dirigunt, ne in ambiguos exitus duce temeritate ferantur. Si non pigeat Principem in consilium adhibere palatinos multo usu rerum pollentes; finis semper integer; & illæsus servabitur, in electione mediorum ea maxime respiciet Princeps, quæ ad finem propositum appositissimè ducunt, illáque è prudentiæ imperio complecti lubebit, quæ magis præsenti rerum ordini congruunt, relictis post terga incertis, licèt ex se forent meliora. Ecquâ tandem formidine Princeps percellatur? ecquis eum ab hostibus incessat metus, si res de qua consilium agitatur, non oscitanter, aut defunctoriè pertractetur, sed mentis trutina solerter excutiatur; quid ex tali negotio, aut suscipiendo, aut omittendo per non unam valeat sequi consecutionem. Qua de causa ea, quæ rem circumstant, præ oculis potissimum habeantur, atque temporis, locorum, personarúmque conditio sedulâ disquisitione indaganda est: cum exinde ut plurimum rectum feratur judicium, formetúrque consilium idoneè fini suo deserviturum. Non enim non possum faustum sortiri exitum, quæ ratio maturioris consilii prævię digessit. Felix rerum eventus bene auspicatam Principis deliberationem comitatur.

CONTRARIUM. Quem verò ex adverso rebus secundis affluentem videris Principem, qui consilii inops, vel agit non agenda, agendáve inconsulta ratione prætermittit, quique suæ duntaxat fisus prudentiæ grandia quæque molitur, quæ consilio non unius egent sapientis; Et quamquam sibimet ipsi affatim sapiens Princeps videatur: quis tamen adeò est lynceus; qui in tantis rerum tenebris nihil offendat, & nusquam fallente vestigio prudentiæ in erratum quodpiam incurrat? Plura sapientûm lumina, quæ non depravatus fascinat affectus; in plura, eáque satiora obtutum porrigunt, quam oculi unius Principis in plurimas regnorum negotia distracti. Fidei probatæ, & rerum varietate prædití consiliatores, non sine rei publicæ emolumento lateri Principis assistunt. Quid enim? an non cogitata identidem maturè recocta verbis fidelibus expromunt, eàque palam faciunt in rem præsentem? quæ vel sagacissimus

Principis animus non observat? Næ facilius totum opus circumfertur, quod plurium humeris incumbit. His si Princeps fidâ virtute molem Imperii succollantibus, partem oneris imponat: an non securiorem deget ætatem, & extra metum imminentium malorum positus, placidissimè in solio feriatur? Non tamen probârim, eos in consilium admoveat palatinos; qui ex aliena libidine huc illuc fluctuantes agitantur, & alia super alia consulunt, prout rerum, ac personarum, quibus placere cupiunt, simultas, & arrogantia exigere videantur. Plurimum hìc valere existimem vitæ probitatem, benevolentiæ usum, facilitatis gratiam, ac testatissimæ fidei prærogativam. Quis enim è cœno crystallini fontis scatebram posse speret emanare? Quis de aqua fæculenta haustum petat salutarem? Illos proinde in consilii partem adsiscat, quorum animos nec avaritia sibi subjugat; neque ullus alius sequior affectus perturbat. Cum his si crebius deliberationem habeat, nulla actorum pœnitudine ducetur; nunquam in transversum agetur, nihilque præcipiti ira consiliis semper inimica Princeps actitabit.

SIMILE. Ut enim rabiosus naturâ suâ Aquilo, principiò per omnia furit, ac vehementissimè debacchatur, tandémque vis ejus remittit, cadit, & consopitur: Auster verò primum lenius spirans, admodùm increbescit, & immaniter cęlo, terráque grassatur: haud secùs Princeps furoris impetu rem aggrediens, præcipitíque ira negotium occipiens, frigescit in progressu, opúsque inchoatum finit infectum, solo opprobrii, ac ignominiæ termino consequente At verò qui rem consilii probi adminiculo suscipit agendam, magìs, ac magìs operis processu animatur ad imponendam ei felicem clausulam, in haud dubiam honoris amplitudinem Principi cessuram, nec non in totius regni, populíque emolumentum. Quod enim caput in homine est membris omnibus; hoc reipublicæ corpori est consilium in capite Regnantis. Desipiat illud, omnes artus publicæ rei officio suo desint, est necesse. Nil juvat manus, nisi consilio capitis dirigatur: nec pes sinè ejus annutu, quò oportet, se promove-

movebit. Tanti refert capitis dominatus: tanti est consilium rebus in arduis ad optatum terminum deducendis. Nullus Principum stabilem sibi hucusque firmavit regni basim, absque validissimo consilii fulcimento. Non stabit perennis regia domus, aut quæcumque demum erigetur in altum fabrica; nisi prius idonea jeceris magnæ moli fundamenta: & non vacillet solium Monarchæ, nî probè fuerit à consilio fundatum?

EXEMPLA. Hanc veritatem non ignorarunt sapientissimi terræ Principes, atque ideo nihil sine prævia agendorum deliberatione statuere decreverunt. Quid quod ipsos cælites supplicibus votis fatigârunt, virtutem hanc adeò Regnantibus opportunam mitterent ab alto. In has olim precationes se effudit togâ, ac sago inclitus Scipio Africanus, qui non antè gravioribus negotiis tradere se voluit, quam in colle Jovis Capitolini vota faceret pro consilio, ac sapientia, ceu anima rerum agendarum. (a) Hanc ob causam Cyrus Regum longè maximus, filio suo identidem author erat, nè quid publicè, aut privatim inconsulto. Numine actitaret. [b] Grandia quippe regnorum negotia auspicio Superum rite inchoantur, faustóque eventu terminantur. Neque negligendos censeam Principum administros, quos ideo ab aure, & consiliis Providentia cælorum esse voluit, ut idonea Regibus suggererent consilia, commissis à DEO regni fascibus rite dirigendis. Hos olim maximi fecit Antoninus Pius Imperator, nihil solitus unquam agere in civilibus, bellicisque negotiis, super quibus non prius conferret cum familiaribus, usu, atque exercitatione præditis illud edicens: æquius est, ut ego tot, taliúmque amicorum consilium sequar, quàm ut tot, talésque amici meam unius sequantur voluntatem. (c) Ab hujus sensu non abludit Alexander Severus Imperator; qui non duntaxat in summis posuit rerum suarum conscios, publicísque administros, at quò res omnes è sententia caderent, propositis ante causarum monentis, spatium eis ad disquirendum, co-

 gitan-

(a) *Plut. in Scip. Afric.* (b) *Herodot. lib.* 1. [c] *Capitolin. in Antonino.*

gitandúmque tribuebat, ne de rebus sæpe per maximi molíminis, temerè, fortuitóque sensa sua depromere cogerentur. (d) Possem hic non unam fortasse myriadem Principum in medium adducere, qui nihil inconsultâ ratione, tum suâ, tum aliorum executioni dederunt: sed nè pervulgatis immorer, missa facio omnia, contentus uno, alteróve locupletissimo teste hucusque dicta stabilire.

TESTIMONIA. Ac comprimis Romanus Sapiens ita Principem affatur: *tunc consilia salutaria advoca, quum tibi alludit vita prosperitas: tunc te velut in lubrico retinebis: nec tibi dabis impetus liberos, sed circumspicies, quò eundum sit, & quousque.* [e] Unde *quicquid consilio prospici potest, prospice: quodcunque læsurum est, multò antè quàm accidat, speculare, & adverte, Deliberandum est diu, quicquid statuendum est semel. Deliberare utilia, mora est tutissima. Mora omnis odio est, sed facit sapientiam.* Hæc ille pluribus locis. [f] Et Tacitus inquit: *consilia mora convalescunt* (g) Quod & Livius rectè advertit; inquiens: *omnia non properanti clara, certâque sunt: festinata verò improvida, & cæca sunt.* (h) Nam *scire debet, quid petat ille, qui sagittam vult mittere, & tunc dirigere, ac moderari manu telum. Errant consilia nostra, quia non habent, quo dirigantur. Ignoranti quem portum petat, nullus suus ventus est Necesse est, multum in vita nostra casus possit, quia vivimus casu.* Sen. Rhetor. (i) Id nè cuiquam Principum inauspicatè eveniat; audiat Romanæ eloquentiæ Principem ità disserentem: *deliberatio est ante quodlibet inceptum plena maturitatis, & solertiæ consideratio.* (k) Et alio in loco inquit: *non viribus; non velocitatibus, aut celeritate corporum res magnæ geruntur, sed consilio, & scientia.* (l) His accinit non ignobilis Poëta:

Consilio

(d) *Alex. ab Alex. l.b.* 4. *c.* 1. [e] *epist.* 12. (f) *in epistolis.* (g) *lib.* 2. *annal.* (h) *lib.* 3. (i) *epist.* 72. (k) *lib.* 2. (l) *lib.* 2. *de senect.*

Consilio utilius, quàm viribus arma geruntur.
Militis est robur, consiliumque Ducis.[m]

EPILOGUS. Hæc cum ità se habeant, ecquis in dubium revocare valeat, sapienter Euripidem dixisse: unicum sapiens consilium multas manus vincere, ac superare? Majorem quippe utilitatem Reipublicæ adferunt, qui maturo præsunt consilio, quàm projecta; ut persæpe fit, audacia, & temeritatis ducatu in arenam belli descendentes. Quamobrem spectabiles sapientia Principes; majoris ducunt sanam decernendi rationem, quàm in consultam decertandi fortitudinem belluis communem. Fortitudo quamvis maxima nullo negotio labefactatur, nisi consilio valido fulciatur. Victrix palma solius consilii manu eripitur. At qui eam fortunæ, & eventui aptant, plerumque vulnus à sinistra sorte accipiunt, & Mandrabuli more res eis succedunt. Equidem consilia callida, quæ forsan ardentis iræ flamma excoxit prima fronte lætiora videntur, sed ubi tractatu difficilia conspiciuntur, ingentem animo ingerunt mærorem, nullo remedio tollendum. Nihil itaquè decernant Principes; suo, reipublicæque bono studentes, quoad totam rerum agendarum seriem sedulâ disquisitione indagent. Quòd si verò eos integra rerum cognitio fugit, eos in consilii partem accersant; penes quos est scientiæ magnitudo. Dum enim res est in cardine, & de capite, famâque Principis agitur, aut reipublicæ proximum discrimen conflatur: non pigeat eorum suffragia implorare, quorum prudentia in altioribus negotiis usu diuturniore est comprobata. Communi quippe utendum est consilio, dum rei communi impendet dispendium, & jactura.

***

(m) *Verinus in distichis.*

CHRIA XVI.

Bias, roganti cuipiam, quid esset dulce hominibus, reposuit: spes. *apud Diogen: lib. 1.*

EXORDIUM. IO triumphe Græcia! Plaude tot novarum mater artium, tot fœcunda genitrix sapientûm, quam ipsa vetus Roma, licet parcissima laudum exterarum suspexit, coluit, ac maximoperè est devenerata. Quod ne veritati minus consentaneum quisquam valeat arbitrari, loquatur ipse Romanæ eloquentiæ pater; qui pro Flacco verba faciens, in hoc encomium Græciæ excurrit: cujus fragmentum damus. *Hæc cuncta Græcia, quæ fama, quæ gloria, quæ doctrina, quæ plurimis artibus, quæ etiam Imperii, & bellica laude floruit* &c. Et paulò pòst subjungit: *hoc dico de toto genere Græcorum; tribuo illis literas, do multarum artium disciplinam, non adimo sermonis leporem, ingeniorum acumen, dicendi copiam* &c. Neque hoc præconium studiosus veri Tullius, licet alio in genere minùs eam æstimet, Græciæ denegare potuit, quæ jam illâ ætate summis florebat ingeniis, & à septenis sapientibus suo in gremio enutritis orbe toto fuerat celebrata. Horum è cœtu fuit Bias Philosophus, iis sapientiæ dotibus instructus, ut quòd verba, fudit, totidem protulerit oracula: quod sensa peprompsit, totidem Apollinis prodiderit effata, eaque persæpe in medium attulit dogmata, quæ ipsa ore suo sapientia edere voluisset. Et ne per altiora Biantis lemmata procedamus, unum duntaxat in medium adducemus, Sciscitatus ex eo fuit quispiam, quid dulce hominibus accideret? reposuit: *spes.*

PARAPHR. At sapientissime virorum nec planè, nec dilucidè loqueris. Sermo tuus gryphis mihi obseptus videtur

videtur, & ad Pythagoræ ſophiſmata proximè accedere: cum multorum fugiat intelligentiæ vim, ac rationem. Nam ſi nihil æquè eſt amarum, pluſque fellis: & abſinthii habet è mente ſapientûm, quam ſpe diu pendere: quid ſpei merum Atticum, mellámque dulcedinem affundis? Verùm ſi interiora effati hujus penetremus, nihil à veritate alienum viſuri ſumus. Equidem delatum ſpei pabulum, ejúſque procraſtinatio mentem angit; cruciátque; at poſteaquam ſperanti, deſiderantíque advenit, tum enim verò paſcit, roborátque animum, miráque replet ſuavitate, Tolle ſpem, & aloë totam ſaperfuderis humanitatem. Tolle ſpem, & virtus omnis, artiúmque bonarum ſtudia in torporem abibunt, & languorem. Tolle ſpem, & univerſum in veterno jacebit, ac in vetus chaos omnis humana reſpublica tranſibit. At verò ſi ſpes dulcedine ſuâ animum demulſerit, omnia recto procedunt ordine, operæque licet decumanæ citatis ſpei paſſibus ad metam ſuorum votorum properant, celerant, feſtinantque.

CAUSA. Nullum quippe non opus perleve fieri aſſolet, cum ejus pretium animo ritè expenditur, & ſpes præmii ſolamen fit laboris. Tantò enim mens humana ab laborum amaritudine, ac difficultate operum magis abſtrahitur, quantò ſpe ſublevante ad ſummam votorum jam jam comprehendendam attollitur. Ille in rerum humanarum viciſſitudine firmo pede novit conſiſtere; qui de ſpe non inani futurorum bonorum ſcit gaudere Facilè, fortitérque adverſorum exhaurit amaritudinem; cujus palatum ambroſia ſpei jugiter dulcorat. Et hoc nectare ſpei enutritus triarius, ac militaris diſciplinæ admodum peritus, aſperæ hyemis tempeſtates, torridæque æſtatis injurias Spartanâ excipit nobilitate, ac vitam, ſanguinémque prodigere eſt paratus. Hac ſpe lactatus, profundo gurgiti ratem ſuam naviculator committit, quò non tam portum voti ſui contingat, quam deſideratum faciat quæſtum, rémque augeat familiarem. Hac ſpe ductus agricola, ſementem in latè patens ſpargit: novale, uberrimam meſſem facturus in campis, ſegetum copia, & denſitate fluctuaturis. Hac demum, ut omittam alia; ſpe nutritus bonarum artium alum-

nus, noctes, diésque in studia incumbit, ut tandem optatum ferat fructum literarum.

CONTRARIUM. At verò si hi, aliique animos despondeant, cujus emolumenti spes illis affulgere potest? Non perveni ad rem, qui non habet spem. An non enim miles hastam, parmulamque per ignaviam abjiciens, casibus adversis succumbit: An non navicularius animum cum velis contrahens, furiosis fluctibus extradit carbasa, unáque cum navigio in profundum subsidit: An non requietus ager in tyrannidem abit tribulorum si spe abjecta sator, manum agricolationi renuat admovere: An demum quisquam meliores horas in ediscendis literis collocabit, chartisque impallescere velit; si non purpuream epomidem, aut aliud honoris, dignitatisque minerval sperandum habet, Hac spe deficiente, animo deficiant est necesse quarumcunque demum rerum molitores. Cum enim quispiam diffidit, se ex re angusta, quâ coarctatur, posse eluctari, neque sibi integrum esse putat rei arduitatem evincere: tunc enim verò remittit suum vigorem, animo cadit, omnibúsque aris, ac præsidiis destitutum se esse arbitratur. Hujus autem diffidentiæ fons, ac origo est ignavus torpor, qui manum revocat ab opere, quo sine nemo ad spiranda exporrigit dextram. Nemo in eo spem deponat indipiscendo; cujus consecutio humanam non excedit facultatem. Sint licèt res asperæ, admodúmque difficiles, quas avemus, sintque in excelso positæ: nemo tamen è sublimi spei decidat, cum virtus ad summa quæque, modò ei non desimus, valeat eniti.

SIMILE. Hujus rei parabolam ab anchoræ dente humum mordente non incongruè duxerimus. Quemadmodum enim anchora navim Prætoriam, aut onerariam, iratis maris fluctibus, ventorúmque furiis jactatam retinet; nè faciat naufragium, vadoque, aut syrtibus illidatur: haud aliter spes animam in solida virtute defixam remoratur, nè rebus infestis, adversisque labefactetur, aut penitus frangatur. Anchora nil habet firmitatis, nisi è ferrea sit conflata materie: nec spes in rei futuræ spem vocatur, ni solidæ virtutis basi imitatur. Duplicem habeat anchora dentem

est

est necesse: spes quoque geminæ virtuti sit innixa oportet, longanimæ nimirum tolerantiæ, prudentique timori. Et nè à mari, cui potissimum servit anchora, longiùs abeamus: velut architalassus, Magisterque navigii identidem lumina in astrum aliquod convertit; quo rectâ in pelago via feratur, itérque ad destinatum faciat portum: itá sanè rebus in omnibus mens humana in cœlos jugiter sublevet obtutum, nè unquam à recto divinæ voluntatis tramite deflectat. Ab æquore ad terram transitum faciamus. Nemo vineta, aut arvum restibile colit, nisi spem amplam nobilis meraci, uberrimæque messis habeat: & animæ suæ agrum, vineámque quis excolat, nisi in certam spem veniat optatissimi fructus in tempore ac æternitate colligendi? Ità nempe spes dulces reddit labores, gratáque eos condit suavitate, haud dubium pollicendo laborantibus præmium, ac minerval.

EXEMPLA. Hac spe olim ducebatur Cajus Marius, obscuro licèt genere natus, sed militarium facinorum suffragio, & commendatione ad summos honoris gradus sublimitatus. Nunquam is abjecit spem majorum, quas sperabat in republica, dignitatum. Unde primum petiit debitam sibi e meritis ædilitatem, sed ubi eâ se frustrari persensit, eodem die minorem ambiit dignitatem. Verùm & hìc spes eum sua delusit. Nec tamen alta spe decidit, haud parum fiduciæ sibi addens, se fore propediem urbis Romanæ primorem. Idem in sextam vicem Consulis fasces indeptus, à Lucio Sylla patria est proscriptus, grandique peculio in caput ejus pronuntiatio, variis erroribus, ac periculis agitabatur. Sed nec hìc spe sua est deturbatus, oraculo se potissimum consolans, quo acceperat, septies ad consularem celsitudinem se sublevandum. Neque eum sua spes fefellit. [a] Tanti nimirum refert spe optima niti futurorum perbrevi bonorum. Hac quoque se aliquando fovit Rhodius quidam, ob intempestivam libertatem à tyranno conjectus in caveam, in qua, resectis prius naribus, ac fædata vulneribus facie, more nocentis belluæ alebatur ad ignominiam, & cruciatum. Cùm verò ejus familiares miserandam sortem amici iniquo animo tulissent, authores ei

[a] *Sabel. lib. 2.*

ei fuerunt , inedia sibi malorum finem accersere. At Rhodius, spe sibi abblandiente, reposuit: cuncta homini quoad vivit, speranda esse. [b] An non ante illos in laudem venit, qui ob causas non admodum graves vel ad laqueum confugiunt; aut veneni poculo è medio se tollunt, vel ex alto spes suas præcipites agunt? Hujus vestigia pressit magni nominis belli Imperator Soldanus. Forte Agareni Italiæ ditiones sub Ludovico Pio Imperatore depopulantes, ejus copiis militaribus, & Basilii Imp. Constantinopolitani ope subsidiaria, fusi, fugatíque sunt, Soidanúsque eorum ductor interceptus, anni totius spatio in ergastulo detentus fuit. Hac in arctiore custodia nunquam visus est in risum solvi licet haud unum moderato risui daretur argumentum, non sine omnium, qui huic spectaculo interfuerant, admiratione. At die quadam videns fortè fortunâ rotam currûs circumvolvi, & unam ejus partem subinde in altum subvehi, cachinum cœpit tollere, tandémque nescio qua spe ductus hæc proferri; Sic res vertuntur humanæ. Et fortè ego, qui adima detrusus jaceo, exsurgam quandoque, & denuo regnabo. [c]

TESTIMONIA. Atque ideo non inconcinne olim Diogenes: dum ex eo quidam percontatus esset, quidnam in vita extremum foret, reposuit: *spes.* (d) Et teste Tullio, *spes est exspectatio boni.* [e] Romanus verò sapiens inquit: *inter voluptates est, superesse, quod speres.* [f] *Spes est ultimum adversarum rerum solatium. At forsan omnia tibi fortuna abstulit; sed spem reliquit.* [g] *Quare i g tur deficimus; Quare desperamus? Quicquid fieri potuit, potest* Hæc ille [h] *Cæterùm nihil magis interesse omnium puto, quam ut spes pro homine tam longa, quam vita sit.* Quintil. [i] *Juvat* proinde *fortunæ dicere: cum viro tibi negotium est, quære, quem vincas* [k] Sen. Et alibi ita de spe disserit: *spe bonorum, quidquid indignitatis imponitur, ferre convenit.* At Senecam quoque Christianum Franciscum Pertrar-

[b] *Erasmus lib. 8. apopht.* (c) *Cuspinianus.* [d] *apud Stob.* [e] *lib. 4. tuscul. quæst.* [f] *lib. 2. de ira c. 31* [g] *Sen. Rhet. lib. 5. controver. 1.* [h] *epist. 98.* [i] *declamat. 8.* (k) *epist. 98.*

Petrarcham audiamus de ſpe ſic loquentem. *Verè itáque bona ſpes eſt, quæ de verò bona concepta eſt. Hanc qui habet, ſtringat, teneat, neque abire illam vel in ultimis ſinat, ſororeſque illi ſuas injungat caritatem, & fidem. Hæc ſpes dulcis læta, verax, felix eſt, quæque nec ſperantem fallit, nec confundit, ſed ad optimum provehit, animumque interim ſperati boni anticipatione lætificat.* (l) Huic concinno verſu ſuo aſſonat Poëta Sulmonenſis deitatem ſpei affingens, atque ita canens.

Hæc dea, cum fugerent ſceleratas numina terras,
In dis invisa ſola remanſit humo.
Hæc facit, ut foſſor vivat quoque compede vinctus,
Liberàque à ferro crura futura putet.
Hæc facit, ut videat cùm terras undique nudas.
Naufragus in mediis brachia jactet aquis.
Sæpe aliquem ſolers medicorum cura reliquit:
Nec ſpes huic vena deficiente cadit.
Carcere dicuntur clauſi ſperare ſalutem.
Atque aliquis pendens in cruce vota facit. (m)

Ab hoc non diſſonat terſo, elegantíque metro Tibullus ita canens.

Spes alit agricolas: ſpes ſulcis credit arantis.
Semina, quæ magno fœnore reddat ager.
Hæc laqueo volucres, hæc captat arundine piſces.
Cùm tenues hamis abdidit ante cibos.
Spes etiam valida ſolatur compede vinctum.
Crura ſonant ferro, ſed canit inter opus. [n]

Neque hic omttendum eſt ſpei ſimulacrum, quod per modialogiſmi Andreas Alciatus hoc modo expreſſit.

Quæ dea tam læto ſuſpectans ſidera vultu.
Cujus periculis reddita imago fuit.
Elpidii fecêre manus. Ego nominor illa.
Quæ miſeris promptam ſpes bona præſtat opem.
Cur viridis tibi palla? Quòd omnia me duce vernent.
Quid manibus mortis tela refracta geris.
Quòd vivos ſperare decet, præcidò ſepultis.

Cur

(l) *dialog.* 109. (m) *de Ponto lib. eleg.* 6. (n) *lib.* 2. *eleg.* 7.

Cur in dolioli tegmine pigra sedes:
Sola domi mansi volitantibus undique noxis
Ascraei ut docuit Musa verenda senis.
Quid tibi adest volucris Cornix fidissimus oscen.
Est benè cùm nequeat dicere: dicit erit.
Qui comites? bonus eventus, praecesque cupido.
Qui praeeunt: vigilum somnia vana vocant.
Quae tibi juncta adstat, scelerum Rhamnusia vindex:
Scilicet ut speres nil nisi quod liceat. [o]

EPILOGUS. Hunc itàque, atque alios, in testimonii provinciam à nobis adductos qui audierit, nunquam dum lucis usurâ fruetur, de rebus suis conclamatum existimet eásque ad restim devenisse arbitretur, cùm spes semper eum arrideat, sempérque illi abblandiatur. Sapientis vita in spe jugiter sit oportet. At non sit ejusmodi, quae corvum deludat hiantem; aut quae scipione arundineo innitatur. Solido figatur in termino, qui bravium sit ad metam currentis. At quis ille terminus, quíve scopus, ac meta? Ne exspectationem vestram morari videar. AA. spei nostrae unicus sit scopus bonorum omnium largitor DEUS, qui ob summam sapientiam sciat; ob interminatam potentiam valeat; ob infinitam bonitatem velit sperantibus in se opitulari. Mon ambigite daturum eum bona sua, qui amore generis humani suscepit in se mala nostra. Tantum per vos operabitur, quantum se spes vestra in eum extenderit. Sempiternus est, & ideò sempiterna pollicetur. Qui ritè suas in hoc munifico Numine spes collocat, eásque vitiis non labefactat, è mortali fiet immortalis, aeternae felicitatis consors futurus. Hanc spem qui in aeviternum DEI bonum dirigit, adversa omnia, quae circumstant, impetúntque mortalitatem, non persentiscet. Humanos proinde casus moderatè accipite, calamitates placida fronte, laeto ore, hilaríque animo accipite, & ita Coeli praemium, & minerval, quod nóndum est in re, erit vobis, nè ambigite haud dubia in spe.

***

CHRIA.

[o] *emblem. 46.*

CHRIA XVII.

Unicum hominis bonum ſcientia. Socrates apud Stob.

EXORDIUM. EN princeps ac dictator Philoſophorum Socrates, gradum facit in exedram ſapientiæ, dogmata ſua mundo eruditorum prælecturus. Quis non hæc pronis, avidiſque auribus excipiat, cordique alte inſerat, ſuæ, aliorúmque utilitati deſervitura? Quis non ab optimo morum Magiſtro, documenta vitæ ad normam rationis inſtituendæ combibat, ejuſque ſe ſe continuò aggreget diſciplinæ? Et ſi Delphico oraculo ſuffragante, omnium mortalium ſapientiſſimus Socrates eſt renuntiatus: quis ex hoc fonte ſapientiæ plenis cyathis renuat citra noxiam potare, ac haurire? Si verò teſte Valerio Maximo, humanæ ſapientiæ quaſi quoddam terreſtre miraculum fuit Socrates: quis ad hæc prodigia non totus abeat in ſtuporem? Hæc portenta non niſi portentoſus valeat explicare orator. Non fontes, non rivi, ſed flumina eloquentiæ aurea fundenda eſſent, totáque Ciceronis opulentia expendenda, ſi meritis laudibus Socrates efferri deberet. Quis enim virum infinita prope ſapientia conſpicuum, rerum omnium præclariſſimarum cognitione præditum, quíque ſupremum doctrinæ verticem, ac definitam menti humanæ metam ingenii celeritate longè eſt antegreſſus; ſermone idoneo valeat celebrare? Neminem ſanè in bene dicendi facultate eos feciſſe progreſſus exiſtimem. Quamobrem cùm encomium hujus Philoſophi pleno ore decantare nequeam: unicam duntaxat, quam bonarum artium ſectatoribus tranſmiſit gnomam elucidare adnitar. At quæ nobis erit quali quali peniculo eloquentiæ adumbranda? Talis profectò quæ omnibus ſcientiarum amatoribus cedat emolumentum. Eſt verò hæc: *unicum hominis bonum ſcientia.*

PARAPHRASIS. Quid amabo ſapientius dici potuit: Quid

Quid humano generi convenientius, satiùsque pro hac rerum universitate? Et verò nil salubrius, nihilque opportunius ab homine expeti potest, solicitoque annisu exquiri melius bono scientiæ, quod non apparentem duntaxat aliquam proponit bonitatem; sed genuinam, ac sinceram advehit, & importat. Hoc ut veritati consentaneum nemo valeat diffiteri; libeat mecum pensiculatius indagare, quicquid animis, oculisque mortalium fucatam, larvatámque exhibet bonitatem. Subite mecum, si non piget, amplissima Regum, Cæsarúmque augustalia, percurrite urbes, ac compita; inspicite, fora, ac dicasteria, omniáque alia rationis decempeda metiamini, & nihil optabilius nihil utilius, quodque magìs hominem deceat, scientia estis reperturi. Serviant mundi thralones vanitati, obsequantur Eucliones avaritiæ, addicant vitam intemperantiæ phagones, volutentur in fœdissimo vitiorum cœno Epicuri sequaces, & vel hoc pacto se boni rationem indepturos arbitrentur. Verùm posteaquam universa, quibus sese addixerant, intimius perspiciunt, non nisi fallibile bonum se assecutos videntes, unicum deinceps bonum scientiæ, ambabus, ut ajunt, manibus apprehendere exoptant. Consectentur mundi asseclæ umbras fallacis gloriæ, captentque auram popularem: sint qui per altos honorum gradus iter arduum moliantur: laborent complures inexplebili auri cupiditate, ingentémque auri sartaginem accumulent: exoptent demum nonnulli alia votis ardentibus, quibus animum explere satagant: sed ubi ad intimam horum omnium cognitionem devenerint, fumos se, ac somnia nundinatos esse comperient, ómniaque in comparatione boni scientiæ, frivola inania, & ventosa fuisse claro legent argumento.

CAUSA. Atque ita consectarium est, nihil in tanta esse rerum hujus universi varietate: quod aliquam boni prærogativam præ scientia habere videatur. Hæc enim verò sola hominem cæteris præstare facit, hæc ad templum veri honoris deducit, hæc ad gloriæ fastigia iter expeditum complanat; hæc opibus inamissilibus ditat, thesauròsque aggregat nullis temporum injuriis auferendos,

dos. Devastent licet adversarii omnia, susque, déque evertant regna, depopulentur vicos, & oppida diripiántque opulentissimas divitum facultates, nunquam tamen unicum bonum scientiæ in sede mentis arcanissimè, tutissiméque repositum auferre poterunt, nisi vitam eripuerint, quamquam & scientiæ fama etiam post funera agat superstes. Et nè alios ejus effectus missos faciamus: quid vitæ ad normam rationis componendæ præscribit lemmata? an non scientia? Quid fasces regnorum dirigit, omniáque consilio, & ratione administrat? an non scientia? Quid respublicas suo conservat in ordine, omnémque hominum conditionem, ut par est, regit, ac gubernat? an non scientia? Quid militarem ordinat disciplinam, seu jam classicam, seu urbanam, bellíque gerendi peritos efficit, ut pro aris; ac focis strenuè depugnent? an non una, soláque scientia? Quid demum, in quo summus rei cardo vertitur, quid vitiorum monstra edomat, virtutum decus sequendum persuadet, utque innumera penè alia silentio involvam, quid mundum ritè gubernat, faustóque in statu continet, ne in vetus chaos, interitúmque abeat? an non scientia rerum omnium gnava directrix, ac gubernatrix? Ecquis jam de bonitate ejus ambigat, eámque unicum esse hominis bonum temerario ausu valeat diffiteri?

CONTRARIUM. De cujus rei veritate nè ulla animo vestro insideat dubitatio, statuite vobis ante oculos mentis præposteram eorum conditionem, qui spreto hujus nobilissimæ, utilissimæque scientiæ ductu, contrariâ in perniciem suam via gradiuntur. Hic sanè, nisi lumine rationis vos esse orbatos fateamini, visuri estis plurimos mortalium in miserandam sortem devolutos; qui scientiam affaniis, & quisquiliis, atque puerilibus crepundiis postposuêre. Fuerint licèt altissimo sanguine profusi, alios honore, ac dignitate præcesserint, omnibus fortunæ bonis affluxerint, & plenam gloria ætatem se degere reputarint: quia tamen vita scientiæ caruerunt; sunt etiamnum velut mortui in sepulchro oblivionis apud posteros tumulati. Equidem non illos fugit, dum usura lucis fruerentur, ac naturali rationis lumine essent illustrati, quantum bonum sit scientia, ve-

rum quia in ea consectanda non nihil molestiæ; majorisque operæ persenserunt, nullam corporis, animique contentionem ejus gratiâ susceperunt. At sciant velim hæc socordiæ mancipia, nulli hucusque capiti togatæ Palladis impositam esse lauream, nullóque eam crevisse in vertice, quod non prius sudore laboris sæpius fuit irrigatum. Scientiæ quippe pretium non nisi maximo operæ impendio assolet comparari.

SIMILE. Quemadmodum enim onyhes, sardii, chrysoliti, Sapphiri, aliique uniones pretii non vulgaris, è rupibus penè inaccessis decumano labore eruuntur: ut aurum purum; finúmque, quod inter metalla principem locum obtinet, è visceribus terræ improbo conatu effoditur: ut margaritarum decus è profundo maris impigro annisu ab urinatoribus exhauritur: pari ratione in thesauro scientiarum comparando non parùm laboris est collocandum. Quare dies, noctésque ad Clanthæam lucernam est pervigilandum, jugi operâ desudandum scientiæ amatori, si quæstum facere ex illa peroptat, & ex illius gazophylacio lucrum sibi ac secuturis ætatibus adferre in votis habet. Sed ut scientiæ amor magis, magísque in pectoribus mortalium invalescat, conglobatis similitudinibus bonum ejus juverit declarare. Est enim verò scientia velut limpidissimi, cristallinique fontis scaturigo, ex quo bonorum omnium flumina largissimè dimanant. Est scientia astrorum principi æmula, quæ humanis mentibus eum affundit splendorem; quem mundo aspectabili illustrissimus. Sol aspergit. Est non tam sidus illud serenissimum, quàm ipsa cæli amænissima facies: quot enim hæc minoribus siderum flammis collucet, tot illa eruditis luminibus mentem illustrat. Est in sublime evolans regina volucrum aquila, ipsúmque Justitiæ Solem irretortis oculis contemplatur. Est demum editissimus montium Olympus, vertice suo, assiduóque cogitatu Cælum ipsum, ejúsque arcana oculis mortalium abscondita invadens. Et velut hic summus montium gygas, omnes aëris injuris, & debacchantes nimborum iras placido vultu intuetur, atque immunem ab eorum turbulenta rabie degit ætatem; haud secus scientia in edito posita: omnem

nem fortunæ iniquitatem deſpicit, ac irridet, ſuáque jugiter gaudet animi tranquillitate. Tanta nimirum commoda, tantàque adfert ſcientia ſuis cultoribus emolumenta.

EXEMPLA. Atque ideo bonarum artium ſectatores unicum hoc bonum ſcientiæ intimius perſpicientes, uni illi adipiſcendæ vitam univerſam addixêre, omniaque alia in ejus comparatione velut apinas, tricáſque cenſentes, nihili fecerunt. Hanc quanti fecerit Bias unus è ſeptem Græciæ ſapientibus, celebri manifeſtum reliquit documento. Nam cùm florentiſſima urbs Priene, in qua primam lucem vidit & cujus permagnum decus fuit, ac ornamentum, cum, inquam, hæc urbs nominis haud vulgaris, hoſtibus, ac Vulcano in prædam, ceſſiſſet atque cum ſerpente flamma militaris licentia omnia depopularetur: nemo non erat, qui non ſibi, rebúſque futuris conſultum vellet, quædam vitæ tuendæ neceſſaria ſecum aſportans. At quid hìc Bias? Solus ille, unúſque miſſis, ſpretiſque facultatibus ſuis, vacuus, imparatúſque ab omni re familiari, ex urbe diſceſſum adornabat. Cum verò hunc ſapientiſſimum virorum quidam pro veteri conſuetudine commonefaceret, longinquiori viæ, futuriſque neceſſitatibus proſpectum iret, & de ampla re domeſtica quidpiam tolleret, continuò repoſuit: an non id me actitare vides? omnia enim mea mecum porto, (a) ſcientiæ videlicet gazas, quibus abundè inſtructus erat Ecquid ſcientiarum allecia ſapientiæ magis conſentaneum valuit pronuntiare? Plures ejuſmodi veteris eruditionis recenſent monumenta, qui ſcientiam omnibus ambiguæ fortunæ bonis prætulerunt. Hos inter (ut aliorum telam non retexam) pene primas obtinet doliaris Philoſophus, ac ſapientiſſimus morio Diogenes, rerumque caducarum prodigioſus contemptor, qui palam, ſuffragante illi veritate ipsâ, dicere non erubuit; ſe majoribus frui deliciis cum ſcientia in dolio, quam M. Alexander totius penè orbis domitor in ſuo ſolio. (b) Hujus amore ſapientiæ non duntaxat tenebantur veteres Philoſophi, ſed & orbis Monarchæ eam in deliciis habuerunt. Et nè rudera antiquitatis in longum ſcrutari videar, unum è multis in teſtimonii provinciam

(a) *Eraſmus in adagiis.* (b) *Laert. lib. 6.*

vinciam lubet adducere Carolum IV. ab laude ſapientiæ toto orbe vulgatum. Forſan is Athenæum Pragenſe, quod decus ſuum munificentiſſimo huic Principi hodiedum in acceptis refert, inviſere dignatus eſt, virorum non mediocriter eruditorum diſſertationes excepturus. Et verò in ſolidas quatuor horas præliis literatorum interfuit, tantáque aviditate ultrò, citroque doctrinæ velitationes audivit, ut omnia alia, ipſámque adeò corporis refectionem oblivioni tradidiſſe viſus fuerit. Ægrè hanc prolixam Regis moram ferebant palatini, aliíque optimates latera magni Cæſaris ſtipantes. Tandem unus aliquis, qui tanto Principi ab aure, & in conſiliis erat propior, placidá, lenique voce ei ſuggeſſit: jam horam cœnæ effluxiſſe. At quæ verba repoſuit ſapientiſſimus Monarcha: mihi, inquit, minimè effluxit, nam cœna hæc mea eſt. (c) O effatum ex ore ſapientiæ, prolatum! Sciebat enimverò Carolus, ſcientiam verum eſſe animæ cibum, omnibus epulis ſaliaribus, corpus velut ſaburrâ onerantibus, longè eſſe anteferendum. Nec quicquam magis orbis decet Principes, quàm multarum ſcientiarum cognitio, quá faſces regni, ut par eſt, moderentur.

TESTIMON. Non hæc mea, ſed virorum famá, laudeque ſapientiæ clariſſimorum eſt ſententia. *Nullus* quippe *eſt, quem oporteat vel plura, vel meliora ſcire, quam Principem, cujus doctrina poteſt omnibus prodeſſe ſubjectis.* Vegetius (d) Et Xenophon inquit: *omni animali facilius imperabis, quàm homini. Ideo ſapientiſſimum eſſe oportet, qui homines regere velit.* (e) *Non errem ſi dixero*, ait quidam recentior, *ſcientiam in Principe magis, quam potentiam formidari. Scientia* enim *hominis*, ajo ego Regis *eſt cuſtos*: ità Tullius. [f) Eſt teſte eodem: *ad rempublicam plurima commoda veniunt, ſi moderatrix omnium rerum praſto eſt ſapientia. Hinc ad eos, qui eam adepti ſunt, laus, honor, dignitas confluere debent.* (g) Petrus verò Raven. inquit: *In literis prudens invenit, unde ſapientior fiat. Ibi bellator reperit,*

[c] *Cranzius lib.* 10. *Vandal c.* 1. [d] *lib.* 1. *de remilit.* [e] *apud Stob.* (f) *lib.* 4. *de finib.* [g] *pro Arch.*

perit, unde animi virtute roboretur. Indè Princeps accepit quomodo populos sub æqualitate componat: nec aliqua in mundo potest esse fortuna, quam literarum non augeat gloriosa notitia. (h) Et idem alibi: *totius prudentiæ compendium in literis continetur. Si respublica regenda est, si prælia committenda sunt si reverentia legum, si finitimarum gentium amicitiæ sunt servandæ, libri hæc omnia erudiunt ad perfectum Princeps verò sinè literis est navis sinè remige, & volucris sine pennis.* (i) Aut si licet Alphonsi Regis Aragonum dictum usurpare. *Rex illiteratus, asinus est coronatus.* (k) Nec solùm mundi capita, sed & omnem alium hominem ornat scientia. *Nihil* enim *in terris magnum præter hominem, nihil in homine magnum præter mentem.* Phavor. (l) *Doctrina* etiam *ex obscuro nobilem facit.* Cassiod. (m) Et *scientia sibi vendicat præstantiam.* Arist. (n) Quin *eruditio* asserente eodem *inter prospera est ornamentum, inter adversa refugium.* [o] Cui suffragatur Seneca: *sapiens, inquit, ad omnem incursum invictus. & intentus. Non si paupertas non si luctus, non si ignominia, non si dolor impetum faciat, pedem refert. Interritus contra illa ibit, & inter illa sapiens plenus est gaudio: hilaris, & placidus, etiam inconcussus, cum diis ex pari vivit* (p)

Ad summum sapiens uno minor est Jove, dives,
Liber honoratus, pulcher, Rex denique Regum.
Horat. (q)

Adde, quod ingenuas didicisse fideliter artes,
Emollit mores, nec sinit, esse feros. Ovid. (r)

EPILOGUS. Bene igitur, scitéque pro laude sapientiæ, ejusque emolumentis pronuntiavit Socrates, unicum hominis bonum eam asserendo. quâ sinè nulla vera, germanáque bonitas obtinetur. Et verò hanc qui possidet, ipse sibi affatim sufficit, cùm illius censeantur omnia, quæ aliorum bona reputantur. Nemo se à re familiari paratum, firmúmque opinetur, nisi copiosus, ac locuples sit scientia

[h] *in quadam epist.* [i] *in quadam epist.* [k] *apud Æneam Sylvium.* [l] *apud Stob.* (m) *lib. 9. var. 7.* (n) *de animal. 10.* (o) *apud Diog. lib. 4.* (p) *epist. 60.* (q) *lib. 1. epist. 1:* (r) *lib 2. de Ponto.*

entia. Non est infortunatior egestas, quàm cognitione bonarum artium egere. Nullus plaudat regni fascibus, & coronis, honorísque eminentia glorietur, nisi à scientia mutuum sumat honorem. Nullus gloriâ, & prædicatione sese efferat, magnificéque loquatur de firma corporis affectione, de valentioribus brachiis, devegeta, viridíque valetudine, cùm sóla scientia incolumitas sit animi, quæ hominem basilicè, pancraticéque valere facit. Nemo sinè illa laudatissimè, honestissiméque periodum vitæ deducit, & quamquàm rebus omnibus affluxerit, nisi amentiâ teneatur, vitæ ipsi anteponet scientiam, & unicam in votis habebit. Hanc proinde non tam mundi Principes rerum gerendarum administram, quàm omnis conditio mortalium in vitæ rectius instituendæ normam, aut magistram, sibi quantocyus adsciscat. Vos autem comprimis literarum alumni, sepositâ omni inertiâ, laxissimis diligentiæ habenis in ejus complexum provolate, ut vobis honori, reipublicæ verò haud dubium sitis emolumentum. Equidem radices sapientiæ primum sapiunt amaritudinē, sed tandem fructus ejus abeunt in dulcedinem, qui vestrum, ac omnium palatum suavissimè dulcorabunt.

CHRIA XVIII.

Nulla certa felicitas est *Seneca lib. de prosper.*

EXORDIUM. Non in vulgare laudis argumentum illum venite censeam, qui abs viro laudatissimo laudatur. Et talem nactus est encomiasten vir summo dignus præconio Annæus Seneca, meritus sanè, in quo, ut par est prædicando, omnes animi, & ingenii vires insumantur. At quis de meliore nota sapientûm contexuit panegyrim Romano Sapienti, meritísque laudibus cum decoravit? Est is eximio

eximio dignus efferri elogio, magnum decus ſapientiæ, omnique laude ſuperior Juſtus Lipſius; cujus nomen longè, latéque vagatur per ora ſapientum. Hic, inquam, eruditiſſimus virorum, qui nominis ſui famam cum æternitate conjunxit, poſteaquam Senecam pleno ore collaudaſſet, hoc de admirabili Romani Sapientis eruditione ſubjunxit: *arſit Annæo animus, ab animo ſtylus, à ſtylo nos.* Et verò quam conformia verò pronuntiarit, uſu quotidiano edocentur, qui Senecæ monumenta non oſcitanter lectitant, gnavitérque evolvunt. Quis enim adeò torpentem, gelúque conſtrictum ſentit animum, ut non ab ardente ejus eloquio in flammas agi ſe perſentiſcat? Quis ad conſectandum virtutis bonum non continuò ab hoc virtutum magiſtro accendatur? De quo ne ambigere quiſquam valeat, unum ejus plenum ardore dictum in lucem publicam proferamus, quod in hæc verba exardeſcit: *nulla certa felicitas eſt.*

PARAPHRAS. Ita ſanè omnis humana felicitas incerta eſt, ac vacillans, cunctaque inter malleum, fortunámque verſantur, dum fortuna, aut ut ritibus Chriſtianis conformiùs loquar, diverſas ſortes altiſſima Dei Providentia coordinat, ac diſponit. Atque ideo nullus nôſſe valet, quid ſerus veſper ſit advecturus. Multa quoque cadunt inter calicem, ſupremáque labra. De quo ne dubium animo inhæreat, rerum humanarum viciſſitudinem tantiſper contemplemur. An non enim magiſtrâ edocemur experientia univerſa mutationi eſſe obnoxia, & ſubjecta; Et ſolam quidem laneo, ſuſpenſóque gradu magni alicujus Principis aulam ſubeamus: an non plenam tumore, furoréque Æoliam viſuri ſumus, quæ hunc Aquilonibus petat adverſitatum, illum etheſiis gratiarum demulceat, brevi à Cauro iniquæ ſortis afflandum. An non fortuna cum ipſis Optimatibus proſperè ad tempus ludit, tandémque illis ingemiſcentibus barbare illudit? Equidem nonnullos compoſito in irides vultu arridet, ſed ut irrideat, ludificet, ac cavilletur. Hos in ſublime honoris faſtigium attollit? ſed ut ad populi algam, infimámque mortalium conditionem deturbet. Iſtos opibus ampliſſimis ditat, ac propè Cræſo reddit pares, ſed ut egentiores Liberide efficiat, fortuníſque

omnibus exutos,ad ſcopulos mendicitatis allidat. Ita nempe nulla felicitas terrena certam ſui, diturnámque poſſeſſionem clientibus ſuis appromittit.

CAUSA. Hujus ſi genuinam ex me cauſam quiſpiam percontari velit,aliam profectò à me reddi non audiet, quam miram ſupremi Numinis deſtinationem, quæ in ſtabili, perenníque bono felicitatem noſtram voluit fundari, collocari. At quod illud bonum eſſe exiſtimatis AA. quod firmam, conſtantem, perpetuámque vitæ felicis rationem pollicetur? Ne multis utar paraſangis: illud vobis perſuaſum habeatis velim, veram felicitatem in ſummi boni poſſeſſione ſitam eſſe,atque adeò in nulla re creata conſtare poſſe, cum univerſa, quæ Lunæ ſubjecta videmus, limitibus terrenis ſint circumſcripta, ac proinde humani appetitus capacitatem nunquam valeant explere. Solus itaque ter Optimus, ter Maximus DEUS in noſtræ felicitatis ſummam venire poteſt, qui cum interminatus ſit fons bonorum:atque infinitus omnium gratiarum Oceanus, votis noſtris quam cumulatiſſimè reſpondere valet. Verùm enim vero qui hoc bonum nullis terminis concluſum, quódque unicè mortalem animum ſaturare, atque fortunare poteſt, obtinetur? Per unionem ſanè, quam moralem liceat è mente Philoſophorum compellare: ſeu per amorem, quo creatura ratione prædita effectori ſuo intimè ſe conjungit, atque fruitur bono incummutabili pro ratione ſtatus præſentis,qui vialis nominatur. Hac felicitate qui cumulatur, non eſt, quod aliud in votis habeat, aliudque requirat, cum omnibus abundet bonis jugiter duraturis,

CONTRAR. Atque inde qui labili, ac perituræ inhiant felicitati, ſibique omnia proſperè, atque ex animi ſententia cadere exiſtimant, cum vel in culmine honoris conſiſtunt, vel opibus, gazíſque affluunt, næ illi palmari errore tenentur, ſiquidem terminus eorum ut plurimum eſt funeſtus, & vel facultatibus ſuis opinione citiùs orbantur, vel in imam deſcendunt conditionem, infamiæ nota per ſæcula illis adhærente. Et quis fortunam ab eo ſtare perpetim cenſuerit; quem iratis pedibus proterit minimè arbitrantem? Quis ei optimè cum felicitate convenire exiſtimet,

ſtimet? quem ex improviſo adorta, egeſtate obſidet , ac inopia expugnat ? Ecquis ei de glorioſo ad dignitatis ſubſellia aſcenſu gratetur, quem ab alto gloriæ haud dubiè videt propediem deturbandum . Ita nempe omnis terrena felicitas citum videt terminum, quémque hodie reddit faſtum , & fortunatum , craſtino , vel perendie ad ſummam lineam deducit, jubétque deinceps homo ſit fati malignioris. Nihil quippe adeò conſtantiæ obviat contrarium ; quam felicitas humana, nec ab ea inconſtantia unquam poteſt ſegregari. Nemo eſt, fuítque unquam in hac viciſſitudine fortunæ rebus terrenis dominanti, qui non ab ea ferat, aut tulerit calamitatem, aut incommodum quodpiam; cuíque ſecunda ſint omnia; proſperéque cadant univerſa. At longè ſecus comparatum video , adverſúſque omnes fortunæ injurias probè tectum, munitúmque; qui animo ei adhæret , cujus benignitas nullis ſpatiis includi, clementia nullis limitaribus terminari, immenſaque benignitas nullis finibus poteſt circumſcribi. Unde qui rebus in præſentibus primum rerum ſecundarum authorem ſequitur; optimè omnium ſuis rationibus conſulit, proſpicitque, nihil non ad votum illi ſuccedit.

SIMILE. Quod ut ſimili aliquo clareſcat , ut nitidum Solis caput tantiſper lubeat flectere obtutum. Quemadmodum enim hoc illuſtriſſimum ſidus magis lucis ſuæ aſpectu mortales exhilarat, magíſque fulgore ſuo orbem univerſum illuſtrat, quàm omnia alia cœli luminaria : ità ſanè unius DEI, Solíſque Juſtitiæ poſſeſſio, majorem adfert animo claritatem, ac ſatietatem, quàm omnes res creatæ , quæ humanam duntaxat irritant orexim , nunquam valentes explere animæ, mentiſque appetitum Neminem in cenſu felicium conſtituerim; qui non tam fertur, quam rapitur in ea, quæ poſſeſſa aggravant poſſeſſorem, quæ intemperantius amata mentem, ac corpus inquinant, quæque amiſſa haud tolerandos adferunt cruciatus. Nam ut oſſium humanorum compago , in loco ſibi ab authore naturæ præfixo conſiſtens, nullam doloris creat materiam: emota verò ex ſtatione ſua acerbiſſima cruciatu afficit : haud ſecus quoad homo viator cum omnibus potentiarum ſuarum

facultatibus in summo bono conquiescit, divorum vitam sibi adeptus videtur, at verò ubi sua malignitate ab eo sejunctus fuerit, irrequietis motibus agitatur.

EXEMPLA. Id usu plurimo didicerunt, qui in mobili fortunæ basi felicitatem suam locârunt, eique duntaxat velificari decreverunt. Equidem per alium felicitatis provecti, secundos fortunæ Favonios sunt experti, sed ubi reflante iniqua sorte procellis adversitatum sunt obruti, vento leviorem ejus fidem liquido viderunt argumento. Pro cujus rei veritate, nè per superstitiosæ antiquitatis reliquias gradiamur, pauca quædam delibemus. An quisquam vestrum est, quem fugiant summorum mundi Principum infaustæ metamorphoses, quæ sæcula nostra tristibus oculis conspexerunt. Quid Gilimeri Vandalorum Regi simile ætates nostræ aut viderunt, aut senserunt, cujus gloria in cacumine felicitatis stabilem fixisse gradum putabatur? Et tamen inauspicato victus prælio, vinctus ducebatur unà cum regia consorte, & liberis in triumphum à Cæsare Justiniano. Sed ut erat Gilimer, accepto licèt gravi à fortuna vulnere, excelso Princeps animo, agnita rerum etiam maximarum inconstantiâ, in plenissimum diffluit risum, forsan mutabilem fortunam deridiculo habiturus. Hunc effusiorem cachinnum cum præsentes accepêre, rati Gilimerem à mente dejectum esse, percontati sunt ex illo: eccur in hoc iniquo rerum ordine in tantum abisset risum? At Princeps mentis compos: sibique constans integre, resposuit: video fortunę vicissitudines, qui modò Rex fuerim, jam serviam. (a) Equidem censeam, illud Lyrici animo ejus insedisse.

Fortuna sævo læta negotio,
Ludum insolentem ludere pertinax,
Transmutat incertos honores,
Nunc mihi, nunc aliis benigna. lib. 3. car. ode 29.

Hunc ludum fortunæ alia quoque mundi capita, magnáque orbis lumina clarè perviderunt. Forsan Sesostris Ægyptiorum Rex rebus secundissimis affluens, complures orbis Principes, ac nationes maximas suæ fecit potestatis. Sed ut

(a) *Procop. lib.4. Vandal.*

ut res prosperum cursum tenentes ambitioni folles admovent, arrogantia cœpit tumere, & cristas plus æquo in altum sublevare. Quare essedum obrizi laminis contegi, alioque specioso apparatu investiri jussit, & quaternos ex devictis Regibus imposito eis jugo, præcepit curriui admoveri. Nec mandatum suo caruit effectu. Nam fastosum Regem triumphalem in morem per vicos, & compita captivi Reges divexerunt, non sine gloriæ illius incremento, suoque perenni dehonestamento. Hac plena tumore quadriga cùm sæpe sæpius elati supercilii Princeps veheretur, evenit, ut festa quadam de ùnus aliquis de Regibus subjugatis, assiduè conversis oculis rotæ volubilitatem intueretur. Quod cùm non fugeret oculos Sesostris, quærere ex eo cœpit: eccur identidem oculos in rotam conjiceret? Nec moratus est responsum infelix Princeps in hæc verba prorumpens; admiror, & cum stupore rotam specto: dum eam instabilem modò volvi, & nunc quidem sublimia demittentem, rursus autem demissa sublimantem conspicio. Movit hæc sapiens responsio, ac præcipuè rerum humanarum vicissitudines adeò Sesostrem, ut posito omni tumore, Reges captivos pristinæ libertati assereret, fortunæque inconstantiam suspectam deinceps jugiter haberet. (b) Nunquam ejus animo effluxisse posthac illud censeam, nullam esse adeò sublimem, stabilémque Regum gloriam, quæ non in imam mortalium conditionem possit deturbari.

TESTIMONIUM. Annon igitur sapientissimè de hoc argumento scripsit Romanus Sapiens, ita pluribus locis felicitatem describens. *Omnium extrinsecus affluentium lubrica, & incerta possessio est.* (c) *Bona illa vera sunt, quæ ratio dat, solida, & sempiterna, quæ cadere non possunt, nec decrescere, nec diminui. Cætera opinione bona sunt, & nomen habent cum veris, proprietas in illis boni non est.* (d) *Disce igitur mobilia esse, quæ dedit casus, & majore cursu fugere, quam veniunt* (e) *Neminem eo provexit fortuna, ut non*

[b) *Paul. Diac. de reb. Rom. c.* 17. *& Nicephor. lib.* 18. *c.* 29. (c) *de constant. Sap.* (d) *epist.* 74. [e) *lib. de benef. c.* 31.

non tantùm illi minaretur, quantùm promiserat [f] *Omnia, mihi crede, etiam felicibus dubia sunt. Id quoque quod tenetur per manus exit, & ipsum quam premimus horam casus incidit* (g) Enim verò *alia felicitate ad tuendam felicitatem opus est, & pro ipsis, quæ successerunt votis, vota facienda sunt.* [h) *Magnus certè animus conscius sibi melioris naturæ, nihil horum, quæ circum ipsum sunt, suum judicat, sed ut commodatis utitur peregrinus, & properans.* (i) An non *operosè assequuntur homines, quod volunt, anxiè tenent quod assecuti sunt.* [k) *Ego ex illis, quæ omnes optant, existimavi semper nihil veri inesse: quin inania, & specioso, ac decepturo fuco circumlita inveni; intra nihil habentia fronti suæ simile.* (l) *Si quid in illis boni esset, & solidi, aliquando & implerent: nunc haurientium sitim concitant.* (m) *Cui enim adsecuto satis fuit, quod optandi nimium videbatur.* (n) *Vitate ergo, quæcunque vulgo placent, quæ casus attribuit: ad omne fortuitum bonum suspiciosi, pavidique subsistite. Munera ista fortunæ putatis? insidiæ sunt. Qui nostrûm tutam agere vitam volet, quàm plurimum potest, ista viscata beneficia divitet. In quibus hoc quoque miserrimi fallimur habere nos putamus, habemur.* (o) *Scedamus itaque ab istis ludis, & demus raptoribus locum: illi spectent bona ista pendentia ut ipsi magis pendeant.* (p) Hæc Romanus Sapiens suam stabiliens, confirmánsque sententiam de certudine felicitatis.

EPILOGVS. Hæc auditis incertæ, caducæque felicitatis asseclæ, & tamen ejus bonis ocyssime avolaturis cumulari votis flagrántibus avetis? Ecquid miseri esse optatis magis habendo, quod deperitis, quam carendo? Amando quippe res noxias miseri, habendo fiunt miseriores. Versate, ut lubet, ac reservate omnia, & instabilia esse, nisi à mente alieni sitis, citra dubium comperietis. Scitote velim fortunam pedibus carere, solúmque manus pennásque habere. Illas nonnunquam refertas muneribus porrigit, & quod liberaliter tribuit, opinione citius aufert: has comprehen-

(f) *epist* 4. (g) *epist*. 101. (h) *de brevit. vit. c.* 17. (i) *epist*. 101. [k) *de brevit. vit. c.* 17. (l) *ad Helv. c.* 5. (m) *epist*. 15. (n) *epist*. 118. (o) *epist*. 8. (p) *epist*. 74.

prehendere qui ſatagit, auras duntaxat captat Chamæleon, irritóque labore delaſſatur. Et quamquàm alioquod fortunæ bonum vobis acceſſerit, tantum vobis ad formidinem acceſſurum noveritis, quantúmque vos extulerit, tantum brevi degravabit. Nemo proinde eam in amoribus, ac votis felicitatem habeat, quæ fine, eóque plerúmque legubri terminatur. Illa velim, qui ſapit, appetat, illaque maximoperè deamet, quæ nec adepta deſerant, nec attributa fugiant, vacuùmque relinquant. Quod ſi tamen cuiquam invito fortunæ bona accedant, inter mancipia ea numeret, itaque apud eum commorentur, ut ſciat ea eſſe apud ſe, ſed tamen extra ſe. Utatur iis, non glorietur: fruatur parciùs ùt depoſitis, ſed cum tempore abituris.

CHRIA XIX.

Ego ſi bonam famam mihi ſervaſſo, ſat ero dives. *Plautus in Muſtell.*

EXORDIUM. NOn cothurnata duntaxat poëſis, ſed & ſoccum induta venit in laudis argumentum. Habeat ſuum Cordubenſis poëta præconium à tragicis: habet & ſuum Sarſinas Umber à comicis Marcus Accius Plautus. Ipſum etiam illius nomen, quod natura ei impoſuit, admirabilem comædum provectiori ætate futurum, ludóſque amæniores facturum non vanè præſagiebat. Nam Plautus, ſive Plotus à pedum planitie eſt dictus: ut vel jam tum natura pedes ejus ad ſoccum aptáſſe videretur. Sed quid in etymo more Grammaticorum trincamur. Res ipſa celebrem exhibet choragum, fabulæque quas poſteritati tranſmiſit doctum poëtices non uno manifeſtant documento. Ea quippe ludos ſuos exaravit venuſtate, eóque condivit lepore, ut Varro non è vano aſſeruerit: Mutas Plautino ſermone locuturas fuiſſe, ſi latinè loqui voluiſſent. Equidem non inficias eo, in priſtino molas truſatiles agendo, fabulas, quæ etiamnum exſtant, erudito graphio conſigna ſſe:

signâsse? sed ingenio prorsus singulari alibi locorum ajo versatum fuisse. Nec refert, quo loco scribat sapiens; cùm non ab eo desumat sapientiam, & ornamentum, sed à se ipso. Neque ei infamiæ nota, probrúmque egestatis à pristino adhæsit; ut ex illo, quod ibidem exaravit, abunde liquet: *ego si bonam famam mihi servasso sat ero dives.*

PARAPHRASIS. Suffragor tuæ sententiæ venustissime poëta. Copiosus utique sat est, ac locuples; qui apud omnes bene audit, famáque nominis inclarescit. Sit licet quispiam à peculio affatim instructus; sit Cræso Midave opulentior; sit ultra rem Calicratis dives; habeat Pelopis talenta, fortunas Pactoli, opibúsque amplissimis superfluat: si tamen macula turpis famæ sit inquinatus; Iro, Codroque est egentior, alga vilior, homo tressis, fumi umbra, infimìque subsellii reputatur. Ita nempe existimationem sibi colligere apud universos, factáque sua immortalitati mandare pluris habeat oportet sapiens; quàm omnes mundi opes, ac facultates. Hæ namque abeunte vita, abeunt ad manus alienas: nominis verò splendor lucem suam diffundit per sæcula, & in oculis omnium, labiísque perenniat. Famæ bonæ gloria nunquam deficit, nunquam consenescit, nullámque sui jacturam incurrit. Gazophylacia expilari possunt à vecticulariis, vel ab adversariis viventi, invitoque domino eripi, & non raro auferuntur, at famæ opes, quas virtutis studium, & industria congessit, nemo furto subducere potest. Et quamquam offundere tenebras claro nomini cujusquam satagant æmuli, infamiæ umbris obsepti; minimè tamen luminibus ejus obstruere valent, quin infamiæ dedecus reflectat, in corrivales. Nec ullus lucem gloriæ cuiquam substrahere valet, aut eam obscurare, quæ Solis instar resplendescit.

CAUSA. At eccur tanti fecit nominis famam sapientiæ lumine illustris Plautus! Noverit enim verò famæ decore nil esse præstantius, nihilque optabilius homini, qui in societate hominum versatur. Quis enim illum necessitudinis vinculo sibi adstringat, in eoque spes suas locet, cujus famam videt non parum labefactatam? Omnes abhorrent stigmate infamiæ notatum. At forsan is, cujus nomen deni-

denigratum est, innocentiæ candore triumphat? Sit ita. At qualis fama cujusque est; talis esse ab omnibus reputatur. Qui verò fama teste laudatur, à nullo non talis esse probatur. Quare inclyti prorsus animi, cordatíque hominis haud obscurum est indicium, primis in curis rationem famæ habere; ejus unius spectare commoda, majorísque ducere boni nominis emolumentum, quàm immensum pecuniæ augmentum. At scire te velim, qui famæ teneris amore, nihil te profecturum sinè pleno laudis opere; à quo solo vera famæ gloria increbescit. Nemo hucusque nomen veri sapientis obtinuit; qui non vel operibus publicæ luci datis, aut in corona eruditorum suam disertè probavit sapientiam. Nullum hactenus famæ tuba cecinit belli gloria, & virtute præstantem; qui non signa cum hoste sæpius contulerit, ac laurea victoriæ redimitus crebrius ex hostico redierit. Nullus vivam, absolutámque virtutum ideam præsetulit fama super æthera notus, qui non earum specimina palam edidisset. Atque hæc sunt potissimum, ex quibus fama in altum se levat, pérque ora hominum passim volitat, sed vel maximè ex virtutum studio emanat.

CONTRARIUM. Verùm ô præposteram complurium mentem, qui malunt genio suo plusculum indulgere, quàm ex prædictis, famæ nomen ad ter Optimi Maximi Numinis gloriam ac posterorum æmulationem sibi nundinari. Hos ego vix, ac nè vix nomine, atque re hominis dignos censuerim. Sed cur ita? An quia degeneres in brutorum transeunt conditionem: Id enim verò est, quod suffragante mihi sapeintúm collegio, citra formidinem palam asserere possum. Si enim nollent se pulcherrimâ hominis prærogativâ gaudere, utique non essent nescii, meliorem sui partem nunquam intermori posse. Atqui hujus fœda laborant ignorantia. Sed Vah: quam de illis fero sententiam? At non injuria. Nam si compertum haberent animæ suæ statum, sempérque victuram non ignorarent: an non votis omnibus exoptarent, vita laudatissimè, honestissiméque acta, jugiter vivere in mente, ac memoria posterorum? Quod cum eos minimè actitare, nulláque famæ gloria in securituras

cuturas ætates duraturæ teneri videamus : ecquis non veram inferat sequelam, aut perpetuitatem animæ illos negare, aut ejus curam in postremis habere. Quamobrem qui æternaturum sibi penitus persuadent spiritum, quodam indito sibi ab authore naturæ appetitu, perennem sibi, fundatámque comprimis in virtute famam satagunt comparare. Et quamquam labores decumani essent exantlandi, omnes tamen operas plus quàm Herculeo exsorbent animo, dum metam votorum suorum contingant, famæque perennitatem indipiscantur.

SIMILE. Ut enim vel ductæ ad sidera Ægyptiorum pyramides, vel turris Pharia, structura, & altitudine eximia, vel nobilissimum Mausoli monumentum, aliæque structæ grandi impendio fabricæ, multo negotio ad fastigium educuntur: at ubi architectante manu coronis operi imponitur, perpetuitatem spondent in sæcula: ità equidem arduum sanè est opus, aut sapientiæ, aut fortitudinis sibi famam parare, sed ubi semel rectò factis est comparata, nulla memoria temporum sepelitur. Dispereant licèt omnia, sola fama, est superstes. Lauri profectò naturam fama proximè imitatur, Illa inter cæteras à brumæ rigoribus defrondatas arbores, victrix omnium tempestatum triũphat ista virtutis semper virore læta, nullo unquam ævo flaccescit, ac marcescit.. Nec ingruè venit in comparationem cum annosa quercu perennis fama. Ut enim illa soliditati suæ innixa vincit durando sæcula: haud aliter hominum omni virtutis genere instructissimorum memoria, major est quavis intercapedine temporum, nullóque annorum sibi succedium ordine teredinem, suíque interitum reformidat. Et quamquam honoro nomini tenebras offundere Theocrines aliquis, & subsannator moliatur; nunquam tamen luminibus famæ valet officere, ejusque gloriæ splendorem opacare. Quemadmodum enim gemmæ, ac pyropi siderum, dum nox pullo amictu tenebrarum obtegit universa, pulchrius, lucidiúsque nitescunt: pari ratione sidus, ac lumen famæ per offusas nubes obtrectatorum clarior erumpit, lucéque virtutis suæ de omnibus calumniarum urbis triumphum agit.

EXEM-

EXEMPLA. Id exemplo suo edocuit olim Demetrius Phalareus Atheniensium Præfectus, cujus nomini ex virtutis studio, præclarisque facinoribus collecto, nulla valuit malignitas derogare. Hic virorum fortissimus, posteaquam solum patrium vertere coactus, haud dubiis rumoribus accepisset, trecentas illas statuas, quas ei Athenienses ob gesta præclarissima exstrui fecerant, impellente livore dejectas, & in vasa contumeliæ per summam ignominiam conflatas esse, nullatenus commoveri visus est, at suaviter subridens edixit: statuas quidem invidi evertere potuerunt, virtutes autem & præclara gesta, quibus præmia imagines illæ exstiterunt, nunquam abolere valebunt. Et ad hæc facinora immortali nomine digna animos Demetrio addidit Antigonus ejus progenitor, dum filium suum cum numerosa classe, magnáque militum vi ad Græciam ab hostibus liberandam mitteret, insignia virtutis bellicæ specimina daturum. Ut verò ad rem strenuè gerendam Demetrium inflammaret, edicebat: gloriam à Græcià, velut specula in orbem terrarum accendi, atque ideo ejus laudis rumorem non intra Græciæ fines esse continendum; sed ob Græci nominis celebritatem per omnes mundi plagas diminaturum, quem sibi omnino gloriosis operibus peperit Demetrius Phalareus.[a] Sed ne uno duntaxat perennaturi nominis exemplo immortalis famæ decora circumscribere videamur, ecquid erat, quod moveret Alexandrum Macedonem, ab nomine suo Alexandriam nominari? Quid erat à Seleuco Rege Seleuciam, ab Antiocho Antiochiam, & à Cæsare condi Cæsaream, quàm ut immensum famæ desiderium palam mundo facerent, veráque spe duci se ostenderent, hujusmodi urbium conditores, eà appellatione, additis una præclare gestis rebus, se æternitati nomina sua consecraturos. Quid erat, quod præfatus Alexander M. Indicæ militiæ termino, aras in extremis hujus provinciæ limitibus poni jusserit; Hercules apud Cades duos montes suæ fortitudinis testes reliquerit; nisi ut æternaturæ apud posteros famæ defigerent monimentum? Eccur Lysander Dux Lacedæmonum Chœrilum poëtam sibi jugiter præsentem esse voluit, Scipio

(a) *Plutar. in præc. gerend. reipubl.*

pio Africanus magni fecerit Ennium, Cneus Pompejus M. Theophanem Mitylenæum in concione militum civitate donârit, Decius Brutus Accio poëta delectatus sit, Cajus Marius licet amusus, summo foverit studio litteratos aliísque alios eruditione claros in amoribus habuerint, quam ut eorum scriptis celebres, nomen suum à situ, & oblivione vendicarent; [b] Tantus nempe amor est famæ in futuras ætates transmittendæ. Sed hujus peculiarem habeant rationem oportet, quibus regnorum habenæ sunt commissæ,

TESTIMON. E mente quippe nunquam involvendi silentio Taciti: *Principum diversa sors est, quibus præcipua rerum ad famam derigenda.* (c) Nam *non minus fama, quam vi stant res Principum.* Idem (d) *Vt* autem *quis factus est Princeps, exemplo fama ejus incertum bona, an mala Caterum æterna est.* Plin paneg. *Non ergo perpetua Principi fama, quæ invitum manet, sed bona concupiscenda est.* Idem (e) Et sanè *maxime illis cavendum est, qualem famam habeant, qui qualemcunque meruerint, magnam habituri sint.* Sen. [f] *Homines* enim *ut metuant, aut oderint, non minus opinione, & fama, quam certâ aliqua ratione moventur.* Cic. (g) Unde *invisum semel Principem, seu bene seu male facta premunt.* Tacitus. (h) *Ac privatis quidem hominibus satis est nihil delinquere. Principibus nè quidem suspectis esse licet.* Sueton. (i) Et *ut in facie plus offendit nævus, aut verracula; quam in reliquo corpore grandes maculæ, aut cicatrices: sic exigua delicta, magna videntur esse in Principe, cujus vita in conspicuo est.* Plutar. (k) *Illi* enim *non magis quam Soli latere, contingit.* Sen. (l) Et *habet hoc primum magna fortuna, quod nihil tectum, nihil occultum esse patitur. Principum verò non modò domos, sed cubicula ipsa, intimósque secessus recludit, omniáque arcana noscenda famæ proponit, atque explicat.* Plin. in paneg. Unde *nullus locus, nullum est tempus, quo funestorum Principum manes à posterorum execrationibus conquiescant. Contra contemptor ambitionis, & infinitæ potestatis domitor, ac frænator animus*

[b] *ex Plutar.* [c] 4. *annal.* [d] 11. *annal.* [e] *ibid.* (f) *in proverb.* [g] *pro leg. Manil.* [h] *lib. 1. hist.* [i] *Livia ad Aug. apud Sueton.* (k) *in Mor.* (l) *lib. 1. de clem.*

nimus ipsa vetustate florescit. Sen. (m)

Et memorem famam, qui bene gessit, habet. Ovid. (n)

Nec solum Principes famæ integritati navent operam, sed & omnes alii, quos alta gubernat ratio, sartam jugiter tectámque studeant conservare. Quare illud Catonis pervulgatum semper ante oculos mentis habeant.

Omnia si perdas, famam servare memento.

Nec illud Isocratis unquam animo effluat ita ad Nicoclem scribentis: *magis expetendum ducito, ut liberis tuis honestam famam, quam opes magnas relinquas. Nam hæ mortales sunt, illa immortalis: pecuniæ acquiri possunt, fama pecuniis emi non potest: opes etiam improbis contingunt, gloriam verò parare non possunt nisi virtute præstantissimi.*

EPILOGUS. Et hanc famam ex virtutis studio emanantem, majoris duxisse visus est Marcus Accius Plautus, quam copiosas facultates, tot virum discrimini semper objectas. Mille thesauri auri vigiles semper metuunt oculos, atque manus in furta, & rapinas. Famæ opes, pro quibus virtus ceu ostiaria semper excubias agit, nullum reformidant plagarium, effractorem nullum. At forsan ex me quispiam percontabitur, quonam pacto famæ gloriam valeat indipisci? Liceat mihi cum Epicteto in Enchir. quò responsum pondus habeat, sciscitanti hæc reponere: *si vis bene audire, disce bene loqui, & cùm bene loqui didiceris, rectè facere conator, & hoc modo bonam famam acquires.* Opera quippe è virtutis consilio facta famam procreant immortalem. Huc proinde omnes ingenii nervos, huc omnem annisum, rémque omnem familiarem conferre juverit, ut ea edantur facinora, quæ famæ gloriam ad postera sæcula propagent. Quid juvat annosam ætatem Tithoni, vel Hesiodi; aut Phœnicis agere, si arcta sit famæ periodus? Quid proderit in altos dignitatum gradus ascensum facere; & in honoris apice pluribus lustris considere, si abjecta jaceat fama ad pedes nomine tenus solum honorati? Quid emolumenti adferet omnibus fortunæ bonis affluere, si egestas famæ, & inopia virtutis resideat in crumena, bulgáque opulenti?

M 2 Famæ

(m) *ibid.* (n) *lib.* 2. *Fast.*

facultatibus in summo bono conquiescit, divorum vitam sibi adeptus videtur, at verò ubi sua malignitate ab eo sejunctus fuerit, irrequietis motibus agitatur.

EXEMPLA. Id usu plurimo didicerunt, qui in mobili fortunæ basi felicitatem suam locârunt, eique duntaxat velificari decreverunt. Equidem per alium felicitatis provecti, secundos fortunæ Favonios sunt experti, sed ubi reflante iniqua sorte procellis adversitatum sunt obruti, vento leviorem ejus fidem liquido viderunt argumento. Pro cujus rei veritate, nè per superstitiosæ antiquitatis reliquias gradiamur, pauca quædam delibemus. An quisquam vestrum est, quem fugiant summorum mundi Principum infaustæ metamorphoses, quæ sæcula nostra tristibus oculis conspexerunt. Quid Gilimeri Vandalorum Regi simile ætates nostræ aut viderunt, aut senserunt, cujus gloria in cacumine felicitatis stabilem fixisse gradum putabatur? Et tamen inauspicato victus prælio, vinctus ducebatur unà cum regia consorte, & liberis in triumphum à Cæsare Justiniano. Sed ut erat Gilimer, accepto licèt gravi à fortuna vulnere, excelso Princeps animo, agnita rerum etiam maximarum inconstantiâ, in plenissimum diffluit risum, forsan mutabilem fortunam deridiculo habiturus. Hunc effusiorem cachinnum cùm præsentes accepêre, rati Gilimerem à mente dejectum esse, percontati sunt ex illo: eccur in hoc iniquo rerum ordine in tantum abiisset risum? At Princeps mentis compos: sibique constans integre, respoſuit: video fortunę vicissitudines, qui modò Rex fuerim, jam serviam. (a) Equidem censeam, illud Lyrici animo ejus insedisse.

Fortuna sævo læta negotio,
Ludum insolentem ludere pertinax,
Transmutat incertos honores,
Nunc mihi, nunc aliis benigna. lib. 3. car. ode 29.

Hunc ludum fortunæ alia quoque mundi capita, magnáque orbis lumina clarè perviderunt. Forsan Sesostris Ægyptiorum Rex rebus secundissimis affluens, complures orbis Principes, ac nationes maximas suæ fecit potestatis. Sed ut

(a) *Procop. lib. 4. Vandal.*

ut res prosperum cursum tenentes ambitioni folles admovent, arrogantia cœpit tumere, & cristas plus æquo in altum sublevare. Quare essedum obrizi laminis contegi, alioque specioso apparatu investiri jussit, & quaternos ex devictis Regibus imposito eis jugo, præcepit currui admoveri. Nec mandatum suo caruit effectu. Nam fastosum Regem triumphalem in morem per vicos, & compita captivi Reges divexerunt, non sine gloriæ illius incremento, suoque perenni dehonestamento. Hac plena tumore quadriga cùm sæpe sæpius elati supercilii Princeps veheretur, evenit, ut festa quadam de unus aliquis de Regibus subjugatis, assidue conversis oculis rotæ volubilitatem intueretur. Quod cùm non fugeret oculos Sesostris, quærere ex eo cœpit; eccur identidem oculos in rotam conjiceret? Nec moratus est responsum infelix Princeps in hæc verba prorumpens; admiror, & cum stupore rotam specto: dum eam instabilem modò volvi, & nunc quidem sublimia demittentem, rursus autem demissa sublimantem conspicio. Movit hæc sapiens responsio, ac præcipuè rerum humanarum vicissitudines adeò Sesostrem, ut posito omni tumore, Reges captivos pristinæ libertati assereret, fortunæque inconstantiam suspectam deinceps jugiter haberet. (b) Nunquam ejus animo effluxisse posthac illud censeam, nullam esse adeò sublimem, stabilémque Regum gloriam, quæ non in imam mortalium conditionem possit deturbari.

TESTIMONIUM. Annon igitur sapientissimè de hoc argumento scripsit Romanus Sapiens, ita pluribus locis felicitatem describens. *Omnium extrinsecus affluentium lubrica, & incerta possessio est.* (c) *Bona illa vera sunt, quæ ratio dat, solida, & sempiterna, quæ cadere non possunt, nec decrescere, nec diminui. Cætera opinione bona sunt, & nomen habent cum veris, proprietas in illis boni non est.* (d) *Disce igitur mobilia esse, quæ dedit casus, & majore cursu fugere, quam veniunt* (e) *Neminem eo provexit fortuna, ut non*

(b) *Paul. Diac. de reb. Rom. c.* 17. & *Nicephor. lib.* 18. *c.* 29. (c) *de constant. Sap.* (d) *epist.* 74. (e) *lib. de benef. c.* 31.

non tantùm illi minaretur, quantùm promiserat [f] *Omnia, mihi crede, etiam felicibus dubia sunt. Id quoque quod tenetur per manus exit, & ipsum quam premimus horam casus incidit* (g) Enim verò *alia felicitate ad tuendam felicitatem opus est, & pro ipsis, quæ successerunt votis, vota facienda sunt.* [h) *Magnus certè animus conscius sibi melioris naturæ, nihil horum, quæ circum ipsum sunt, suum judicat, sed ut commodatis utitur peregrinus, & properans.* (i) An non *operosè assequuntur homines, quod volunt, anxiè tenent quod assecuti sunt.* [k) *Ego in illis, quæ omnes optant, existimavi semper nihil veri inesse: quin inania, & specioso, ac decepturo fuco circumlita inveni; intra nihil habentia fronti suæ simile.* (l) *Si quid in illis boni esset, & solidi, aliquando & implerent: nunc haurientium sitim concitant.* (m) *Cui enim adsecuto satis fuit, quod optandi nimium videbatur.* (n) *Vitate ergo, quæcunque vulgo placent, quæ casus attribuit: ad omne fortuitum bonum suspiciosi, pavidique subsistite. Munera ista fortunæ putatis? insidiæ sunt. Qui nostrûm tutam agere vitam volet, quàm plurimum potest, ista viscata beneficia divitet. In quibus hoc quoque miserrimi fallimur habere nos putamus, habemur.* (o) *Scedamus itaque ab istis ludis, & demus raptoribus locum: illi spectent bona ista pendentia ut ipsi magis pendeant.* (p) Hæc Romanus Sapiens suam stabiliens, confirmánsque sententiam de certudine felicitatis.

EPILOGVS. Hæc auditis incertæ, caducæque felicitatis asseclæ, & tamen ejus bonis ocyssime avolaturis cumulari votis flagrantibus avetis? Ecquid miseri esse optatis magis habendo, quod deperitis, quam carendo? Amando quippe res noxias miseri, habendo fiunt miseriores. Versate, ut lubet, ac reservate omnia, & instabilia esse, nisi à mente alieni sitis, citra dubium comperietis. Scitote velim fortunam pedibus carere, solúmque manus pennásque habere. Illas nonnunquam refertas muneribus porrigit, & quod liberaliter tribuit, opinione citius aufert: has comprehen-

(f) *epist* 4. (g) *epist.* 101. (h) *de brevit. vit. c.* 17. (i) *epist.* 101. [k) *de brevit. vit. c.* 17. (l) *ad Helv. c.* 5. (m) *epist* 15. (n) *epist.* 118. (o) *epist.* 8. (p) *epist.* 74.

prehendere qui ſatagit, auras duntaxat captat Chamæleon, irritóque labore delaſſatur. Et quamquàm alioquod fortunæ bonum vobis acceſſerit, tantum vobis ad formidinem acceſſurum noveritis, quantúmque vos extulerit, tantum brevì degravabit. Nemo proinde eam in amoribus, ac votis felicitatem habeat, quæ fine, eóque plerúmque lugubri terminatur. Illa velim, qui ſapit, appetat, illaque maximoperè deamet, quæ nec adepta deſerant, nec attributa fugiant, vacuùmque relinquant. Quod ſi tamen cuiquam invito fortunæ bona accedant, inter mancipia ea numeret, itaque apud eum commorentur, ut ſciat ea eſſe apud ſe, ſed tamen extra ſe. Utatur iis, non glorietur: fruatur parcius ùt depoſitis, ſed cum tempore abituris.

CHRIA XIX.

Ego ſi bonam famam mihi ſervaſſo, ſat ero dives. *Plautus in Muſtell.*

EXORDIUM. NOn cothurnata duntaxat poëſis, ſed & ſoccum induta venit in laudis argumentum. Habeat ſuum Cordubenſis poëta præconium à tragicis: habet & ſuum Sarſinas Umber à comicis Marcus Accius Plautus. Ipſum etiam illius nomen, quod natura ei impoſuit, admirabilem comædum provectiori ætate futurum, ludóſque amæniores facturum non vanè præſagiebat. Nam Plautus, ſive Plotus à pedum planitie eſt dictus: ut vel jam tum natura pedes ejus ad ſoccum aptáſſe videretur. Sed quid in etymo more Grammaticorum trincamur. Res ipſa celebrem exhibet choragum, fabulæque quas poſteritati tranſmiſit doctum poëtices non uno manifeſtant documento. Ea quippe ludos ſuos exaravit venuſtate, eóque condivit lepore, ut Varro non è vano aſſeruerit: Mutas Plautino ſermone locuturas fuiſſe, ſi latinè loqui voluiſſent. Equidem non inficias eo, in priſtino molas truſatiles agendo, fabulas, quæ etiamnum exſtant, erudito graphio conſigna ſſe:

signâsse? sed ingenio prorsus singulari, alibi locorum ajo versatum fuisse. Nec refert, quo loco scribat sapiens; cùm non ab eo desumat sapientiam, & ornamentum, sed à se ipso. Neque ei infamiæ nota, probrúmque egestatis à pristino adhæsit; ut ex illo, quod ibidem exaravit, abunde liquet: *Ego si bonam famam mihi servasso sat ero dives.*

PARAPHRASIS. Suffragor tuæ sententiæ venustissime poëta. Copiosus utique sat est, ac locuples; qui apud omnes bene audit, famáque nominis inclarescit. Sit licet quispiam à peculio affatim instructus; sit Cræso Midave opulentior; sit ultra rem Caliicratis dives; habeat Pelopis talenta, fortunas Pactoli, opibúsque amplissimis superfluat: si tamen macula turpis famæ sit inquinatus; Iro, Codroque est egentior, alga vilior, homo tressis, fumi umbra, infimique subsellii reputatur. Ita nempe existimationem sibi colligere apud universos, factáque sua immortalitati mandare pluris habeat oportet sapiens; quàm omnes mundi opes, ac facultates. Hæ namque abeunte vita, abeunt ad manus alienas: nominis verò splendor lucem suam diffundit per sæcula, & in oculis omnium, labiisque perennat. Famæ bonæ gloria nunquam deficit, nunquam consenescit, nullámque sui jacturam incurrit. Gazophylacia expilari possunt à vecticulariis, vel ab adversariis viventi, invitoque domino eripi, & non raro auferuntur, at famæ opes, quas virtutis studium, & industria congessit, nemo furto subducere potest. Et quamquam offundere tenebras claro nomini cujusquam satagant æmuli, infamiæ umbris obsepti; minimè tamen luminibus ejus obstruere valent, quin infamiæ dedecus reflectat, in corrivales. Nec ullus lucem gloriæ cuiquam substrahere valet, aut eam obscurare, quæ Solis instar resplendescit.

CAUSA. At eccur tanti fecit nominis famam sapientiæ lumine illustris Plautus! Noverit enim verò famæ decore nil esse præstantius, nihilque optabilius homini, qui in societate hominum versatur. Quis enim illum necessitudinis vinculo sibi adstringat, in eoque spes suas locet, cujus famam videt non parum labefactatam? Omnes abhorrent stigmate infamiæ notatum. At forsan is, cujus nomen

deni-

denigratum est, innocentiæ candore triumphat? Sit ita. Atqualis fama cujusque est; talis esse ab omnibus reputatur. Qui verò fama teste laudatur, à nullo non talis esse probatur. Quare inclyti prorsus animi, cordatique hominis haud obscurum est indicium, primis in curis rationem famæ habere; ejus unius spectare commoda, majorisque ducere boni nominis emolumentum, quàm immensum pecuniæ augmentum. At scire te velim, qui famæ teneris amore, nihil te profecturum sinè pleno laudis opere; à quo solo vera famæ gloria increbescit. Nemo hucusque nomen veri sapientis obtinuit; qui non vel operibus publicæ luci datis, aut in corona eruditorum suam disertè probavit sapientiam. Nullum hactenus famæ tuba cecinit belli gloria, & virtute præstantem; qui non signa cum hoste sæpius contulerit, ac laurea victoriæ redimitus crebrius ex hostico redierit. Nullus vivam, absolutámque virtututum ideam præsetulit fama super æthera notus, qui non earum specimina palam edidisset. Atque hæc sunt potissimum, ex quibus fama in altum se levat, pérque ora hominum passim volitat, sed vel maxime ex virtutum studio emanat.

CONTRARIUM. Verùm ô præposteram complurium mentem, qui malunt genio suo plusculum indulgere, quàm ex prædictis, famæ nomen ad ter Optimi Maximi Numinis gloriam ac posterorum æmulationem sibi nundinari. Hos ego vix, ac nè vix nomine, atque re hominis dignos censuerim. Sed cur ita? An quia degeneres in brutorum transeunt conditionem: Id enim verò est, quod suffragante mihi sapeintúm collegio, citra formidinem palam asserere possum. Si enim nòllent se pulcherrimâ hominis prærogativâ gaudere, utique non essent nescii, meliorem sui partem nunquam intermori posse. Atqui hujus fœda laborant ignorantia. Sed Vah: quam de illis fero sententiam? At non injuria. Nam si compertum haberent animæ suæ statum, sempérque victuram non ignorarent: an non votis omnibus exoptarent, vita laudatissimè, honestissiméque acta, jugiter vivere in mente, ac memoria posterorum? Quod cum eos minimè actitare, nulláque famæ gloria in securituras

cuturas ætates duraturæ teneri videamus : ecquis non veram inferat sequelam, aut perpetuitatem animæ illos negare, aut ejus curam in postremis habere. Quamobrem qui æternaturum sibi penitus persuadent spiritum, quodam indito sibi ab authore naturæ appetitu, perennem sibi, fundatámque comprimis in virtute famam satagunt comparare. Et quamquam labores decumani essent exantlandi, omnes tamen operas plus quàm Herculeo exsorbent animo, dum metam votorum suorum contingant, famæque perennitatem indipiscantur.

SIMILE. Ut enim vel ductæ ad sidera Ægyptiorum pyramides, vel turris Pharia, structura, & altitudine eximia, vel nobilissimum Mausoli monumentum, aliæque structæ grandi impendio fabricæ, multo negotio ad fastigium educuntur : at ubi architectante manu coronis operi imponitur, perpetuitatem spondent in sæcula : ità equidem arduum sanè est opus, aut sapientiæ, aut fortitudinis sibi famam parare, sed ubi semel rectò factis est comparata, nulla memoria temporum sepelitur. Dispereant licèt omnia, sola fama, est superstes. Lauri profectò naturam fama proximè imitatur, Illa inter cæteras à brumæ rigoribus defrondatas arbores, victrix omnium tempestatum triũphat ista virtutis semper virore læta, nullo unquam ævo flaccescit, ac marcescit.. Nec ingruè venit in comparationem cum anosa quercu perennis fama. Ut enim illa solidati suæ innixa vincit durando sæcula : haud aliter hominum omni virtutis genere instructissimorum memoria, major est quavis intercapedine temporum, nullóque annorum sibi succedium ordine teredinem, suíque interitum reformidat. Et quamquam honoro nomini tenebras offundere Theocrines aliquis, & subsannator moliatur; nunquam tamen luminibus famæ valet officere, ejusque gloriæ splendorem opacare. Quemadmodum enim gemmæ, ac pyropi siderum, dum nox pullo amictu tenebrarum obtegit universa, pulchrius, lucidiúsque enitescunt : pari ratione sidus, ac lumen famæ per offusas nubes obtrectatorum clarior erumpit, lucéque virtutis suæ de omnibus calumniarum urbis triumphum agit.

EXEM-

EXEMPLA. Id exemplo suo edocuit olim Demetrius Phalareus Athenienſium Præfectus,cujus nomini ex virtutis ſtudio, præclariſque facinoribus collecto, nulla valuit malignitas derogare. Hic virorum fortiſſimus, poſteaquam ſolum patrium vertere coactus, haud dubiis rumoribus accepiſſet, trecentas illas ſtatuas, quas ei Athenienſes ob geſta præclariſſima exſtrui fecerant, impellente livore dejectas, & in vaſa contumeliæ per ſummam ignominiam conflatas eſſe, nullatenus commoveri viſus eſt, at ſuaviter ſubridens edixit: ſtatuas quidem invidi evertere potuerunt, virtutes autem & præclara geſta, quibus præmia imagines illæ exſtiterunt, nunquam abolere valebunt. Et ad hæc facinora immortali nomine digna animos Demetrio addidit Antigonus ejus progenitor, dum filium ſuum cum numeroſa claſſe, magnáque militum vi ad Græciam ab hoſtibus liberandam mitteret, inſignia virtutis bellicæ ſpecimina daturum. Ut verò ad rem ſtrenuè gerendam Demetrium inflammaret, edicebat: gloriam à Græcià, velut ſpecula in orbem terrarum accendi, atque ideo ejus laudis rumorem non intra Græciæ fines eſſe continendum; ſed ob Græci nominis celebritatem per omnes mundi plagas diminaturum, quem ſibi omnino glorioſis operibus peperit Demetrius Phalareus.[a] Sed ne uno duntaxat perennaturi nominis exemplo immortalis famæ decora circumſcribere videamur, ecquid erat, quod moveret Alexandrum Macedonem,ab nomine ſuo Alexandriam nominari? Quid erat à Seleuco Rege Seleuciam, ab Antiocho Antiochiam, & à Cæſare condi Cæſaream, quàm ut immenſum famæ deſiderium palam mundo facerent, veráque ſpe duci ſe oſtenderent, hujuſmodi urbium conditores, eà appellatione, additis una præclare geſtis rebus, ſe æternitati nomina ſua conſecraturos. Quid erat, quod præfatus Alexander M. Indicæ militiæ termino, aras in extremis hujus provinciæ limitibus poni juſſerit; Hercules apud Cades duos montes ſuæ fortitudinis teſtes reliquerit; niſi ut æternaturæ apud poſteros famæ defigerent monimentum? Eccur Lyſander Dux Lacedæmonum Chœrilum poëtam ſibi jugiter præſentem eſſe voluit, Scipio

M

(a) *Plutar. in prac. gerend. reipubl.*

pio Africanus magni fecerit Ennium, Cneus Pompejus M. Theophanem Mitylenæum in concione militum civitate donârit, Decius Brutus Accio poëta delectatus sit, Cajus Marius licet amusus, summo foverit studio litteratos aliique alios eruditione claros in amoribus habuerint, quam ut eorum scriptis celebres, nomen suum à situ, & oblivione vendicarent; [b] Tantus nempe amor est famæ in futuras ætates transmittendæ. Sed hujus peculiarem habeant rationem oportet, quibus regnorum habenæ sunt commissæ,

TESTIMON. E mente quippe nunquam involvendi silentio Taciti: *Principum diversa sors est, quibus præcipua rerum ad famam derigenda.* (c) Nam *non minus fama, quam vistant res Principum.* Idem (d) *Vt* autem *quis factus est Princeps, exemplo fama ejus incertum bona, an mala Cæterum æterna est.* Plin paneg. *Non ergo perpetua Principi fama, quæ invitum manet, sed bona concupiscenda est.* Idem (e) Et sanè *maxime illis cavendum est, qualem famam habeant, qui qualemcunque meruerint, magnam habituri sint.* Sen. [f] *Homines* enim *ut metuant, aut oderint, non minus opinione, & fama, quam certâ aliqua ratione moventur.* Cic. (g) Unde *invisum semel Principem, seu bene seu male facta premunt.* Tacitus. (h) *Ac privatis quidem hominibus satis est nihil delinquere. Principibus nè quidem suspectis esse licet.* Sueton. (i) Et *ut in facie plus offendit nævus, aut verracula; quam in reliquo corpore grandes macula, aut cicatrices: sic exigua delicta, magna videntur esse in Principe, cujus vita in conspicuo est.* Plutar. (k) *Illi* enim *non magis quam Soli latere, contingit.* Sen. (l) Et *habet hoc primum magna fortuna, quod nihil tectum, nihil occultum esse patitur. Principum verò non modò domos, sed cubicula ipsa, intimósque secessus recludit, omniáque arcana noscenda famæ proponit, atque explicat.* Plin. in paneg. Unde *nullus locus, nullum est tempus, quo funestorum Principum manes à posterorum execrationibus conquiescant. Contra contemptor ambitionis, & infinitæ potestatis domitor, ac frænator animus*

[b] *ex Plutar.* [c] 4. *annal.* [d] 11. *annal.* [e] *ibid.* (f) *in proverb.* [g] *pro leg. Manil.* [h] *lib.* 1. *hist.* [i] *Livia ad Aug. apud Sueton.* (k) *in Mor.* (l) *lib.* 1. *de clem.*

nimus ipsa vetustate florescit. Sen. (m)

Et memorem famam, qui bene gessit, habet. Ovid. (n)

Nec solum Principes famæ integritati navent operam, sed & omnes alii, quos alta gubernat ratio, sartam jugiter tectámque studeant conservare. Quare illud Catonis pervulgatum semper ante oculos mentis habeant.

Omnia si perdas, famam servare memento.

Nec illud Isocratis unquam animo effluat ita ad Nicoclem scribentis: *magis expetendum ducito, ut liberis tuis honestam famam, quam opes magnas relinquas. Nam hæ mortales sunt, illa immortalis: pecuniæ acquiri possunt, fama pecuniis emi non potest: opes etiam improbis contingunt, gloriam verò parare non possunt nisi virtute præstantissimi.*

EPILOGUS. Et hanc famam ex virtutis studio emanantem, majoris duxisse visus est Marcus Accius Plautus, quam copiosas facultates, tot virum discrimini semper objectas. Mille thesauri auri vigiles semper metuunt oculos, atque manus in furta, & rapinas. Famæ opes, pro quibus virtus ceu ostiaria semper excubias agit, nullum reformidant plagarium, effractorem nullum. At forsan ex me quispiam percontabitur, quonam pacto famæ gloriam valeat indipisci? Liceat mihi cum Epicteto in Enchir. quò responsum pondus habeat, sciscitanti hæc reponere: *si vis bene audire, disce bene loqui, & cùm bene loqui didiceris, rectè facere conator, & hoc modo bonam famam acquires.* Opera quippe è virtutis consilio facta famam procreant immortalem. Huc proinde omnes ingenii nervos, huc omnem annisum, rémque omnem familiarem conferre juverit, ut ea edantur facinora, quæ famæ gloriam ad postera sæcula propagent. Quid juvat annosam ætatem Tithoni, vel Hesiodi; aut Phœnicis agere, si arcta sit famæ periodus? Quid proderit in altos dignitatum gradus ascensum facere; & in honoris apice pluribus lustris considere, si abjecta jaceat fama ad pedes nomine tenus solum honorati? Quid emolumenti adferet omnibus fortunæ bonis affluere, si egestas famæ, & inopia virtutis resideat in crumena, bulgáque opulenti?

(m) *ibid.* (n) *lib. 2. Fast.*

Famæ proinde gloria, & vitæ, & bracteatis honoribus, omnibùsque divitum gazis jure optimo est præferenda. Hanc qui sibi, aut sapientiæ suffragio, aut fortitudinis adminiculo, aut aliarum virtutum studio comparârit, vivus per ora hominum volitabit, & vitâ quoque functus famâ orbem peragrabit.

CHRIÆ
ACTIVÆ.
CHRIA I.
Socrates æquo animo fert adversa.
Laërt. in Socrate.

EXORDIUM. DEprædicent etiamnum Romanorũ fasti regali supercilio inhorrentem, & indomitum ad inferos usque animum deportantem familiæ Portiæ decus, ac ornamentum, Marcum illum Catonem, virtuti simillimum, & per omnia Diis, quam hominibus propiorem. Concurrant ad extremam ejus vitæ periodum Uticenses populi, ac unanimi voce proclamitent, solum esse fortitudinis prototypon, ac virtutis portentum invictum animo Catonem: quin ipse adeò Princeps Principum Cæsar, audito ejus è vita excessu, gloriosum eidem obitum invidere perhibeatur. Prosequantur exaggerato laudum genere, Latii monumento, Catonis gesta, referántque nunquam rectè fecisse, ut facere videretur, sed impotentiæ tribuant secùs fatiúsque faciendi. Memorent prodigi in encomiis Romani scriptores, id solum ei visum esse semper habere veri, ac æqui rationem, quod justitiæ legibus conforme, sanctúmque esset. Extollant demum vitæ cursum, omnibus vitiis expertem, immunemque fuisse: nunquam tamen litteris proditum

ditum eſt; eam præſetuliſſe rebus in adverſis hilaritatem, ut illecebras blandioris fortunæ exoſus, inclementiam ejus, humanarúmque rerum aſperiores vices præeligeret, aut ultrò in certamen provocaret. Alium ego vobis hodie ante oculos ſtatuam A A. maximi animi heroem, in Philoſophiæ Stoicæ enutritum gremio Socratem, nunquam non lactatum adverſitatis fluctibus, acerrimíſque infeſtæ ſortis Aquilonibus impetitum. Et tamen ea ſemper in ejus animo viguit firmitas; ea ſemper in perferendis calamitatibus duravit conſtantia; ut nè latum unguem de fortitudinis gradu, jugíque ſtatione ſit dimotus. Quódque in admirationem omnes rapere poteſt, ab aſperiore fortuna identidem exerceri voluit, & cum eadem, ubi demum ſe tulit occaſio, glorioſè deſcendit in arenam ſemper victor, ſemper triumphator.

PARAPHR. Quid agis virorum fortiſſime? Quid molliris Philoſophorum Coryphææ, qui ſupremum doctrinæ verticem; & ſtatutam humanæ ſapientiæ metam longè es antegreſſus? DEUM immortalem! à fortuna peſſimè accipi mavis, quam ab eadem benignè, placidéque tractari? An non ſatius tibi foret in ſinu ejus quietum conſidere? Ergóne inter rixantes adverſitatum procellas, inter decumanos convitiorum fluctus, navim felicitatis tuæ ſúſque déque jactari præeligis potius, quàm in tranquillo portu, favente ſemper ſortis Favonio, leniter, ſecuréque hoſpitari? Ita ſane. Quidquid immiſerit furentis turbo fortunæ, patitur perlubenter Quidquid onerosum, aſperum, & acerbum præcipit exantlandum, citra moram exequitur. Nihil excipit, nihil deprecatur, ad omnem infeſtæ ſorits impetum promptus, alacer, expeditus Jubet hoſtili ferro cadere: neutiquam renuit. Premit egeſtate, rei que familiaris conſtringit anguſtiâ & ceu Irum, ac Codrum ad extremam mortalium relegat conditionem: nullatenus detrectat. Spoliet, viduet novercans fortuna omnibus copiis, ac facultatibus, irruant congeſta ærumnarum agmina; infracto, invictóque pectore excipiet univerſa. Verſent, iacténtque, pro genio alternantis fortunæ, iniquiores caſus Socratem, ſtabit adverſus eos immobilis, inconcuſſus. Nulla formido, nullus horror, trepidatio nulla animum dejiciet omnibus excelſiorem. Exerat ſuum quantum valet furorem

rabies tyrannidis, frendeat, insaniat, ac sævade promat crudelitatis instrumenta, paratum est corpus ad laniensim, paratæ manus ad vincula, artus omnes ad vulnera, & tormenta. Tantùm abest, ut has, & alias iniquioris fortunæ injurias reformidet, atque in doloribus ingemiscat: ut etiam illa sibi obtigisse gaudeat, nihilque expavescat magis, quam illius favore, ac benevolentia blandiùs, molliúsque permulceri. O virtutem humanâ conditione superiorem! Oæquanimitatem pene incredibilem, vix in Christiano homine, veræ fidei lumine illustrato, ac leges tolerantiæ erudito reperiendam.

CAUSA. Noverat enimverò, probèque compertum habuit infracti animi Socrates, veram beatitatem non in congestis opibus, non in speciosis honorum titulis, non in fugitivis voluptatum illecebris, non in prosperis rerum successibus, sitam, locatámque esse, sed in æquanima adversorum patientia, & inconstantia malis credere nescia suum habere dominatum. Hac impavidâ virtute animatus, hac firmatus, & roboratus tolerantiâ, exporrectâ fronte, irretortis oculis, ad casus acerbos intrepidus stare, in calamitatum cuneos irruere, cum irruentibus fortunæ telis, solo virtutis clypeo munitus, gloriosè decertare, semperque vincere, ac triumphare. Non illum fulgentes ære machinæ debellare, non molliores illecebræ exarmare, non gloriæ arietes posternere, non deliciæ inescare, non calamitates evertere, non curtior domi suppellex mærore afficere, ac nè ipsa quidem ante oculos furens, freménsque mortis imago examinare, sed pax in animo, sed tranquillitas, ac lene otium jugiter commorari. Agedum fortuna in iras, ac furores jam effusior, age, si lubet, bellum interpolatum redintegra, tela adversorum exacue, exacuata pleno impetu libra in Socratem, expedi vim, quam possides universam, & ante tibi deficere senties injuriarum arma, quàm hic virorum fortissimus animo cadat, canátque receptui, pacem, aut herbam fortunæ porrigendo. Irrue more hostili in ejus facultates, prædásque age: gaudebit se curis, graviqúe rerum pondere sublevari. Exue comparatis sudore non modico opibus, exultabit cum pretio, auróque virtutis. Denuda fortunis omnibus, indue egestate, res ei ad manti-

cam

cam redeat: præsente animo feret inopiam, apprimè sciens, divitem esse, cui bene convenit cum paupertate. Jube illum solum vertere, ac ad ultimam mundi thulem relega: viro forti, ac sapientiæ alumno omne solum erit patria. Hæc illi parabit opes animi à nullis lavernionibus eripendas, à nullis ignibus absumendas, vel naufragio, infamiæque mari absorbendas, Ita nempe inter adversa nunquam non sibi constat virtus, neutiquam se fortunæ, sed fortunam sibi accommodans, laboribus emit præmia, quietem agitatione, sudoréque fructum legit jugiter perennantem.

CONTRARIUM. Verum enimverò videamus jam ex adverso illos blandioris fortunæ pullos, enutritos in delicioso sinu clientulos, Cyparissi de gente nepotes, quæ tandem virtutis experimenta transmittant posteris; quæ immortalitati tradant heroicæ virtutis documenta. Convertite oculos mentis vestræ in molliores illos fortunæ Ganymedes? ponderate levitatem, & instabilitatem eorum: an non vel ipso adversorum nomine, fortísque infestioris umbrâ propè enecentur? Avertat tantisper placidiorem ab eis obtutum ridentis fortunæ gratia; an non continuò in uberes lacrymas resolvuntur? An non illicò in singultus, ac suspiria, in quiritatus ac lamenta erumpunt totâ æde personante? Coarctentur nonnihil rei familiaris angustiâ, premantur vel levi agendorum cura, confestim animos despondent; & in miseriarum barathrum se devolutos rati, altum ingemiscunt. Afflentur nonnihil acerba infelicitatis aura, & vel præludia videant fortunæ necdum ex integro asperatæ: acturum lugent, plangunt; ac mœrori, dolorique se tradentes, perditissimos mortalium se se arbitrantur. Affligantur secundâ fortunâ elati homines improvisis casibus, inopinis mactentur infortuniis, injuriis, ac conviciis impetantur, hostium incursibus cum amatis facultatibus evertantur: quibus lacrymis, ac ejulatu sortem suam prosequuntur. Eveniat fortunâ reflante, eos à forensibus rabulis iniquè exagitari, causâ suâ cadere, & forsan juris ordine ex æquo plecti, aut multari: contingat aut undarum eluvione, aut furiâ ventorum, aut flammarum sævitia exerce-

ri,ac rei domesticæ penuriâ laborare : cum enimverò diffisi rebus suis, absumptam spem cogitare , à fortuna se destitutus lamentari , quærelas in cælum ipsum exonerare , conviciis Divos , hominésque proscindere , vitámque ipsam projicere penè decernunt. Quin videas non rarò ejusmodi homunculos ad viliorem fortunam devolutos , dolore, & angore contabescere , ac miserandum in modum consumi, & disperire. O delicati , mollésque fortunæ alumnuli ! si in deliciis duntaxat haberi non expetissetis , si felicitatem vestram tulissetis moderatius? si æmulari Socratem , inter adversa, cum fortuna luctari non renuissetis , nunquam super vestra calamitate tot planctus , atque gemitus ederetis. Secus viro magnitudine animi prædito accidit , qui rebus in adversis , molestisque, necessitatem vertit in virtutem , ut quod in præsente rerum ordine patitur , cum proventu patiatur. Nunquam vir aheneus malorum ingruentium volentiâ, à virtute fortitudinis se abduci sustinet, quin potiùs ea , ut virtutis experimenta suum ducit in commodum , nihil deperdens de vigore, de constantia in calmitatibus perferendis.

SIMILE. Quemadmodum enim mare indutum sibi à natura saporem nunquam amittit , quantumvis dulcium aquarum flumina, plenis , ingentibúsque alveis in se recipiat : Ità sanè heroæ virtutis archistrategus , quas semel combibit invictæ fortitudinis leges, licet aliis amaras , vel paracerbas , nullo rerum aut secundarum , aut adversarum influxu , à statu infracti animi se patitur dimoveri. Sed ut luculentiore rei veritas similitudine inclarescat , adamantinus viri fortis animus,non absimilis est, opinione meâ , eminenti in Oceano rupi,seu in ridentem maris faciem , seu in iras tumescentem æquali vultu prospectanti. Non illa cæli injuriis , non procellis , non turbinibus concuti valet , aut infirmari. Circumfremant licèt urores grandinum; intonent commista nimbis fulmina , incurset ventorum rabies , adoriantur fluctus decumani , omnésque eam obruant tempestates ; immobilis persistit fundata super virtute sua nulli maris violentiæ ne ad palmum quidem cessura. Videtis, ut opinor, viri fortissimi imaginem , eodem vultu

eodem

eodem animo prospera quæque, ac adversa tuentem, ac ridentem, sempérque in officio æquanimitatis se continentem. Quo quid habet orbis admirabilius; quid prodigio similius, qúid inter mortales rarius, dignúmque majori æstimatione? Date mihi, si potestis, in hac rerum tempestate novum quempiam Socratem, inter horrores, ac tenebras adversorum, animi serenitatem jugiter retinentem. Date virum in vacillante fortuna semper eundem, in pressura non oppressum, in blandis non emollitum, in ærumnis non concussum: inter humanas vicissitudines semper æqualem, inter lacrymas suorum plaudentem, in carceris squallore, in mortis horrore semper suum, semper hilarem, ac invictum. Date, si potestis. Ne hunc ego jure meritissimo Orientis adamantem dixero, nec flammis, nec ferro ullatenus frangendum, edomandum. Date, si potestis. Vitem ego ejuscemodi athletam nominaro, à vulnere in uberiores fructus germinantem. Aut satius Olympum nuncuparo, omnes infra se tempestates ridentem, explodentem. Annosam denique stupebo quercum; quæ tantùm abest, ut à ventorum rabie evellatur, ut altiores etiam radices agat, omnésque furias exsibilet Aquilonum. Ridet quippe vir Herculanea præditus patientia, & in calamitatum palæstra probè exercitus, omnem fortunæ stomachantis sævitiem, fortis vicissitudinem minimè pensi habet; fallaciam illius bono astu prævenit, alternas rerum vices intrepidus sustinet atque adeò magis magísque in rerum contrariarum perpessione roboratur, amplius in vera animi quiete solidatur? & in acerbis dulcedinem, in dulcibus acerbitatem æquè reputat ac delibat,

EXEMPLA. Sed ut exemplis hucusque dicta illustremus; offert se se mihi primùm Thraseas, Stoicæ disciplinæ, ac Socratis gloriosus sectator. Hic dum à Nerone ex omni immanitate conflata bellua, iniquo jure morte damnatus fuisset, atque incisis venis, deficiente sanguine jam jam animam agens, à familiaribus supplicio adstantibus, copiosis lacrymis vices suas deplorari vidisset: quid opinamini AA. in extremo illo vitæ articulo sensisse virorum fortissimum? Arbitramini forsan erupisse in gemitus

Absit hoc probrum ab ejus magno, erectoque animo, Solutum esse in uberes lacrymas? Has virum minimè addecere apprimè novit. Omnia complêsse singultibus, ac lamentis? Hoc sequiorem infamat sexum. Quid igitur? animo defecisse: Haud quaquam. Sed oculis minimè deflexis, erumpentem è venis cruorem contemplatus, non integritatem vitæ palam facere; non immanem tyranni barbariem causare, sed [ô virtutem fastis æternitatis inserendam:] luctum coronantis amicitiæ, ac dolorem acriter increpare, nihilque sibi majori esse afflictationi disertè pronuntiare, quam cognati præsentis mollem, effeminatúmque animum, à mortis horrorem adeò perculsum. His dictis, vitam suam, ac sanguinem Jovi liberatori dicans, consecránsque, gloriosam mortem oppetiit, victurus in labris posterorum. (a) Huic proximum sibi locum jure vendicat Marcus Attilius Regulus, primi belli Punici gloria, magnúmque populi Romani ornamentum. Is hostibus ex data fide præsentem se intrepidè stitit, ad omnem, quamcunque demum offerrent, asperiorem licèt sorde ac fortiter perferendam promptus, ac expeditus. At quid fides Punica? Regulum in arcam ligneam, infixis undique præacutis clavis horrentem, conjicit, palbebris prius crudeli feritate resectis. Sic in perpetuam vigiliam suspensis luminibus, quocunque fatigatum corpus reclinasset, vulneri incubuit, clavis curem acerbè figentibus; multoque cruore superfundentibus Attilium meliore purpurà dignum. Sed ille firmæ mentis, ac solidæ, vigilantia pariter, ac continuo dolore enecandus, eam prætetulit in tormentis animi constantiam, vultúsque hilaritatem, ut nè gemitum quidem doloris judicem edere sit auditus. (b) O fortitudinem prorsus admirabilem: O eximium tolerantiæ specimen, omnium scriptorum monumentis inserendum: Nec verò Roma duntaxat athletica ejusmodi in adversis pectora vidit, & obstupuit; sed & suos habuerunt Athenæ patientiæ laude illustres viros, qui glorientur, æqualem in omni fortunæ conditione animum retinentes. Quos inter primas facilè obti-

[a] *Cæl. lib. 22. cap. 2.* (b) *Gellius lib. 16. noct. Attic.*

obtinet vir dicendi gloriá præstans Isocrâtes, per omnia adversorum genera à fortunâ iniquiore jactatus. Quàm verò forti, quamque magno animo fuerit, admodum luculenter declaravit, in iis rectè vivendi instituturus, quæ ad Demonicam dedit, in quibus illi hæc ante alia curæ esse voluit; persuasúmque comprimis habere, nihil rerum humanarum esse firmum, ideoque nec in rebus secundis lætandum, nec in adversis mærori indulgendum, sed immoto vultu, ac animo, debacchantis fortunæ impetus, jugésque insultus esse sustinendos. (c) Possem hìc ego innumeros alios è Zenonis, Stoæque disciplina recensere in orchesta fortunæ invictos palestrites, firmam, robustámque in rebus arduis mentem ævi sui spatio conservantes, sed nè fortasse quispiam hac laude caruisse alios, Christianitatis legibus probè eruditos arbitrari possit, succinctè quædam de iis damus. Non hi, de quibus nobis in præsentiarum sermo est, fortunæ plagas Spartanâ nobilitate concoxerunt vani nominis aucupandi ergo: sed majoris gloriæ divinæ causâ, cujus unicè sategerunt: nec præsentia famæ præconia, sed æternatura in cœlis præmia animo reputarunt. Possem hìc longum eorum catalogum texere, sed nè æquo sim longior, unicum duntaxat Ludovicum Tolosanæ urbis Antistitem, gloriosum fortunæ victorem statuo ante oculos mentis vestræ. Vixdum is annos pubertatis egressurus fuerat, cùm Patre maligniori sorte divexato, obses Cataloniam mittitur, perquàm durè inibi accipitur, & circumsepto pedore, situque argastulo inique mancipatur. Hic ceu rosa adversorum spinis circumsessa, fragrantiam virtutum, ac comprimis invictæ patientiæ longè, latéque dispergebat. Verùm cum quispiam non infimi subsellii, tantæ virtutis illectús odore, ad eum visisset ac sciscitatus fuisset: qui adeò æquam, placidámque tot rebus in adversis mentem retineret, dignissimum honore pedi, ac tiara depromsit apophtegma, inquiens adversa DEI amicis plus conducunt, quam prospera. Tum enim DEO subditi sumus, cum adversis premimur. (d) A cujus mente non ablusit alius ejusdem virtutis assecla

(c) *Pausan. in Bœot.* (d) *Surius in vita.*

pio Africanus magni fecerit Ennium, Cneus Pompejus M. Theophanem Mitylenæum in concione militum civitate donârit, Decius Brutus Accio poëta delectatus sit, Cajus Marius licet amusus, summo foverit studio litteratos aliíque alios eruditione claros in amoribus habuerint, quam ut eorum scriptis celebres, nomen suum à situ, & oblivione vendicarent; [b] Tantus nempe amor est famæ in futuras ætates transmittendæ. Sed hujus peculiarem habeant rationem oportet, quibus regnorum habenæ sunt commissæ,

TESTIMON. E mente quippe nunquam involvendi silentio Taciti: *Principum diversa sors est, quibus præcipua rerum ad famam derigenda.* (c) Nam *non minus fama, quam vistant res Principum.* Idem (d) *Vt* autem *quis factus est Princeps, exemplo fama ejus incertum bona, an mala Cæterum æterna est.* Plin paneg. *Non ergo perpetua Principi fama, quæ invitum manet, sed bona concupiscenda est.* Idem (e) Et sanè *maxime illis cavendum est, qualem famam habeant, qui qualemcunque meruerint, magnam habituri sint.* Sen. [f] *Homines* enim *ut metuant, aut oderint, non minus opinione, & fama, quam certâ aliqua ratione moventur.* Cic. (g) Unde *invisum semel Principem, seu bene seu male facta premunt.* Tacitus. (h) *Ac privatis quidem hominibus satis est nihil delinquere. Principibus nè quidem suspectis esse licet.* Sueton. (i) Et *ut in facie plus offendit nævus, aut verracula; quam in reliquo corpore grandes macula, aut cicatrices: sic exigua delicta, magna videntur esse in Principe, cujus vita in conspicuo est.* Plutar. (k) *Illi* enim *non magis quam Soli latere, contingit.* Sen. (l) Et *habet hoc primum magna fortuna, quod nihil tectum, nihil occultum esse patitur. Principum verò non modò domos, sed cubicula ipsa, intimósque secessus recludit, omniáque arcana noscenda famæ proponit, atque explicat.* Plin. in paneg. Unde *nullus locus, nullum est tempus, quo funestorum Principum manes à posterorum execrationibus conquiescant. Contra contemptor ambitionis, & infinitæ potestatis domitor, ac frænator animus*

[b] *ex Plutar.* [c] 4. *annal.* [d] 11. *annal.* [e] *ibid.* (f) *in proverb.* [g] *pro leg. Manil.* [h] *lib.* 1. *hist.* [i] *Livia ad Aug. apud Sueton.* (k) *in Mor.* (l) *lib.* 1. *de clem.*

nimus ipsa vetustate florescit. Sen. (m)

Et memorem famam, qui bene gessit, habet. Ovid. (n)

Nec solum Principes famæ integritati navent operam, sed & omnes alii, quos alta gubernat ratio, sartam jugiter tectámque studeant conservare. Quare illud Catonis pervulgatum semper ante oculos mentis habeant.

Omnia si perdas, famam servare memento.

Nec illud Isocratis unquam animo effluat ita ad Nicoclem scribentis: *magis expetendum ducito, ut liberis tuis honestam famam, quam opes magnas relinquas. Nam hæ mortales sunt, illa immortalis: pecuniæ acquiri possunt, fama pecuniis emi non potest: opes etiam improbis contingunt, gloriam verò parare non possunt nisi virtute præstantissimi.*

EPILOGUS. Et hanc famam ex virtutis studio emanantem, majoris duxisse visus est Marcus Accius Plautus, quam copiosas facultates, tot virum discrimini semper objectas. Mille thesauri auri vigiles semper metuunt oculos, atque manus in furta, & rapinas. Famæ opes, pro quibus virtus ceu ostiaria semper excubias agit, nullum reformidant plagarium, effractorem nullum. At forsan ex me quispiam percontabitur, quonam pacto famæ gloriam valeat indipisci? Liceat mihi cum Epicteto in Enchir. quò responsum pondus habeat, sciscitanti hæc reponere: *si vis bene audire, disce bene loqui, & cùm bene loqui didiceris, rectè facere conator, & hoc modo bonam famam acquires.* Opera quippe è virtutis consilio facta famam procreant immortalem. Huc proinde omnes ingenii nervos, huc omnem annisum, rémque omnem familiarem conferre juverit, ut ea edantur facinora, quæ famæ gloriam ad postera sæcula propagent. Quid juvat annosam ætatem Tithoni, vel Hesiodi; aut Phœnicis agere, si arcta sit famæ periodus? Quid proderit in altos dignitatum gradus ascensum facere; & in honoris apice pluribus lustris considere, si abjecta jaceat fama ad pedes nomine tenus solum honorati? Quid emolumenti adferet omnibus fortunæ bonis affluere, si egestas famæ; & inopia virtutis resideat in crumena, bulgáque opulenti?

M 2 Famæ

(m) *ibid.* (n) *lib.2. Fast.*

Famæ proinde gloria, & vitæ, & bracteatis honoribus, omnibùsque divitum gazis jure optimo est præferenda. Hanc qui sibi, aut sapientiæ suffragio, aut fortitudinis adminiculo, aut aliarum virtutum studio comparârit, vivus per ora hominum volitabit, & vitâ quoque functus famâ orbem peragrabit.

CHRIÆ
ACTIVÆ.
CHRIA I.
Socrates æquo animo fert adversa.
Laërt. in Socrate.

EXORDIUM. Deprædicent etiamnum Romanorũ fasti regali supercilio inhorrentem, & indomitum ad inferos usque animum deportantem familiæ Portiæ decus, ac ornamentum, Marcum illum Catonem, virtuti simillimum, & per omnia Diis, quam hominibus propiorem. Concurrant ad extremam ejus vitæ periodum Uticenses populi, ac unanimi voce proclamitent, solum esse fortitudinis prototypon, ac virtutis portentum invictum animo Catonem: quin ipse adeò Princeps Principum Cæsar, audito ejus è vita excessu, gloriosum eidem obitum invidere perhibeatur. Prosequantur exaggerato laudum genere, Latii monumento, Catonis gesta, referántque nunquam rectè fecisse, ut facere videretur, sed impotentiæ tribuant secùs fatiúsque faciendi. Memorent prodigi in encomiis Romani scriptores, id solum ei visum esse semper habere veri, ac æqui rationem, quod justitiæ legibus conforme, sanctúmque esset. Extollant demum vitæ cursum, omnibus vitiis expertem, immunemque fuisse: nunquam tamen litteris proditum

ditum est; eam præfetulisse rebus in adversis hilaritatem, ut illecebras blandioris fortunæ exosus, inclementiam ejus, humanarúmque rerum asperiores vices præeligeret, aut ultrò in certamen provocaret. Alium ego vobis hodie ante oculos statuam A A. maximi animi heroëm, in Philosophiæ Stoicæ enutritum gremio Socratem, nunquam non lactatum adversitatis fluctibus, acerrimìsque infestæ sortis Aquilonibus impetitum. Et tamen ea semper in ejus animo viguit firmitas; ea semper in perferendis calamitatibus duravit constantia; ut nè latum unguem de fortitudinis gradu, jugíque statione sit dimotus. Quódque in admirationem omnes rapere potest, ab asperiore fortuna identidem exerceri voluit, & cum eadem, ubi demum se tulit occasio, gloriosè descendit in arenam semper victor, semper triumphator.

PARAPHR. Quid agis virorum fortissime? Quid moliris Philosophorum Coryphæe, qui supremum doctrinæ verticem: & statutam humanæ sapientiæ metam longè es antegressus? DEUM immortalem! à fortuna pessimè accipi mavis, quam ab eadem benignè, placidéque tractari? An non satius tibi foret in sinu ejus quietum considere? Ergóne inter rixantes adversitatum procellas, inter decumanos convitiorum fluctus, navim felicitatis tuæ susque déque jactari præeligis potius, quàm in tranquillo portu, favente semper sortis Favonio, leniter, securéque hospitari? Ita sane. Quidquid immiserit furentis turbo fortunæ, patitur perlubenter Quidquid onerosum, asperum, & acerbum præcipit exantlandum, citra moram exequitur. Nihil excipit, nihil deprecatur, ad omnem infestæ sorits impetum promptus, alacer, expeditus Jubet hostili ferro cadere: neutiquam renuit. Premit egestate, reique familiaris constringit angustiâ & ceu Irum, ac Còdrum ad extremam mortalium relegat conditionem: nullatenus detrectat. Spoliet. viduet novercans fortuna omnibus copiis, ac facultatibus, irruant congesta ærumnarum agmina; infracto, invictóque pectore excipiet universa. Versent, jactentque, pro genio alternantis fortunæ, iniquiores casus Socratem, stabit adversus eos immobilis, inconcussus. Nulla formido, nullus horror, trepidatio nulla animum dejiciet omnibus excelsiorem. Exerat suum quantum valet furorem

rabies tyrannidis, frendeat, insaniat, ac sævade promat crudelitatis instrumenta, paratum est corpus ad laniensam, paratæ manus ad vincula, artus omnes ad vulnera, & tormenta. Tantùm abest, ut has, & alias iniquioris fortunæ injurias reformidet, atque in doloribus ingemiscat: ut etiam illa sibi obtigisse gaudeat, nihilque expavescat magis, quam illius favore, ac benevolentia blandiùs, molliúsque permulceri. O virtutem humanâ conditione superiorem! O æquanimitatem pene incredibilem, vix in Christiano homine, veræ fidei lumine illustrato, ac leges tolerantiæ erudito reperiendam.

CAUSA. Noverat enimverò, probèque compertum habuit infracti animi Socrates, veram beatitatem non in congestis opibus, non in speciosis honorum titulis, non in fugitivis voluptatum illecebris, non in prosperis rerum successibus, sitam, locatámque esse, sed in æquanima adversorum patientia, & inconstantia malis credere nescia suum habere dominatum. Hac impavidâ virtute animatus, hac firmatus, & roboratus tolerantiâ, exporrectâ fronte, irretortis oculis, ad casus acerbos intrepidus stare, in calamitatum cuneos irruere, cum irruentibus fortunæ telis, solo virtutis clypeo munitus, gloriosè decertare, sempèrque vincere, ac triumphare. Non illum fulgentes ære machinæ debellare, non molliores illecebræ exarmare, non gloriæ arietes posternere, non deliciæ inescare, non calamitates evertere, non curtior domi suppellex mærore afficere, ac nè ipsa quidem ante oculos furens, freménsque mortis imago examinare, sed pax in animo, sed tranquillitas, ac lene otium jugiter commorari. Agedum fortuna in iras, ac furores jam effusior, age, si lubet, bellum interpolatum redintegra, tela adversorum exacue, exacuata pleno impetu libra in Socratem, expedi vim, quam possides universam, & ante tibi deficere senties injuriarum arma, quàm hic virorum fortissimus animo cadat, canátque receptui, pacem, aut herbam fortunæ porrigendo. Irrue more hostili in ejus facultates, prædásque age: gaudebit se curis, gravique rerum pondere sublevari. Exue comparatis sudore non modico opibus, exultabit cum pretio, auróque virtutis. Denuda fortunis omnibus, indue egestate, res ei ad manti-

cam

cam redeat: præsente animo feret inopiam, apprimè sciens, divitem esse, cui bene convenit cum paupertate. Jube illum solum vertere, ac ad ultimam mundi thulem relega: viro forti, ac sapientiæ alumno omne solum erit patria. Hæc illi parabit opes animi à nullis lavernionibus eripendas, à nullis ignibus absumendas, vel naufragio, infamiæque mari absorbendas. Ita nempe inter adversa nunquam non sibi constat virtus, neutiquam se fortunæ, sed fortunam sibi accommodans, laboribus emit præmia, quietem agitatione, sudoréque fructum legit jugiter perennantem.

CONTRARIUM. Verum enimverò videamus jam ex adverso illos blandioris fortunæ pullos, enutritos in delicioso sinu clientulos, Cyparissi de gente nepotes, quæ tandem virtutis experimenta transmittant posteris; quæ immortalitati tradant heroicæ virtutis documenta. Convertite oculos mentis vestræ in molliores illos fortunæ Ganymedes? ponderate levitatem, & instabilitatem eorum: an non vel ipso adversorum nomine, fortísque infestioris umbrâ propè enecentur? Avertat tantisper placidiorem ab eis obtutum ridentis fortunæ gratia; an non continuò in uberes lacrymas resolvuntur? An non illicò in singultus, ac suspiria, in quiritatus ac lamenta erumpunt totâ æde personante? Coarctentur nonnihil rei familiaris angustiâ, premantur vel levi agendorum cura, confestim animos despondent; & in miseriarum barathrum se devolutos rati, altum ingemiscunt. Afflentur nonnihil acerba infelicitatis aura, & vel præludia videant fortunæ necdum ex integro asperatæ: acturum lugent, plangunt; ac mœrori, doloríque se tradentes, perditissimos mortalium se se arbitrantur. Affligantur secundâ fortunâ elati homines improvisis casibus, inopinis mactentur infortuniis, injuriis, ac conviciis impetantur, hostium incursibus cum amatis facultatibus evertantur: quibus lacrymis, ac ejulatu sortem suam prosequuntur. Eveniat fortunâ reflante, eos à forensibus rabulis iniquè exagitari, causâ suâ cadere, & forsan juris ordine ex æquo plecti, aut multari: contingat aut undarum eluvione, aut furiâ ventorum, aut flammarum sævitia exerce-

ri, ac rei domesticæ penuriâ laborare: cum enimverò diffisi rebus suis, absumptam spem cogitare, à fortuna se destitutus lamentari, quærelas in cælum ipsum exonerare, conviciis Divos, hominésque proscindere, vitámque ipsam projicere penè decernunt. Quin videas non raró ejusmodi homunculos ad viliorem fortunam devolutos, dolore, & angore contabescere, ac miserandum in modum consumi, & disperire. O delicati, mollésque fortunæ alumnuli! si in deliciis duntaxat haberi non expetissetis, si felicitatem vestram tulissetis moderatius? si æmulari Socratem, inter adversa, cum fortuna luctari non renuissetis, nunquam super vestra calamitate tot planctus, atque gemitus ederetis. Secus viro magnitudine animi prædito accidit, qui rebus in adversis, molestisque, necessitatem vertit in virtutem, ut quod in præsente rerum ordine patitur, cum proventu patiatur. Nunquam vir aheneus malorum ingruentium violentiâ, à virtute fortitudinis se abduci sustinet, quin potiùs ea, ut virtutis experimenta suum ducit in commodum, nihil deperdens de vigore, de constantia in calmitatibus perferendis.

SIMILE. Quemadmodum enim mare indutum sibi à natura saporem nunquam amittit, quantumvis dulcium aquarum flumina, plenis, ingentibúsque alveis in se recipiat: Ità sanè heroæ virtutis archistrategus, quas semel combibit invictæ fortitudinis leges, licet aliis amaras, vel paracerbas, nullo rerum aut secundarum, aut adversarum influxu, à statu infracti animi se patitur dimoveri. Sed ut luculentiore rei veritas similitudine inclarescat, adamantinus viri fortis animus, non absimilis est, opinione meâ, eminenti in Oceano rupi, seu in ridentem maris faciem, seu in iras tumescentem æquali vultu prospectanti. Non illa cæli injuriis, non procellis, non turbinibus concuti valet, aut infirmari. Circumfremant licèt urores grandinum; intonent commista nimbis fulmina, incursent ventorum rabies, adoriantur fluctus decumani, omnésque eam obruant tempestates; immobilis persistit fundata super virtute sua nulli maris violentiæ ne ad palmum quidem cessura. Videtis, ut opinor, viri fortissimi imaginem, eodem vultu

eodem

eodem animo prospera quæque, ac adversa tuentem, ac ridentem, sempérque in officio æquanimitatis se continentem. Quo quid habet orbis admirabilius, quid prodigio similius, quíd inter mortales rarius, dignúmque majori æstimatione? Date mihi, si potestis, in hac rerum tempestate novum quempiam Socratem, inter horrores, ac tenebras adversorum, animi serenitatem jugiter retinentem. Date virum in vacillante fortuna semper eundem, in pressura non oppressum, in blandis non emollitum, in ærumnis non concussum: inter humanas vicissitudines semper æqualem, inter lacrymas suorum plaudentem, in carceris squallore, in mortis horrore semper suum, semper hilarem, ac invictum. Date, si potestis. Ne hunc ego jure meritissimo Orientis adamantem dixero, nec flammis, nec ferro ullatenus frangendum, edomandum. Date, si potestis. Vitem ego ejuscemodi athletam nominaro, à vulnere in uberiores fructus germinantem. Aut satius Olympum nuncuparo, omnes infra se tempestates ridentem, explodentem. Annosam denique stupebo quercum; quæ tantùm abest, ut à ventorum rabie evellatur, ut altiores etiam radices agat, omnésque furias exsibilet Aquilonum. Ridet quippe vir Herculanea præditus patientia, & in calamitatum palæstra probè exercitus, omnem fortunæ stomachantis sævitiem, fortis vicissitudinem minimè pensi habet; fallaciam illius bono astu prævenit, alternas rerum vices intrepidus sustinet atque adeò magis magísque in rerum contrariarum perpessione roboratur, amplius in vera animi quiete solidatur? & in acerbis dulcedinem, in dulcibus acerbitatem æquè reputat ac delibat,

EXEMPLA. Sed ut exemplis hucusque dicta illustremus; offert se se mihi primùm Thraseas, Stoicæ disciplinæ, ac Socratis gloriosus sectator. Hic dum à Nerone ex omni immanitate conflata bellua, iniquo jure morte damnatus fuisset, atque incisis venis, deficiente sanguine jam jam animam agens, à familiaribus supplicio adstantibus, copiosis lacrymis vicès suas deplorari vidisset: quid opinamini AA. in extremo illo vitæ articulo sensisse virorum fortissimum? Arbitramini forsan erupisse in gemitus

Absit hoc probrum ab ejus magno, erectoque animo, Solutum esse in uberes lacrymas? Has virum minimè addecere apprimè novit. Omnia complêsse singultibus, ac lamentis? Hoc sequiorem infamat sexum. Quid igitur? animo defecisse: Haud quaquam. Sed oculis minimè deflexis, erumpentem è venis cruorem contemplatus, non integritatem vitæ palam facere; non immanem tyranni barbariem causare, sed [ô virtutem fastis æternitatis inserendam:] luctum coronantis amicitiæ, ac dolorem acriter increpare, nihilque sibi majori esse afflictationi disertè pronuntiare, quam cognati præsentis mollem, effeminatúmque animum, à mortis horrorem adeò perculsum. His dictis, vitam suam, ac sanguinem Jovi liberatori dicans, consecránsque, gloriosam mortem oppetiit, victurus in labris posterorum. (a) Huic proximum sibi locum jure vendicat Marcus Attilius Regulus, primi belli Punici gloria, magnúmque populi Romani ornamentum. Is hostibus ex data fide præsentem se intrepidè stitit, ad omnem, quamcunque demum offerrent, asperiorem licèt sorde n fortiter perferendam promptus, ac expeditus. At quid fides Punica? Regulum in arcam ligneam, infixis undique præacutis clavis horrentem, conjicit, palbebris prius crudeli feritate resectis. Sic in perpetuam vigiliam suspensis luminibus, quocunque fatigatum corpus reclinasset, vulneri incubuit, clavis curem acerbè figentibus, multoque cruore superfundentibus Attilium meliore purpurà dignum. Sed ille firmæ mentis, ac solidæ, vigilantia pariter, ac continuo dolore enecandus, eam prætetulit in tormentis animi constantiam, vultúsque hilaritatem, ut nè gemitum quidem doloris judicem edere sit auditus. (b) O fortitudinem prorsus admirabilem: O eximium tolerantiæ specimen, omnium scriptorum monumentis inserendum: Nec verò Roma duntaxat athletica ejusmodi in adversis pectora vidit, & obstupuit; sed & suos habuerunt Athenæ patientiæ laude illustres viros, qui glorientur, æqualem in omni fortunæ conditione animum retinentes. Quos inter primas facilè obti-

[a) *Cal. lib. 12. cap. 2.* (b) *Gellius lib. 16. noct. Attic.*

obtinet vir dicendi gloriâ præstans Isocrates, per omnia adversorum genera à fortunâ iniquiore jactatus. Quàm verò forti, quamque magno animo fuerit, admodum luculenter declaravit, in iis rectè vivendi instituturus, quæ ad Demonicam dedit, in quibus illi hæc ante alia curæ esse voluit; persuasumque comprimis habere, nihil rerum humanarum esse firmum, ideoque nec in rebus secundis lætandum, nec in adversis mærori indulgendum, sed immoto vultu, ac animo, debacchantis fortunæ impetus, jugésque insultus esse sustinendos. (c) Possem hìc ego innumeros alios è Zenonis, Stoæque disciplina recensere in orchestra fortunæ invictos palestrites, firmam, robustámque in rebus arduis mentem ævi sui spatio conservantes, sed nè fortasse quispiam hac laude caruisse alios, Christianitatis legibus probè eruditos arbitrari possit, succinctè quædam de iis damus. Non hi, de quibus nobis in præsentiarum sermo est, fortunæ plagas Spartana nobilitate concoxerunt vani nominis aucupandi ergo: sed majoris gloriæ divinæ causâ, cujus unicè sategerunt: nec præsentia famæ præconia, sed æternatura in cœlis præmia animo reputarunt. Possem hìc longum eorum catalogum texere, sed nè æquo sim longior, unicum duntaxat Ludovicum Tolosanæ urbis Antistitem, gloriosum fortunæ victorem statu ante oculos mentis vestræ. Vixdum is annos pubertatis egressurus fuerat, cùm Patre maligniori sorte divexato, obses Cataloniam mittitur, perquàm durè inibi accipitur, & circumsepto pedore, situque argastulo inique mancipatur. Hic ceu rosa adversorum spinis circumsessa, fragrantiam virtutum, ac comprimis invictæ patientiæ longè, latéque dispergebat. Verum cum quispiam non infimi subsellii, tantæ virtutis illectús odore, ad eum visisset ac sciscitatus fuisset: qui adeò æquam, placidámque tot rebus in adversis mentem retineret, dignissimum honore pedi, ac tiara depromsit apophtegma, inquiens adversa DEI amicis plus conducunt, quam prospera. Tum enim DEO subditi sumus, cum adversis premimur. (d) A cujus mente non ablusit alius ejusdem virtutis assecla

(c) *Pausan. in Beot.* (d) *Surius in vita.*

pio Africanus magni fecerit Ennium, Cneus Pompejus M. Theophanem Mitylenæum in concione militum civitate donârit, Decius Brutus Accio poëta delectatus sit, Cajus Marius licet amusus, summo foverit studio litteratos aliíque alios eruditione claros in amoribus habuerint, quam ut eorum scriptis celebres, nomen suum à situ, & oblivione vendicarent; [b] Tantus nempe amor est famæ in futuras ætates transmittendæ. Sed hujus peculiarem habeant rationem oportet, quibus regnorum habenæ sunt commissæ,

TESTIMON. E mente quippe nunquam involvendi silentio Taciti: *Principum diversa sors est, quibus præcipua rerum ad famam derigenda.* (c) Nam *non minus fama, quam vistant res Principum.* Idem (d) *Vt* autem *quis factus est Princeps, exemplo fama ejus incertum bona, an mala Cæterum æterna est.* Plin paneg. *Non ergo perpetua Principi fama, quæ invitum manet, sed bona concupiscenda est.* Idem (e) Et sanè *maxime illis cavendum est, qualem famam habeant, qui qualemcunque meruerint, magnam habituri sint.* Sen. (f) *Homines* enim *ut metuant, aut oderint, non minus opinione, & fama, quam certâ aliqua ratione moventur.* Cic. (g) Unde *invisum semel Principem, seu bene seu male facta premunt.* Tacitus. (h) *Ac privatis quidem hominibus satis est nihil delinquere. Principibus nè quidem suspectis esse licet.* Sueton. (i) Et *ut in facie plus offendit nævus, aut verracula, quam in reliquo corpore grandes maculæ, aut cicatrices: sic exigua delicta, magna videntur esse in Principe, cujus vita in conspicuo est.* Plutar. (k) *Illi* enim *non magis quam Soli latere, contingit.* Sen. (l) Et *habet hoc primum magna fortuna, quod nihil tectum, nihil occultum esse patitur. Principum verò non modò domos, sed cubicula ipsa, intimósque secessus recludit, omniáque arcana noscenda famæ proponit, atque explicat.* Plin. in paneg. Unde *nullus locus, nullum est tempus, quo funestorum Principum manes à posterorum execrationibus conquiescant. Contra contemptor ambitionis, & infinitæ potestatis domitor, ac frænator animus*

[b] *ex Plutar.* [c] 4. *annal.* [d] 11. *annal.* [e] *ibid.* (f) *in proverb.* [g] *pro leg. Manil.* [h] *lib.* 1. *hist.* [i] *Livia ad Aug. apud Sueton.* (k) *in Mor.* (l) *lib.* 1. *de clem.*

nimus ipsa vetustate florescit. Sen. (m)

Et memorem famam, qui bene gessit, habet. Ovid. (n)

Nec solum Principes famæ integritati navent operam, sed & omnes alii, quos alta gubernat ratio, sartam jugiter tectámque studeant conservare. Quare illud Catonis pervulgatum semper ante oculos mentis habeant.

Omnia si perdas, famam servare memento.

Nec illud Isocratis unquam animo effluat ità ad Nicoclem scribentis: *magis expetendum ducito, ut liberis tuis honestam famam, quam opes magnas relinquas. Nam hæ mortales sunt, illa immortalis: pecuniæ acquiri possunt, fama pecuniis emi non potest: opes etiam improbis contingunt, gloriam verò parare non possunt nisi virtute præstantissimi.*

EPILOGUS. Et hanc famam ex virtutis studio emanantem, majoris duxisse visus est Marcus Accius Plautus, quam copiosas facultates, tot virum discrimini semper objectas. Mille thesauri auri vigiles semper metuunt oculos, atque manus in furta, & rapinas. Famæ opes, pro quibus virtus ceu ostiaria semper excubias agit, nullum reformidant plagarium, effractorem nullum. At forsan ex me quispiam percontabitur, quonam pacto famæ gloriam valeat indipisci? Liceat mihi cum Epicteto in Enchir. quò responsum pondus habeat, sciscitanti hæc reponere: *si vis bene audire, disce bene loqui, & cùm bene loqui didiceris, rectè facere conator, & hoc modo bonam famam acquires.* Opera quippe è virtutis consilio facta famam procreant immortalem. Huc proinde omnes ingenii nervos, huc omnem annisum, rémque omnem familiarem conferre juverit, ut ea edantur facinora, quæ famæ gloriam ad postera sæcula propagent. Quid juvat annosam ætatem Tithoni, vel Hesiodi; aut Phœnicis agere, si arcta sit famæ periodus? Quid proderit in altos dignitatum gradus ascensum facere; & in honoris apice pluribus lustris considere, si abjecta jaceat fama ad pedes nomine tenus solum honorati? Quid emolumenti adferet omnibus fortunæ bonis affluere, si egestas famæ; & inopia virtutis resideat in crumena, bulgáque opulenti?

(m) *ibid.* (n) *lib. 2. Fast.*

Famæ proinde gloria, & vitæ, & bracteatis honoribus, omnibùſque divitum gazis jure optimo eſt præferenda. Hanc qui ſibi, aut ſapientiæ ſuffragio, aut fortitudinis adminiculo, aut aliarum virtutum ſtudio comparârit, vivus per ora hominum volitabit, & vitâ quoque functus famâ orbem peragrabit.

CHRIÆ
ACTIVÆ.
CHRIA I.
Socrates æquo animo fert adverſa.
Laërt. in Socrate.

EXORDIUM. Deprædicent etiamnum Romanorū faſti regali ſupercilio inhorrentem, & indomitum ad inferos uſque animum deportantem familiæ Portiæ decus, ac ornamentum, Marcum illum Catonem, virtuti ſimillimum, & per omnia Diis, quam hominibus propiorem. Concurrant ad extremam ejus vitæ periodum Uticenſes populi, ac unanimi voce proclamitent, ſolum eſſe fortitudinis prototypon, ac virtutis portentum invictum animo Catonem: quin ipſe adeò Princeps Principum Cæſar, audito ejus è vita exceſſu, glorioſum eidem obitum invidere perhibeatur. Proſequantur exaggerato laudum genere, Latii monumento, Catonis geſta, referántque nunquam rectè feciſſe, ut facere videretur, ſed impotentiæ tribuant ſecùs ſatiúſque faciendi. Memorent prodigi in encomiis Romani ſcriptores, id ſolum ei viſum eſſe ſemper habere veri, ac æqui rationem, quod juſtitiæ legibus conforme, ſanctúmque eſſet. Extollant demum vitæ curſum, omnibus vitiis expertem, immunemque fuiſſe: nunquam tamen litteris proditum

ditum eſt; eam præſetuliſſe rebus in adverſis hilaritatem, ut illecebras blandioris fortunæ exoſus, inclementiam ejus, humanarúmque rerum aſperiores vices præeligeret, aut ultrò in certamen provocaret. Alium ego vobis hodie ante oculos ſtatuam A A. maximi animi heroëm, in Philoſophiæ Stoicæ enutritum gremio Socratem, nunquam non lactatum adverſitatis fluctibus, acerrimiſque infeſtæ ſortis Aquilonibus impetitum. Et tamen ea ſemper in ejus animo viguit firmitas; ea ſemper in perferendis calamitatibus duravit conſtantia; ut nè latum unguem de fortitudinis gradu, jugíque ſtatione ſit dimotus. Quódque in admirationem omnes rapere poteſt, ab aſperiore fortuna identidem exerceri voluit, & cum eadem, ubi demum ſe tulit occaſio, glorioſè deſcendit in arenam ſemper victor, ſemper triumphator.

PARAPHR. Quid agis virorum fortiſſime? Quid moliris Philoſophorum Coryphæe, qui ſupremum doctrinæ verticem: & ſtatutam humanæ ſapientiæ metam longè es antegreſſus? DEUM immortalem! à fortuna peſſimè accipi mavis, quam ab eadem benignè, placidéque tractari? An non ſatius tibi foret in ſinu ejus quietum conſidere? Ergóne inter rixantes adverſitatum procellas, inter decumanos convitiorum fluctus, navim felicitatis tuæ ſuſque déque jactari præeligis potius, quàm in tranquillo portu, favente ſemper ſortis Favonio, leniter, ſecuréque hoſpitari? Ita ſane. Quidquid immiſerit furentis turbo fortunæ, patitur perlubenter Quidquid onerosum, aſperum, & acerbum præcipit exantlandum, citra moram exequitur. Nihil excipit, nihil deprecatur, ad omnem infeſtæ ſorits impetum promptus, alacer, expeditus Jubet hoſtili ferro cadere: neutiquam renuit. Premit egeſtate, rei que familiaris conſtringit anguſtiâ & ceu Irum, ac Codrum ad extremam mortalium relegat conditionem: nullatenus detrectat. Spoliet, viduet novercans fortuna omnibus copiis, ac facultatibus, irruant congeſta ærumnarum agmina; infracto, invictóque pectore excipiet univerſa. Verſent, jacténtque, pro genio alternantis fortunæ, iniquiores caſus Socratem, ſtabit adverſus eos immobilis, inconcuſſus. Nulla formido, nullus horror, trepidatio nulla animum dejiciet omnibus excelſiorem. Exerat ſuum quantum valet furorem

rabies tyrannidis, frendeat, insaniat, ac sævade promat crudelitatis instrumenta, paratum est corpus ad laniensam, paratæ manus ad vincula, artus omnes ad vulnera, & tormenta. Tantùm abest, ut has, & alias iniquioris fortunæ injurias reformidet, atque in doloribus ingemiscat: ut etiam illa sibi obtigisse gaudeat, nihilque expavescat magis, quam illius favore, ac benevolentia blandiùs, molliúsque permulceri. O virtutem humanâ conditione superiorem! O æquanimitatem pene incredibilem, vix in Christiano homine, veræ fidei lumine illustrato, ac leges tolerantiæ erudito reperiendam.

CAUSA. Noverat enimverò, probèque compertum habuit infracti animi Socrates, veram beatitatem non in congestis opibus, non in speciosis honorum titulis, non in fugitivis voluptatum illecebris, non in prosperis rerum successibus, sitam, locatámque esse, sed in æquanima adversorum patientia, & inconstantia malis credere nescia suum habere dominatum. Hac impavidâ virtute animatus, hac firmatus, & roboratus tolerantiâ, exporrectâ fronte, irretortis oculis, ad casus acerbos intrepidus stare, in calamitatum cuneos irruere, cum irruentibus fortunæ telis, solo virtutis clypeo munitus, gloriosè decertare, sempèrque vincere, ac triumphare. Non illum fulgentes ære machinæ debellare, non molliores illecebræ exarmare, non gloriæ arietes posternere, non deliciæ inescare, non calamitates evertere, non curtior domi suppellex mærore afficere, ac nè ipsa quidem ante oculos furens, freménsque mortis imago examinare, sed pax in animo, sed tranquillitas, ac lene otium jugiter commorari. Agedum fortuna in iras, ac furores jam effusior, age, si lubet, bellum interpolatum redintegra, tela adversorum exacue, exacuata pleno impetu libra in Socratem, expedi vim, quam possides universam, & ante tibi deficere senties injuriarum arma, quàm hic virorum fortissimus animo cadat, canátque receptui, pacem, aut herbam fortunæ porrigendo. Irrue more hostili in ejus facultates, prædásque age: gaudebit se curis, gravique rerum pondere sublevari. Exue comparatis sudore non modico opibus, exultabit cum pretio, auróque virtutis. Denuda fortunis omnibus, indue egestate, res ei ad manti-

cam

cam redeat: præsente animo feret inopiam, apprimè sciens, divitem esse, cui bene convenit cum paupertate. Jube illum solum vertere, ac ad ultimam mundi thulem relega: viro forti, ac sapientiæ alumno omne solum erit patria. Hæc illi parabit opes animi à nullis lavernionibus eripendas, à nullis ignibus absumendas, vel naufragio, infamiæque mari absorbendas. Ita nempe inter adversa nunquam non sibi constat virtus, neutiquam se fortunæ, sed fortunam sibi accommodans, laboribus emit præmia, quietem agitatione, sudoréque fructum legit jugiter perennantem.

CONTRARIUM. Verum enimverò videamus jam ex adverso illos blandioris fortunæ pullos, enutritos in delicioso sinu clientulos, Cyparissi de gente nepotes, quæ tandem virtutis experimenta transmittant posteris; quæ immortalitati tradant heroicæ virtutis documenta. Convertite oculos mentis vestræ in molliores illos fortunæ Ganymedes? ponderate levitatem, & instabilitatem eorum: an non vel ipso adversorum nomine, sortísque infestioris umbrâ propè enecentur? Avertat tantisper placidiorem ab eis obtutum ridentis fortunæ gratia; an non continuò in uberes lacrymas resolvuntur? An non illicò in singultus, ac suspiria, in quiritatus ac lamenta erumpunt totâ æde personante? Coarctentur nonnihil rei familiaris angustiâ, premantur vel levi agendorum cura, confestim animos despondent; & in miseriarum barathrum se devolutos rati, altum ingemiscunt. Afflentur nonnihil acerba infelicitatis aura, & vel præludia videant fortunæ necdum ex integro asperatæ: acturum lugent, plangunt; ac mœrori, doloríque se tradentes, perditissimos mortalium se se arbitrantur. Affligantur secundâ fortunâ elati homines improvisis casibus, inopinis mactentur infortuniis, injuriis, ac conviciis impetantur, hostium incursibus cum amatis facultatibus evertantur: quibus lacrymis, ac ejulatu sortem suam prosequuntur. Eveniat fortunâ reflante, eos à forensibus rabulis iniquè exagitari, causâ suâ cadere, & forsan juris ordine ex æquo plecti, aut multari: contingat aut undarum eluvione, aut furiâ ventorum, aut flammarum sævitia exerce-

ri, ac rei domesticæ penuriâ laborare : cum enimverò diffisi rebus suis, absumptam spem cogitare , à fortuna se destitutus lamentari , quærelas in cælum ipsum exonerare , conviciis Divos , hominésque proscindere , vitámque ipsam projicere penè decernunt. Quin videas non rarò ejusmodi homunculos ad viliorem fortunam devolutos , dolore, & angore contabescere , ac miserandum in modum consumi, & disperire. O delicati , mollésque fortunæ alumnuli! si in deliciis duntaxat haberi non expetissetis , si felicitatem vestram tulissetis moderatius? si æmulari Socratem , inter adversa, cum fortuna luctari non renuissetis , nunquam super vestra calamitate tot planctus , atque gemitus ederetis. Secùs viro magnitudine animi prædito accidit , qui rebus in adversis , molestisque, necessitatem vertit in virtutem , ut quod in præsente rerum ordine patitur , cum proventu patiatur. Nunquam vir aheneus malorum ingruentium violentiâ, à virtute fortitudinis se abduci sustinet, quin potiùs ea , ut virtutis experimenta suum ducit in commodum , nihil deperdens de vigore, de constantia in calmitatibus perferendis.

SIMILE. Quemadmodum enim mare indutum sibi à natura saporem nunquam amittit , quantumvis dulcium aquarum flumina , plenis , ingentibúsque alveis in se recipiat : Ità sanè heroæ virtutis archistrategus , quas semel combibit invictæ fortitudinis leges, licet aliis amaras , vel paracerbas , nullo rerum aut secundarum , aut adversarum influxu , à statu infracti animi se patitur dimoveri. Sed ut luculentiore rei veritas similitudine inclarescat , adamantinus viri fortis animus, non absimilis est, opinione meâ , eminenti in Oceano rupi, seu in ridentem maris faciem , seu in iras tumescentem æquali vultu prospectanti. Non illa cæli injuriis , non procellis , non turbinibus concuti valet , aut infirmari. Circumfremant licèt urores grandinum; intonent commista nimbis fulmina , incurset ventorum rabies , adoriantur fluctus decumani , omnésque eam obruant tempestates ; immobilis persistit fundata super virtute sua nulli maris violentiæ ne ad palmum quidem cessura. Videtis, ut opinor, viri fortissimi imaginem , eodem vultu

eodem

eodem animo prospera quæque, ac adversa tuentem, ac ridentem, sempérque in officio æquanimitatis se continentem. Quo quid habet orbis admirabilius, quid prodigio similius, qúid inter mortales rarius, dignúmque majori æstimatione? Date mihi, si potestis, in hac rerum tempestate novum quempiam Socratem, inter horrores, ac tenebras adversorum, animi serenitatem jugiter retinentem. Date virum in vacillante fortuna semper eundem, in pressura non oppressum, in blandis non emollitum, in ærumnis non concussum: inter humanas vicissitudines semper æqualem, inter lacrymas suorum plaudentem, in carceris squallore, in mortis horrore semper suum, semper hilarem, ac invictum. Date, si potestis. Ne hunc ego jure meritissimo Orientis adamantem dixero, nec flammis, nec ferro ullatenus frangendum, edomandum. Date, si potestis. Vitem ego ejuscemodi athletam nominaro, à vulnere in uberiores fructus germinantem. Aut satius Olympum nuncuparo, omnes infra se tempestates ridentem, explodentem. Annosam denique stupebo quercum; quæ tantùm abest, ut à ventorum rabie evellatur, ut altióres etiam radices agat, omnésque furias exsibilet Aquilonum. Ridet quippe vir Herculanea præditus patiêntia, & in calamitatum palæstra probè exercitus, omnem fortunæ stomachantis sævitiem, fortis vicissitudinem minimè pensi habet; fallaciam illius bono astu prævenit, alternas rerum vices intrepidus sustinet atque adeò magìs magísque in rerum contrariarum perpessione roboratur, amplius in vera animi quiete solidatur? & in acerbis dulcedinem, in dulcibus acerbitatem æquè reputat ac delibat.

EXEMPLA. Sed ut exemplis hucusque dicta illustremus; offert se se mihi primùm Thraseas, Stoicæ disciplinæ, ac Socratis gloriosus sectator. Hic dum à Nerone ex omni immanitate conflata bellua, iniquo jure morte damnatus fuisset, atque incisis venis, deficiente sanguine jam jam animam agens, à familiaribus supplicio adstantibus, copiosis lacrymis vicès suas deplorari vidisset: quid opinamini AA. in extremo illo vitæ articulo sensisse virorum fortissimum? Arbitramini forsan erupisse in gemitus

Absit hoc probrum ab ejus magno, erectoque animo, Solutum esse in uberes lacrymas? Has virum minimè addecere apprimè novit. Omnia complêsse singultibus, ac lamentis? Hoc sequiorem infamat sexum. Quid igitur? animo defecisse: Haud quaquam. Sed oculis minimè deflexis, erumpentem è venis cruorem contemplatus, non integritatem vitæ palam facere; non immanem tyranni barbariem causare, sed [ô virtutem fastis æternitatis inserendam:] luctum coronantis amicitiæ, ac dolorem acriter increpare, nihilque sibi majori esse afflictationi disertè pronuntiare, quam cognati præsentis mollem, effeminatúmque animum, à mortis horrorem adeò perculsum. His dictis, vitam suam, ac sanguinem Jovi liberatori dicans, consecránsque, gloriosam mortem oppetiit, victurus in labris posterorum. (a) Huic proximum sibi locum jure vendicat Marcus Attilius Regulus, primi belli Punici gloria, magnúmque populi Romani ornamentum. Is hostibus ex data fide præsentem se intrepidè stitit, ad omnem, quamcunque demum offerrent, asperiorem licèt sorde in fortiter perferendam promptus, ac expeditus. At quid fides Punica? Regulum in arcam ligneam, infixis undique præacutis clavis horrentem, conjicit, palbebris prius crudeli feritate resectis. Sic in perpetuam vigiliam suspensis luminibus, quocunque fatigatum corpus reclinasset, vulneri incubuit, clavis curem acerbè figentibus, multoque cruore superfundentibus Attilium meliore purpurà dignum. Sed ille firmæ mentis, ac solidæ, vigilantia pariter, ac continuo dolore enecandus, eam prælatulit in tormentis animi constantiam, vultúsque hilaritatem, ut nè gemitum quidem doloris judicem edere sit auditus. (b) O fortitudinem prorsus admirabilem: O eximium tolerantiæ specimen, omnium scriptorum monumentis inserendum; Nec verò Roma duntaxat athletica ejusmodi in adversis pectora vidit, & obstupuit; sed & suos habuerunt Athenæ patientiæ laude illustres viros, qui glorientur, æqualem in omni fortunæ conditione animum retinentes. Quos inter primas facilè obti-

[a) *Cæl. lib.* 22. *cap.* 2. (b) *Gellius lib.* 16. *noct. Attic.*

obtinet vir dicendi gloriá præſtans Iſocrâtes, per omnia adverſorum genera à fortunâ iniquiore jactatus. Quàm verò forti, quamque magno animo fuerit, admodum luculenter declaravit, in iis rectè vivendi inſtiturus, quæ ad Demonicam dedit, in quibus illi hæc ante alia curæ eſſe voluit; perſuaſúmque comprimis habere, nihil rerum humanarum eſſe firmum, ideoque nec in rebus ſecundis lætandum, nec in adverſis mærori indulgendum, ſed imoto vultu, ac animo, debacchantis fortunæ impetus, jugéſque inſultus eſſe ſuſtinendos. [c) Poſſem hic ego innumeros alios è Zenonis, Stoæque diſciplina recenſere in orcheſta fortunæ invictos paleſtrites, firmam, robuſtámque in rebus arduis mentem ævi ſui ſpatio conſervantes, ſed nè ſortaſſe quiſpiam hac laude caruiſſe alios, Chriſtianitatis legibus probè eruditos arbitrari poſſit, ſuccinctè quædam de iis damus. Non hi, de quibus nobis in præſentiarum ſermo eſt, fortunæ plagas Spartana nobilitate concoxerunt vani nominis aucupandi ergo: ſed majoris gloriæ divinæ cauſâ, cujus unicè ſtategerunt: nec præſentia famæ præconia, ſed æternatura in cœlis præmia animo reputarunt. Poſſem hic longum eorum catalogum texere, ſed nè æquo ſim longior, unicum duntaxat Ludovicum Toloſanæ urbis Antiſtitem, glorioſum fortunæ victorem ſtatu ante oculos mentis veſtræ. Vixdum is annos pubertatis egreſſurus fuerat, cùm Patre maligniori ſorte divexato, obſes Cataloniam mittitur, perquàm durè inibi accipitur, & circumſepto pedore, ſituque argaſtulo inique mancipatur. Hic ceu roſa adverſorum ſpinis circumſeſſa, fragrantiam virtutum, ac comprimis invictæ patientiæ longè, latéque diſpergebat, Verùm cum quiſpiam non infimi ſubſellii, tantæ virtutis illectús odore, ad eum viſiſſet ac ſciſcitatus fuiſſet: qui adeò æquam, placidámque tot rebus in adverſis mentem retineret, digniſſimum honore pedi, ac tiara depromſit apophtegma, inquiens adverſa DEI amicis plus conducunt, quam proſpera. Tum enim DEO ſubditi ſumus, cum adverſis premimur. (d] A cujus mente non abluſit alius ejuſdem virtutis aſſecla

(c) *Pauſan. in Bœot*[d) *Surius in vita.*

assecla, edicens: eo tempore maximam nasci in nobis Divorum reverentiam, cum res sunt maxime trepidè, cùm adversis cingimur, ac vallamur.

TESTIMONIA. VETERVM. Id ipsum, ut ad testes gradum faciamus: sapientiа fœtus Annæi Senecæ animus confirmat, libro de Providentia hoc pacto differens: *ego non miror: si quando voluptatem capiunt Dii, dum spectant magnos viros colluctantes cum aliqua calamitate. Nobis interdum voluptati est, si adolescens constantis animi, feram venabulo excipit si leonis incursum imperterritus pertulit, tantòque spectaculum est gratius, quantò .. nestior, id fecit. Et quidni Dii ex viro forti capiant voluptatem.* Aliò verò in loco mentem suam hisce stabilit: *hanc rationem DEVS sequitur in bonis viris, quam in discipulis suos præceptores; qui plus laboris ab his exigunt, in quibus est certior spes. In militibus Duces; qui optimos ad durissima mittunt. Sic ignem experitur DEVS in Mutio, paupertatem in Fabricio, exilium in Rutilio, tormentum in Regulo, venenum in Socrate, mortem in Catone. Vt severi parentes filios educant durius, ità Deus suos; ut ex doloribus, & damnis colligant robur. Dicant hi ergo, digni visi sumus DEO, in quibus experiretur, quantùm humana natura pati possit. Ecce par DEO dignum, vir fortis cum mala fortuna compositus. Ecce spectaculum DEO dignum.* [c] Alibi verò de viris fortibus, ad omne bellantis fortunæ telum intrepidis, sibíque semper constantibus in hæc verba disserit: *Invulnerabile est, non quod non feritur, sed quod non læditur. Et ex hac tibi nota sapientem exhibebo. Quid igitur? non erit aliquis, qui sapienti injuriam facere tentet? Tentabit, sed non perveniet ad eum. Majore enim intervallo à contactu inferiorem abductus est; quàm ut illa vis noxia usque ad illum vires suas perferat. Vnde brevem tibi formulam dabo, quâ te metiaris? quâ te perfectum jam senties: bonum tunc habebis tuum, cum intelliges, infelicissimos esse felices.* Hinc inter multa Demetrii & hæc vox est: *nihil mihi videtur infelicius eo, cui nihil unquam evenit adversi: non enim licuit illi sese experiri. Indignus visus est, à quo vinceretur aliquando*

[c] *Lib. 4. de viri.*

quando fortuna, quæ ignavissimum quempe refugit. Marcet sine adversario virtus. Tunc apparet, quanta sit, quantum valeat, polleátque; cum quid possit, patientia ostendit. (f) *Miserum te judico*, ut idem sapiens alio in loco ratiocinatur: *quod nunquam fuisti miser: transisti sine adversario vitam. Nemo sciet, quid potueris, ne tu quidem ipse. Opus est enim ad notitiam sui experimento. Militares viri gloriantur vulneribus. Gubernatorem in tempestate? in acie militem intelligas. Calamitas, virtutis occasio est. Dux lectissimos mittit, qui nocturnis hostes aggrediantur insidiis. Nemo eorum, qui exeunt, dixit: malè de me Imperator meruit, sed bene judicavit.* (g) Verùm ut alios quoque ex tripode loquentes hac super virtute fortitudinis audiamus, testis est mihi Diogenes Cynicus è dolio oracula fundens. Ex hoc cum percontatus quispiam aliquando fuisset, quam demum in Philosophia Maximam combibisset? Reposuit dignam sapientia sua gnomen: *didici prævidere adversa, & cùm advenerint, patienter pati.* (h) Testis est mihi Bion unus ille de septenario Græciæ sapientum, sæpenumerò dictitans: *non malum est, malum pati: at nescire malum pati, hoc malum est.* (i) Testis denique nullo satis præconio celebrandus Romanus Sapiens, ita inquiens: *magnus animus asperis, blandisque pariter invictus, neutri fortunæ se permittit: supra omnia, quæ contingunt, acciduntque eminet, imperturbatus, intrepidus, quem nulla vis frangit, quem non attollunt fortuita, neque deprimunt.* (k) Quippe vera virtus est; adversis non succumbere, lætis non credere, & omnem fortunæ licentiam in oculis habere, omnémque ejus iram reverberare, & ante se frangere, callúmque obducere sorti fulminanti.

EPILOGUS. Ex quibus universis affatim liquet, Socratem per omnia adversa jactatum, sempérque invictum ac æqualem in tanta inæqualitate fortunæ, ad perferendas quascunque demum calamitates, eruditioni nobis esse, ac documento. Unde Christiana prædìti patientia, ad fortunæ seu lenocinantis, seu furentis imperium, animi tranquil-
litate

(f) *lib. de provid.* (g) *lib. 4. de virt.* (h) *apud Stob.* (i) *apud Stob.* (k) *lib. de tranquil.*

litate, altáque securitate stabunt immobiles, nec elati prosperis, nec dejecti adversis, parati agere fortia, si locus ferat; sin minus, magno invictoque animo perpeti ærumnosa. At dolor fortasse jam jam in animum, ac corpus insultum parat? Exerat pro altiori potestate vires suas, & artus nostros verberet, ipsámque animam tentet pervadere. Sin exilis est, feramus; levis erit patientiæ materia. Si pergravis est, & illi Herculanos subjiciamus lacertos, non levis erit gloria. Pauci equidem dolorem perferre potuerunt: simus ex paucis: Qui sapit, manum non porrigat, alternanti, infidæque sorti. Faciant alii vota fortunæ, mendicéntque ab eadem nominis sui claritatem, exoptentque rerum gestarum gloria aliis eminere. Nundinentur ab eadem, bello authorati strategi robur, ac fortitudinem; quò ingentes hostium strages edant, urbes, ac provincias ditioni suæ adjiciant, victorias, & triumphos referant immortales. Aucupentur alii Favonios gratiarum, sectentur voluptatum illecebras, acervos opum noctu, diúque aggregent, & quidquit humanæ accidere potest felicitatis; sollicito inquirant studio: nostrum erit, qui supra omnem fortunæ consistimus dominatum, vota, ac desideria temperare, affectus omnes, ac permotiones animi regula rationis moderari; nulli timori, aut dolori succumbere, sed prosperam æquè, ac adversam sortem nostræ subdere potestati. Ut verò ad tam sublime fastigium virtutis enitamini AA. identidem animo versare juverit, Sapientiam DEI disponentem omnia cum suavitate, Potentiam ad omnia pertingentem cum fortitudine; Justitiam summâ æquitate mala pro meritis irrogantem, Bonitatem denique universa, ac singula ad fines salutares referentem. Atque ita supremum Numen, quo auctore cuncta proveniunt, ac sapientissima lege gubernantur, sivè diris, & animi intemperie in omni rerum humanarum vicissitudine, comitabimur, debitoque semper homagio venerabimur.

* * *
* *

CHRIA

CHRIA II.

Lacedæmonii suis ut liberis ebrietatis odium, horroremque ingenerarent, adducere illos soliti erant in servorum conspectum, qui vino mentem obruissent, fædo hoc spectaculo deterrerentur ab hoc vitio. *Plutarch. de puer. educ.*

EXORDIUM. Si quando in principio dicendi omni formidine vacavit animus, hodie sanè nulla me incessit , [quamquàm in re gravissima, metu laborare nonnullis videri possim]omnísque jubeor seposito timore, victoriam mihi de adversariis citra dubium polliceri. Quare in prælium adurgetur animus roborantur in bellum vires, gyrantur clypei, acuuntur enses, multifaria ardent in hostem arma, non quæ de Vulcani officina depromit Mars bellator ; sed quæ sua de penu togata Pallas subministrat. Nec enim in martium, sed in artium campum est descendendum, non gladio, sed stylo, non fieri, sed ingenii acie, non manu , sed lingua decertandum, depugnandum. Est equidem monstrum immane, fædum, atrox, omni peste nocentius, omni Hydra capitalius, omni Cerbero formidabilius, in quod tamen plenis eloquentiæ quadrigis invehi stat animo , illudque ex urbibus, regnis & provinciis ejicere ; eliminare, exturbare. At tenet vos, ut video, desiderium cognoscendi in quod tandem vitii portentum , adeò humanæ societati perniciosum, justo furore , eoque metûs aperte, invehi mihi hodie sit constitutum? Nè vos morer, expedio mentem. Insector cum Lacedæmoniis execrandam temulentiæ luem, indies apud gurgites , & helluones nostri sæculi incrementum capientem. Allidam eloquentiæ onerariam in valetudinis scopulum, tot naufragiis animarum infamem sed ut illum omni annisu demoliar. Vela faciam per voraccem opum, ac bonorum Charybdim; sed ut fauces ejus-

nun.

nunquam exsaturandos obturem. Præteribo volante carbaso plenum discrimine vadum, in quo integritas sæpenumerò extincta interit; ut viso multorum sempiterno exitio, alios revocem ad portum salutis. Hæc mala ut tempestivo, ac providente consilio, à suis liberis propulsarent Lacedæmonii odium ebrietatis à primis unguiculis ingenerare minoribus adnisi sunt, in conspectum mancipiorum vino sepultorum eos adducere soliti; ut agnita turpissimi ostenti fæditate, conceptoque illius horrore, ab nimia potitandi libidine eos deterrerent.

PARAPHR. O Concilium ab ipsis prudentiæ legibus dictatum! O factum à recta Lacedemoniorum sapientia profectũ! O probam filiorum institutionem: Utinam hic usus vigeret apud progenitores nostri temporis, non ea foret hac ætate in juventutis flore morum corruptela, non tot libidinis incentiva, non tot scelera vel in prima ætate triumpharent. Sed ut receptum cum laude Spartiatarum morem faciam planiorem; liceat mihi factum eorum salutare, aliquatenus declarare. Et verò videre mihi videor quempiam de Spartanis civibus, numerosam prolem masculam ad fædum temulenti spectaculum, unico nutu deducentem. Facet fortè humi fusus in vestibulo domus, & quidem pronus, unus aliquis de grege servorum, vino admodũ gravis. Prô quale Monstrum, non hominis, at pecudis simulacrum, Vel si quid deterius profudit natura rerum, In hoc plenum mero Bacchi mancipium intento Pater digito, jubet liberos penitus illud contemplari. O quàm fædam vident ii hominis in bestiam metamorphosim? Intuentur oculos copioso humori innitantes, itáque turgentes, velut è sede sua vallent exilire, & jam jam facere eruptionem. Quid quod in circum animata tinguntur rubrica, & ceu decrepita, ac capularis anus spectantibus raciunt horrorem. Contemplantur cilia, & illa vident non tam in arcum contrahi, quàm fædum in modum distorqueri. Intuentur frontis aream, & illa in plicas mille capetatur, totidémque in sulcos asperatur. Perlustrant oculis genas, & illæ deperdito nativo murice abeunt in livorem. Perpendunt labra, & illis luror, ac pallor insidet, quin in morem

morem lassati cursu equi spumas agunt, ad fastidium aspectantium. Nares distillant nescio quem malè coloratum, & plenum abominationis humorem: fauces longè, latéque hiantes eructant crapulam, & frustulenta corrupti vini odore commista: manus ut remiges Cilicum laborant: pedes motu carent Bacchi vinculis constricti: reliquum corpus jacet ut stipes, ac caudex in longum protensus. Alia referre non decet, nè stomachum fortè cuiquam moveat fœda temulenti hominis imago. Sed quid ad hæc spectatores liberi? Horror omnes, metúsque pervadit. Dum verò exsternatos Pater observat filios, gravi eos magis attonat parænesi, causámque tot malorum vinolentiam jubet execrari. Morem gerunt perculsi fœdo spectaculo, ac Patris oratione liberi, & sacrosanctè in se recipiunt fugam temulentiæ, usque adeò decoram hominis imaginem deformantis. Atque ita hic natus domi suæ Lacedæmon Philosophus objecto prolibus suis ebrietatis dehonestamento, studium, usúmque sobrietatis eis persuadet.

CAUSA. Et verò rectissimè factum. Ebrietas quippe est flagitiorum omnium genitrix, origo vitiorum; ícatebra criminum, subversio sensuum, tempestas linguæ, procella corporis, insania ultrò accersita, ignominiosus languor, morum depravatio, dedecus vitæ, honestatis infamia, animæ corruptela. Ebrietas hominem de hominis dignitate, ac honore deturbat, rationi bellum indicit, obtundit mentis aciem, caligine vaporum caput obtenebrat, fœdas rerum imagines animo obtrudit, terræque duntaxat affligit. Hæc enimverò malè nata pestis, infinita propè in rempublicam humanam mala nunquam non invexit. Hæc irarum flammas suscitat, discordias concitat, lites causat, jurgias eminat, bellaque fovet intestina. Hæc armorum, & animorum strepitus procurat; evertit respublicas, pessumdat provincias, profligat scientias, enervat artes, ipsásque adeò virtutes in exilium relegat. O execrabile vitium temulentiæ! Tu enimverò es ignis concupiscentiæ, fomes carnis, fons libidinis, ardor spiritûs, caries sanitatis, esca desiderii, Ætna cordis, morbus corporis, mors animæ, & quæ non? At (prô DEUM immortalem!) quò turpitudi-

nis se se abjicit per temulentiam tam illustre, tam sublime, ac excellens hominis plasma? Quò vilitatis se se præcipitat nobile præ cæteris genus? An non mero depositum, sepultúmque Bacchi mancipium, pulcherrimam Conditoris sui imaginem per summam ignominiam deformat? An non hominis propè formam exuit, lutulentæ pecudis speciem induit, mactatæ in oleto sui, aut in cæno se se volutanti, quam homini similior, propinquiórque? Et verò quid humani in eo reluceat, qui rationis usum penitus extinguit; qui vitam inter fumantes tabernas, inter congios & diotas, inter massica, & falerna, Rhenana, & Rubella, semper vino obrutus, ignavè noctes, diésque transigit, jugis combibo, jugis symposiastes Ego sanè nihil in eo humani residere existimem; qui ingerit; ut egerat, egerit, ut ingerat, helluatur, ut insaniat, usuque rationis se privet, quo ab cæteris animantibus erat secernendus. Quis eum in syllabum hominum referat, qui ceu Mergus jugiter innatat Bacchi liquoribus, in sordibus volutatur ut scarabęus, grunnit ut aper, rudit ut asinus, furit ùt leo, vomit ùt canis, saltat ùt caper, murmurat velut ursus, magísque naturam pecudis, quàm hominis moribus ferinis præsefert? O fædam hominis temulenti in bestiam metamorphosim!

CONTRARIUM. At nè per alia copiosioris meri vitia non circa fastidium porrò gradiamus, ad temperantiæ, & virtutis abstemiæ ædes tantisper divertamur. Et quid inibi visuri sumus? Omnia profectò maximâ contrarietate diffidentia, & ex diametro inter se pugnantia. Quod enim demolitur, terræque abjicit profligatum temulentiæ vitium, id sobria virtus in altum erigit, educitque in fabricam salutis. Sit vinolentia mater vitiorum, abstemia virtus genitrix est virtutum. Sit illa scatebra malorum, hæc fons est bonorum. Cieat ebrietas in lingua tempestatem, hæc malatiam inducit, & serenitatem. Agat illa corporis artus in procellas, hæc feliciter illas sedat. Accersat illa mentis insaniam, hæc advocat sapientiam. Depravet illa mores, hæc ad normam rectitudinis adducit. Dedecoret illa vitam, hæc exornat. Infamet illa, deprædicat ista: corrumpat illa, restaurat ista, omniáque ad pristinam re-

vocat

vocat integritatem. Una nempe, ac sola ab intemperie vini continentia, hominem in dignitate hominis conservat, juge fœdus pacis cum ratione init, mentem ad capessendas sublimiores scientias exacuit, ignorantiæ tenebras profligat, fædas rerum imagines ab animo eliminat, cúmque semper levat ad superna. Ubi jugem figit temperantia stationem, nullæ irarum flammæ in præcordiis accenduntur; nullæ opinionum discrepantiæ exoriuntur, nullæ lites excitantur, nulla jurgia enascuntur, nulla intestina bella inneces, & strages adornantur, Hac mediatrice viget inter cives animorum unio, rerumpublicarum status in felicitatem efflorescit, regna, & Provinciæ ineunt pacis fœdera, urbes, ac compita incorruptam servant æquitatem; litterarum emporia scientiarum capiunt incrementa, virtúsque perennnem obtinet in animis dominatum. Hæc denique abstemia vivendi ratio, enecat ignem concupiscentiæ, carnem in frenos agit, spiritum ritè moderatur, integritatem servat corporis, vitam animæ tribuit, omnémque procurat homini felicitatem. At ubi regnum obtinet vitium temulentiæ, omnia alia, ut ex dictis abundè liquet, evenire est necesse.

SIMILE. Quemadmodum enim Gallas fluvius per Phrygiæ regiones decurrens medetur ægro corpori, si ad leges temperantiæ bibatur, si verò ultra debitum naturæ ordinem hauriatur, viscera laniat, cor lancinat, caput excruciat, nervósque pedum, ac manuum contorquet: haud secus vini intemperies innumeratum corpori, tum animo inducit mala, ac funestum non rarò interitum temulentis procurat. Quid quod (si è Poëtarum nundinis parabolam licet nundinari) acres ejuscemodi potores cum sociis Ulyssis in comparationem venire possunt. Ut enim ejus commilitones, per incantatum carmine magico poculum, & à Circe oblatum, in grunniens pecus sunt transformati: haud aliter ebrietatis notâ infames, bestiarum formam induunt, in haras, & caulas compingendi. Nec incongruè helluonem Onocrotalum dixero. Ut enim hæc avium voracissima, ubi guttur suum, quod uteri speciem refert, infarserit, vocem edere asini, à quo suum ducit etymon, altúm-

 que

que vociferari assolet: ità assidui propinones, ubi sese ingurgitarint, vinóque incaluerint, omnia implent clamoribus, & in risus abeunt, & cachinnos. Ad hæc carmina modulantur fescennina, jam ineptas agitant choreas, subsultántque: jam jurgantur, verbísque confli&ctantur: jam pugnis, ac ferro decertant: jam Divos, hominésque maledictis proscindunt: jam jurisjurandi religione iniquè se obstringunt, pejerántque, & asinorum instar voces insanas attollentes omnia clamoribus permiscent. Sed ut discinctos hos nepotes, viníque perniciem, alia similitudine adumbremus, non abs re eos navigio per exæstuans mare volanti æquipararo. Nam veluti jactata per fluctus, & procellas liburnica, si copiosiores biberit aquas, neque haustis continuo à prægravante undarum pondere libera evadat, in profundum agitur, nunquam in altum eluctatura: haud aliter multo se injurgitantes mero, deditíque temulentiæ bibones in præceps eunt, rationísque clavum amittentes, in profundum Tartari demerguntur. Nec à veritatis tramite deflexero, si palustres ripas tantisper cogitatione decurrero, & inibi juncos, ac cannas, scirpósque rem nostram contemplaro. Ut enim cannetum, aliáque ejusmodi non alium habent usum; quam ut quotannis Vulcano fiant pabulum: non secus vinosis accidere videmus hominibus; qui ignibus duntaxat sempiternis apparantur. At nè per plura diffusius evagemur: an non homines gravissima laborare dementia citra crimen arbitremur, qui vecticulariis, atque effractatoribus domum ingressis, ultrò claves ab arca, & scriniis extraderent, plenámque facerent copiam expilatoribus, aurum, & thesaurum auferendi? Atqui id totum agit temulentia, vitiis claves offerens, quibus gazophylacium animæ subeuntes, eam gratiis cælestibus, omnique pretio virtutum denudent.

EXEMPLA. Et tamen diem mero frangunt bibaces Promachi, ac largiore vino se invitantes, noctibus integris continuant potationes. Unum, alterúmque de hac bibula tribu in medium adducamus. De Phago mimo proditum est literarum monumentis, eum abdomini natum, amystidem sæpenumerò eduxisse. Hic mirus pergræca-

tor

tor; omniquè ampulla bibacior, posteaquam aprum integrum, vervicem, ac porculum, centúmque panes inexplebili edacitate in unam refectionem absumpsisset; apposito ori gututnio, plus orca ebibit, mensura cadum salsamentarium excedente, [a] At hunc si non reapse, voto certè longiùs antecessit unus aliquis de popinonum grege, qui in balænam capacissimam maris belluam novâ metamorphosi transire exoptabat, modò mare Creticum in merum Creticum, aut in Evripum mutaretur, qui noctes, atque dies in ejus palatum pleno alveo derivaretur. (b) In censum ejusmodi belluarum venit pessimus Imperator Bonosus, assiduus vini gurges, identidem de se jactitans: se natum ad bibendum, non ad vivendum. Et verò bibit hic vinolentus Princeps, quantùm hominum nemo. Hic idem, è syllabo Imparantum jure expungendus, cum à Probro in arte bibendi superatus fuisset, nescio qua infami ductus verecundiâ, laqueo sibi ipsi spiritum interclusit. Cùm verò à dedecoroso ejus fato percontatum fuisset, ecquis ab alio esset pendulus, reposuit quispiam non citra argutiam: amphoram pendere, non hominem. (c) A Bonosi genio non multum ablusit Stratonicus citharædus Atheniensis, arte musica perquam celebris: qui ad quietem iturus, assiduò jubebat puerum sibi meracum affundree: inquiens: non quod sitiam, sed nè sitiam. (d) His pertusis doliis, aliorúmque similium monumentis, invicem epicedii inscribendum foret, quòd extra portam Capenam inaratum ex saxo funerali hisce verbis, heus: hic situs est Offellius bibulus, qui dum vixit, aut bibit, aut [sit honor auribus) minxit. Abi præceps. O dignum haris epitaphium! At percurramus una fatales exitus Principum, magis regendis, siccandísque calicibus, quam sceptris appositorum, Et primus quidem in horum syllabum accensendus venit Michael Imperator III. Hic cum copiosiore mero se proluisset, absona quæque fieri præcipiebat: alios enim auribus, alios naribus mutilari jussit, nonnullos capite minui ac internecioni dari immanem in modum imperabat.

(a) *Cæl.lib.9.c.1.* [b] *Atheneus lib.*10. [c] *Vopiscus in Bonoso c.*14.*&*15. (d] *Athen.lib.*8.

At hanc sævitiem suo sanguine expiavit. Dum enim vino obrutus in cæna torperet, ac in conclave regium deductus fuisset, adacto in ejus pectus ense, trajectisque illis contrucidatus est. (e) Per factum subiit Phocas, Imperator, jugis sympoșiastes. Forsan eo die, quo ludi equestres agitabantur, non modico se vino sepelivit. Id cum populus certis rumoribus accepisset; hujusmodi verbis à licentia plebis per ignominiam est notatus: rursus è canco (poculi genus est; à sono quem edidit, effluente simul vino, & aëre) bibisti rursus mentem amisisti. Ob id convicium haud paucos morte multavit efferus Imperator. Quare cum Summates aulæ, ac Primores reipublicæ, magnam hominum multitudinem crudelibus malis affici viderent, ad Herachum Africæ Prætorem nuntios ablegant, suppetias adversus Principem, furore, ac sanguine vitis semper ebrium, supplicibus votis exposcunt, Nec defuit eorum precibus Heraclius qui apparata continuò classe; adversus Phocam profectus, infestis signis movit, facilique marte debellavit. Hoc pacto Phoca devicto, Photinus de magnarum numero, è vestigio in domum augustam irruptionem facit, & Phocam pulla veste indutum, sinè mora ad Heraclium deducit. Qui cum superatum orbis Principem verbis hisce compellaret: itane miser rempublicam administrasti? reposuit Phocas: tibi verò per me licet, ut rectius eam geras. Quo dicto, jussit Heraclius manus ei pedésque amputari, dorso cutem detrahi, caput gladio rescindi, reliquum corporis truncum in foro per contumeliam raptari, tandémque flammis consumendum, extradi. (f) Atque hoc fine lugubri temulentia tanti Principis terminantur.

TESTIMON. Aliam sibi temperantiæ legem è sapientiæ solio dictavit Alphonsus Rex Aragonum, expertem vino degens vitam, quò felicius regni fasces gereret, sciteque ditiones suas gubernaret. Sciscitatus est nonnemo è Palatinis Principem, quam ob rem præter Regnantûm morem parcius meraco uteretur? reposuit: *vino sapientia obscuratur*

Quare

(e) *Baron. tom. 10. ann 867. ex Zonara.* (f) *Michael Glycas. 4. part. annal. Cyzani.*

Quare non decet Regem, ut hujus immodica potatione in animo extinguatur illud, sine quo Imperatoris, aut Regis nomen tueri non posset. (g) Novit enimvero apprimè illud Poëtæ Sulmonensis effatum:

Nox, & amor, vinumque nihil moderabile suadent. (h) Aliàs idem Rex per opportunitatem rogatus, cur vinum tanta aquâ dilueret? *Ne me*, inquit, *inebriet. Scio namque quantum Macedonis Alexandri gloriæ obfuerit ebrietas.* (i) Rursum cuidam sciscitanti, eccur Princeps ad leges moderationis compositus, tanto ebrietatis vitium odio sequeretur, responsum dedit: *quia scio furorem, & libidinem ejus filias esse.* (k) Probè igitur monet Romanæ fidicen lyræ.

At ne quis modici transiliat munera Liberi,
Centaurea monet cum Lapbytis rixa super mero.
Debellata. (l)

Hujus menti adstipulatur Annæus Seneca inquiens: *ferè vinolentiam crudelitas sequitur. Multa certè faciunt ebrii, quibus sobrii erubescunt.* (m) Unde è re foret cōsilio stare Pythagoræ. Hic enim consultus, quo pacto vinosus fugeret ebrietatem, reposuit: *si quæ ebrius facit, frequens cogitet.* (n) Non hanc versavit animo maximam M. Alexander, qui teste Curtio, *ingentia animi bona, illam indolem, qua omnes Reges antecessit, haud tolerabili vini cupiditate fœdavit.* (o) Prô quæ non vini fecit vitio! Sed *ut primum gravatam ebrietate mentem quies reddidit, pœnituisse constat.* Idem (p) Ita *ebrietas unius horæ hilarem insaniam, longi temporis tædio pensat*, inquit Romanus Sapiens. (q) Cæterum: quæ hæc est gloria, *quum superstes toti convivio fueris, quum omnes viceris virtute magnifica, & nemo tam capax fuerit, vinceris à dolio*, è testimonio præfati Sapientis. [r] At quantum indè detrimenti oriatur, adverte sis animum. Primum menti obest: quippe *in proverbium ces-*

[g] *Panormit. lib. 2. de ejus gestis.* [h] *lib. 2. de remed. am.* [i] *Panorm. lib. 2.* (k) *idem ibid.* (l) *lib. 1 serm. sat. 4.* (m) *ep. 83.* (n) *apud Stob serm. 16.* [o] *lib. 9.* (p) *ibid.* (q) *epist. 59.* (r) *epist. 83.*

sit, ut Plinius naturæ oculus perhibet, *sapientiam vino obumbrari.* (s) Deinde corpori nocet. Nam ut idem perhibet: *ex ore halitus crudi, ac ferè rerum omnium oblivio, morsque memoriæ. Pallor, & genæ pendulæ, oculorum ulcera tremulæ manus furiales somni, & inquies nocturna.* (t) *Quam sedi, & pestilentes, ructus*, ut iterum Seneca, *quantum fastidium sui exhalantibus crapulam veterem. Adjice ignorationem sui, dubia, & explanata parum verba, incertos oculos, gradum errantem, vertiginem capitis, tecta ipso nobilia, velut aliquo turbine circumagente totam domum, stomachi tormenta, cùm effervescit merum, & viscera ipsa distendit:* (u) Hæc, & plura alia ebrietatis incommoda, depinxit eleganti metro David Milesius, in sequentes modulos fictione personæ, hujus vitii, sui ipsius encomia deprædicantis. Liceat mihi complures licet versus non tamen absonos modulari,

Illa ego terrarum domitrix, Regina malorum,
Quæ clarum toto nomen in orbe gero.
Dux scelerum suprema vocor, vitiique magistra,
Nil nisi dulce malum, nil nisi dulce nefas.
Mors animi gratúsque furor, blandumque venenum,
Morborum placidus fons, & amica lues.
Gurgulio, fundi barathrum, confusque vorago,
Vltiosum præsens, ipsáque pœna mihi.
Syrtis, Hydrops, Syren, Scylla, in sacrata Charybdis,
Grandior & furiis omnibus esse feror.
Nam quæ gestarum surgat mihi gloria rerum.
Notum est Eois, occiduisque plagis.
Nullus erat sævis unquám bellator in armis,
Qui dederit gelidæ millia plura neci.
Nemo tot impunè cædes, tot funera nemo,
Edidit, ac nostræ sæpe dedêre manus.
Me fugiat Clerus, Princeps, puerique, senésque,
Quisque juvat Phœbi, aut Martia castra sequi. (x)

Hæc

(s) *lib.* 23. *hist. natur. c.* 1. (t) *lib.* 14. *hist. natur. c.* 22. (u) *epist.* 95. & 83. (x) *lib. de ebriet.*

Hæc ex Helicone vates non ignobilis. At quid sacre afflati Pneumate Orthodoxæ Religionis Proceres, de temulentiæ vitio posteris transmisêre in cautelam? Multa equidem in hoc generis nostri malum è suggestu veritatis detonarunt sed nè æquo sim longior, unicum duntaxat in vicem omnium adferre, liceat maximum Ecclesiæ lumen Præsulem Hipponæ. At quid in testimonii provinciam adducit? accipite. *Ebrietas*, inquit, *est blandus dæmon, dulce venenum, suave peccatum, quam qui habet, se ipsum non habet: quam qui facit, peccatum non facit, sed ipse totus est peccatum.* (y) Alio verò in loco ita disserit, *ebriosus, quum absorbet vinum, absorbetur à vino, abominatur à DEO, despicitur ab Angelis, deridetur ab hominibus, destituitur, à virtutibus, confunditur à dæmonibus, Ebriosus confundit naturam, amittit gratiam, perdit gloriam, incurrit damnationem æternam.* Hæc divinæ sapientiæ preco Aurelius Augustinus.

EPILOGUS. Ex quibus universis consectarium est, è moderationis legibus egisse, sapientique consilio præcavisse Lacedæmonum Patres? nè eorum liberi intempestivis helluationibus in futura ætate operam ponant, suo, regnique bene constituti detrimento. Apprimè enim compertum habuêre, nil magis juventuti esse noxium, quàm largius merum, quo ceu flammis pabulum in corporis, animæque incendia erupturum assolet ministrari; Quippe nec Ætnæi ignes, nec vulcania tellus, nec Vesevus, aut Olympus tantis ardoribus æstuant, ut juveniles medullæ vino plenæ, & dapibus inflammatæ. Nec ignorâsse Lacedæmones existimem, nocentissima quæque alia mala, quæ à temulentia, velut è scatebra identidem emanant. Nam quid exhaurit facultates cum rei familiaris non vulgari dispendio? Quid corpus reddit imbecillum, enerve, variisque languoribus onoxiū facit? Quid ad mores inconditos, gravissimáque scelera deducit; Quid hominem usu rationis privat, & ad belluarum deturbat conditionem: Quid inquam, hæc & infinita alia progignit, mala nisi vinolentia, assiduúsque potandi usus non videmus indies plures poculis occumbere; quam[s]picu-

N 5 lis,

(y) *lib. de pænit.*

lis, lancibus, quàm laneeis? His ſæpe cœna eſt pœna, pulpa culpa, ſpicula, pocula, vagina lagena, prælia prandia, ſtratagemata tragemata, in exitium convivantium apparata. Hæc inveterata apud multos helluandi conſuetudo, non rarò publicas edit clades, gentes acerrimas, invictáſque acies dejicit; defenſa multorum annorum pertinaci bello mœnia patefacit, aliámque malorum producit iliadem, & ſæpe ſæpius interitum ſempiternum. Quare nè pari fato occidatis AA. proſcribite continuò fædam mero vos ingurgitandi licentiam, deteſtimini malum temulentiæ, vitiorum omniū caput, & incentivum. Sit vobis deinceps cordi abſtemia virtus, ſit honeſtas amori, ſit in votis animi, corporíſque cura; quò idoneos reipublicæ muneribus vos præſtetis. Revocate continuo exterminatam fortè ab ædibus veſtris ſobrietatem, ut ejus ductu ad optatam felicitatem gradum faciatis.

CHRIA III.

Romani ſegne otium ex Urbe proſcripſerunt. *Marcus Aurelius Imp.*

EXORDIUM. SI agnatam execrabili vitio fæditatem, acutione mentis oculo perſpicere mihi hodie daretur, ac genuinis coloribus, & Rhetorum pigmentis illam adumbrare valerem, omnes horrore, & formidine percellerem, & attonarem. Ea profectò eſt vitii terrifica informitas, ut nihil orbis unquam viderit deterius, nihil immanius, fædius nihil; magíſque exitiale. Nulla Hydra adeò oculis eſt horrida, nulla tigris adeò effera, nullus leo ita terribilis, nullus draco tam formidabilis, nulli Centauri adeò truces, nullæ Harpyæ adeò fædæ, nullæ Gorgones adeò immanes, nullæ Chymæræ adeò informes: ut vitii unius infandum prodigium, ac deteſtabile oſtentum. Hoc enimverò leones alit in pectore, tigrides in ſanguine, dracones in oculis, Hydras in capite, Centauros in pedibus, Harpyras in manibus, Gorgones in crinibus, ac mira Chymærarum portenta, vultu animoque repræſentat. At pejora longè hoc naturæ abortu ſcelerum Monſtra, ab execrabili

bili vitio, ceu protoparente, jugi successione descendunt. Sed nè per omnia criminum opprobria, trepidantem circumducere videar eloquentiam; unicum duntaxat otii, ac socordiæ portentum ante oculos mentis vestræ statuam: velis, remisque fugiendam. Hoc iners vitium, domesticos inter parietes delitescens, ae omnigeni mali seminarium. Romani olim terrarum Principes, ex urbe Domina gentium proturbârunt, perpetuoque exilio multârunt. Nè verò aliquando pristinum locum capesseret, & in integrum restitueretur, solertiam, ac laborem in animos civium deducere opportunis legibus sunt adnisi. At cùm non ignorarent, veterum Romanorum instituta, à floridiore comprimis ætate marcescentem desidiam continuò arcendam esse; eam cursu in stadio, equitatu in hippodromo, lucta in arena, & vario, umbratilique armorum genere, nunquam non exercuerunt; quò in viros quondam fulciendæ Reipublicæ idoneus, à primordio ætatis rite formarentur.

PARAPHRASIS. O factum cui Romæ amphitheatra festivius applaudant, quodque omnes Romano subjectæ Imperio ditiones cum laude æmulentur! Neque hoc sapiens institutum gravissimo caruisse momento quisquam opinetur. Probè quippe Patres Conscripti cognitum habuêre desidis otii genium, & naturam. Hoc enim verò vitium sentina est vitiorum, virtutis exilium, noxarum domicilium, animæ proditor, terræ probrum, Cœli dolor, Numinis odium, vivum vivi hominis sepulchretum. Nec fugit Primores Latii rerum suarum satagentes, expertem laborum desidiam, parentem esse inopiæ, curarum prodromum, hostem artium, Magistram ignorantiæ, memoriæ situm, noctem ingenii, pestem voluntatis. Jure proinde optimo tot malorum iliadem, totque scelerum nutricem urbe tota proscripserunt. Et quis adeò ratione sit aversus, qui noxio diffluens otio, patriæque legibus solutos thrasones, non protinus censeat eliminandos? Et quamquàm nemo sit, qui degentes in otio dromones exigendos urbibus non existimet: nè tamen quemquam segne otium in sui rapiat amorem, mollique illecebra capiat, fœditatem ejus clariore damus argumento. Conjicite, si lubet oculos mentis vestræ

ftræ in ejus tetriorem omni monſtro deformitatem. Vah! quid hoc portento horridius? quid abominabili naturæ rationalis abortu fædius? quid formidabilius cogitari unquam potuit, aut videri? Nihil ſanè. Si caput illius, ſedem alioquin operatricis animæ mecum contemplari non perhorreſcitis, videbitis caput, at ſinè capite? in quo nihil reſidet idearum, nihil artium, ſcientiarum nihil, quæ virum ſapientem valeant denominare. Frontem habet equidem, ſed effrontem, nullâ verecundiæ notâ, nullâ honeſtatis lineâ nullóque virtutis charactere inſignitam; Germinos ſub frontis arcu gerit oculos, at ſine pupilla, ſinè videndi facultate, ſinè clara rerum, ut in ſe ſunt, viſione. Si manus non refugitis intueri, cerneris manus, at deſide ſitu languentes, vacillantes, & jam propè ab inveterato torpore ſolutas compage, ac divulſas. Si demum ad pedes oculos non horretis deflectere, videbitis pedes, at caſſos motione, ſempérque in eodem gradu, ac ſtatione conſiſtentes. Si tamen interdû ſe viæ committunt, non niſi ad metam vitiorum, protrita virtutum orbitâ, declinant. O plenum ignominia, ac deteſtandum omni jure ſocordiæ vitium, dignúmque, cui aquâ, & igni orbe toto interdicatur.

CAVSA. Atque ideo nemini mirum videatur, ignaviæ labe infectos, ab Romanorum inſtitutis ſolùm vertere fuiſſe juſſos, ne contagium aliis, induſtriæ, ac labori deditis, affricarent. Non eâ laborârunt Optimates Latii ignorantia ut eſſent neſcii, quòd ſyrma malorum poſt ſe trahat ſegne otium, toto vitiorum choro comitante. Compertum, exploratúmque iis probe fuerat, otio, ac torpedinis marcore, ſana perverti conſilia, languere dicaſteria, enervari caſtra militaria, valida labefactari caſtella, regna, ac imperia peſſumire. Haud erat ignarus Romanorum ampliſſimus ordo ſolius ignaviæ interventu, ſcientiarum emporia ſitu obrui, Lycæa Ariſtotelis vaſtari, roſtra Tullii elinguari, artium omnium Gymnaſia in podium ignorantiæ transformari. Et verò ſocordiæ veternum, ac caligo, clariſſimum mentis lumen denſiſſimis inſcitiæ tenebris involvit, liberum voluntatis arbitrium neceſſitatis pravæ vinculis conſtringit, memoriam rerum gazophilacium oblivionis probro

probro vitiat, & habitum pulcherrimarum virtutum defædat, ac corrumpit. Hoc enim verò iners vitium illustrem animi solem præstinguit, & virtutum omnium Ducem, ac Præsidem, à sede mentis abigit, excludítque. Hoc fortitudinem, rerum strenuè agendarum Herculem emollit. ac enervat. Hoc denique, nè diffusius vagari videar, virtutum omnium choragium dissipat, disjicitque, Quid quod è jacente desidia, velut infelici, ac emoriente solo, plurimorum lolia malorum protuberent, & germina virtutum, fœcundissimi quamvis animorum agri, suffocari est necesse. Dicite hic, ambo, AA. quos longæva rerum experientia in prudentiæ specula collocavit, ecquid boni sperari valeat ab otii sectatore, quæque non mala pertimeri? Quippe ut florida præsertim ætas, cui æstu jugi effervescens nihil omnino agat, nulloque penitus distineatur negotio, nequicquam speres: cùm id alienum sit ab humano ingenio, quod re aliqua gaudet occupari, Nemo etenim, cui usus edocet, ignavo consenescere otio rebus in omnibus perpetuò velit. Unde si refugit ea quæ præsens rerum ordo flagitat, deflectit ad aliena. Si domesticos inter parietes desit, quo affatim delectetur, transit in extera discriminii obnoxia, ac pedetentim tam altè siderum combibit venena? ut nè excutere quidem dum volet, porrò valeat. Atque ita ex hac otii malignitate, alia, quàm par est, pertractante prosilit de ses in murmurationes totâ æde perstrepentes, & erumpit in dictorum, factorúmque ab aliis obtrectationes. Nam cum paria gnavis, ac industriis, aut nolit, aut vitio suo non possit, consectarium est, ut damnet in aliis, quæ is aut magnitudinis terrore, aut otii, amore subterfugit. Cum verò despondeat animum posita in sublimioribus adipisci, pigeátque ad ardua dexteram porrigere; dolore non levi tangitur, reliquos generoso difficilium calcatu, per sudores, & sanguinem decurrere ad excelsa. Et quid hinc aliud nasci pronum est, quam optimarum quarumcunque rerum invidentiam, & gravissima quæque mala, ad quæ otii sectatores facili negotio decurrunt. Videas hos otio dulcedine inescatos, expertésque laborum, quibus virtus, nominisque

que gloria comparatur, abdomini duntaxat servientes, commoda omnia corporis sollicito studio inquirentes, & tandem in vitia, quæ pudor efferre vetat, fædum in modum prolabentes.

CONTRARIUM. E diametro verò assumptis pro ratione ætatis, ac impositi muneris laboribus, iisque cum laude continuatis, infrunita vetitorum appetentia frangitur, sudoribus, ceu fluminum superfusu, malignior flamma enecatur; aut tanquam cæstibus edomatur: cum interim otio magis, magisque indies roboratur, ac tanquam olei superjectu accenditur: quin viam sternit ad præcipitia, & deplorandas sanguineis lacrymis ruinas. Quamobrem cum innumera prope malorum germina, in solo floridissimæ comprimis adolescentiæ producere ignaviam videamus, jure æquissimo laboris, industriæque sarculum erit assumendum. Quod vel à primis mundi incunabilis universam edocuit posteritatem Protoplastes noster, noxia stirpe tribulorum, lapparúmque terram expurgando, exossando. Non equidem benignissimus rerum omnium effector DEUS ideo robur corpori, animoque infudit, ut in gremio desidiæ compressis manibus sedentes delitescamus, sed industriæ dediti, opera homine digna aggrediamur. Non ideo clarissimum ingenii lumen ab increato Sole in nos est derivatum, ut illud caligine ignorantiæ tumulemus, sed ut novà semper luce artium, & scientiarum acutius reddamus Neque ideo perspicacem oculorum aciem providum nobis donavit Numen; ut illam torpore desidiæ obtundamus, sed quò de itinere ad fastigia virtutum nobis prospiciamus. Non diffluamus proinde imposterum otio; non abjecta parmula fugam turpiter ab literarum palæstra capessamus, sed constanter, sed viriliter, sed infracto animo in Palladis togatæ orchestra decertemus, in campis laboriosæ industriæ gnaviter desudemus, si haud dubiam ab coronante vitiorum obsidio victoriam, & eam quidem immortalem obtinere exoptamus. Nemo etenim otio litans unquam trophæa composuit: nemo ultra Eudymionem indormiens negligentiæ, lauream promeruit: nemo palmam desidia eripuit

ripuit: nemo torpore victorias reportavit. Bello emitur victoria, sudore gloria, labore triumphus. Quare in illud demum urgenda est juventus præsertim literaria, ut seposita omni socordia, ea combibat à primis annis artium bonorum instituta, quæ augere, complereque valeat ætate robustâ. Ejiciatur continuò, è sapienti Romanorum lege, ex urbibus, ex Athenæis, omnibúsque literarum emporiis, animos, & corpora pessumdans inertia, omniúmque malorum seminarium sine interpolatione stirpitus eruatur, evellatur. Ejus verò invicem assiduitas, accuratio, industria, & nativitas in urbes, ac Musarum domicilia è vestigio reponantur. Admoveantur identidem stimuli, ac calcar floridæ, vegetæque ætati, ad rem literariam debita solertia promovendam, qua sine, nullo negotio diem otio extrahit, ac crepundiis, & irreparabilem facit pretiosi temporis jacturam.

SIMILE. Sed ut rei hujus veritas evadat luculentior, per congeriem similium ea declaratum eo. Adurgendam dixi, impellendámque ad munus suum primam ætatem, nec injuria. Quemadmodum enim nux Pontica, aut basilica fruges suas non demittit, nisi crebrius saxis, ac sudibus impetita: ut æris Campani fabrica gratum, suavémque haud edit sonum, nisi malleo identidem impulsa: ut Arcadium pecus non progreditur, nisi frequenti verbero ad prosecutionem viæ adigatur: haud secus ab Musarum alumnis, alioque quocunque demum hominum genere, nil bonæ frugis exspectandum scitote; nisi stylo ulmeo sæpius tergum conscribatur; nisi latus sæpenumerò proscindatur, nisi virgarum, ac flagellorum crepitante fragore, otium iners ab eorundem animis exterminetur. Et veluti terra vomere, ac burre non probè subarata, iterata, tertiata, lolium, urticas, tribulos: & id genus alia protrudit: ut aquæ decursu perenni carens, stagnansque in colliciis, & incilibus, resolvitur in putredinem, ac noxios vapores: ut ferrum in xyphotheca delitescens rubiginem contrahit: atque exesâ acie hebescit: ut demum Serum vellera longioris temporis intercapedine in arca, scriniove conclusa, teneis,

ac

ac blattis cedunt in escam, ac nutrimentum: haud, aliter prima ætas in pulvinis, ac stragulis otii, mollibúsque desidiæ brachiis enutrita, putri tabescit mephiti; æruginem morum contrahit, rubos, ac dumos vitiorum animæ solo inserit, & à teredine, cossòque vitiorum miserandum in modum absumitur, ac devastatur. Et erit etiamnum quisquã vestrum, qui hac putredine eligat vitiari, his sentibus vulnerari, hac rubigine corrumpi; hac mephiti redolere, hac peste efflari, affricari: Ec quis rei domesticæ gnavus curator adeò muneri suo indormiat; qui vel in extremo domûs angulo serpens contagionis malum patiatur degere, à quo in suos, ac vicinos haud dubia pestilitas propagetur: Et nos otii, atque inertiæ luem in urbes, ac literarum palæstram segnem gradum inferre sustinebimus: Averruncent hoc pestilens malum Superi, & reses vitium elisis ab alto ignibus, ad sceleratorum sedes, flammásque perennes ablegent. Utinam regnorum Præsides ex urbibus, Literarum moderatores è Gimnasiis, exosam Divis, hominibúsque socordiam sinè mora proscribant! næ illi boni publici satagentes audient apud omnes ęquos rerum æstimatores.

EXEMPLA Ab hoc facto, nè exemplis desimus non sinè laude æmulandis, ab hoc inquam facto, immortalem apud posteros sibi famam compararunt Amasis Ægyptiorum, Draco Atheniensium, Lycurgus Lacedæmonum legis latores; qui in segne otium pœnam capitis fulminârunt Extolluntur laudibus ob ejectam è patriis ædibus socordiam Spartani Patres; quod liberorum suorum masculæ fortitudini, publicæ admotis verberibus præluserint, & laceros, ac semianimes, ad victoriarum, patrięque felicitatis omnia prępararint. (a) Non possum non approbare Lacenarum consuetudinem, quæ ut plumarum odium, & delicatę nauseam inertiæ suis prolibus ingenerarent, vix luci datos in duros progenitorum clypeos reclinabant [b) Eandem ob rationem merita commendatione sunt prosequendi insularum Balearium indigenæ, qui filios suos inedia eò macerabant.

[a] *Lucian. in serm. de Gymnasiis.* [b) *Plut. in Lacænar. apophi.*

rabant; dum panem, quo vescerentur, funda, & arcu sibi compararent. (c) O si in pravum ætatis nostræ desidiosè vivendi usum, ritus accederent Gymnosophistarum, qui neque ad delicias, neque ad cibatum vitæ prærogandæ necessarium quemquam admittebant, qui eum honesti laboris exercitio prævie meritus non fuisset. (d) Huc facit ad prudentiæ leges conformata Sinensium respublica, quæ neminem prorsus sustinet feriari, cassos etenim visu ad pistrinum deducit, ex pedibus verò unde unde tandem laborantes, ad manualem operam impellit. Cæteros pro cujúsque viribus, ac facultate, appositis laboribus distinet: ut eorum respublica apiariæ, aut formicariæ non absimilis esse videatur. [e] Haud dispar olim fuit in florentissimo urbis Romanæ statu, præterea, quæ pro argumento dicendorum assumpsimus, recepta, sancitáque lege consuetudo, ut nemini in publicum Romæ prodire licuerit, nisi insigne secum deferret artis, quam factitabat, & qua victum quæritabat. Quòd si verò quis morem sapienti decreto non gessisset, puerorum per vias insequentium probrosis clamoribus, ut fatuus incessabatur, & è vestigio à Censore in ergastulum operi faciundo addicebatur. (f) Ejusmodi plebiscitum sanxit olim Pisistratus Rex Atheniensium acerrimus osor hominum segni otio diffluentium. Hic cùm subinde per urbis forum iter faceret, ac per illud curiosius oculos circumferret; objecêre ei se non pauci, manibus in terga rejectis, desidiæ indulgentes. Hos continuo ad se jubet accersiri, edicitque, si nec boves, nec sementem haberent idoneam laboris materiam, de caula regia, ac promptuario acciperent, terrámque colerent in suum, ac regni emolumentum. Nec abs re opera distineri voluit homines otio vacentes, cum justa fuerit actus formidine, nè aut insidias vitæ regnanti struerent, aut in rapinas, aliáque nefaria scelera, Duce socordia, prolaberentur. (g) Ita nempe

O malo-

(c) *Alex. ab Alex. lib.* 2. *c.* 25. (d) *Cal. lib.* 11, *c.* 1. [e] *Jarricus tom.* 2. *rer. Jud. lib.* 4. (f) *Plut.* [g] *Ælian.*

malorum omnium eſt ſeminarium remiſſio à labore. Quod ut Veritatis æternæ tabulis, aliiſque veterum monumentis comprobatum eamus, paucula quædam laconicâ brevitate damus. Et nè per remota à noſtra cognitone duci videamur: Quid Samſonem fortitudinis prodigium, verúmque in terris Herculem, adcò ignominiosè vinxit, ac vicit? vinxit ac vicit iners otium. Quid regio Vati ptopudioſam ſceleris maculam, nullis ſæculorum laboribus diluendam inuſſit? inuſſit deſes odium. Quid illud humanæ ſapientiæ portentum Salamonem in profundum adeo vitiorum barathrum deturbavit, deturbavit iners otium. Quid Alexandrum Macedonem orbis domitorem maximum tandem fregit, ac debellavit, fregit, debellavit ſegne otium. Quid indomitum illum nivibus, atque Alpibus virum Hannibalem, Romanæque Urbis terrorem tandem fædè enervavit; enervavit molle otium, Quid demum ipſam adeo Romam gentium dominam, tanto laboris impendio per ſæcula in flore, & rigore conſervatam tandem vaſtavit, ac evertit? vaſtavit, & evertit execrabile modis omnibus otium, & intermiſſio ab opere glorioſo. Adeo nempe animo, omníque regno longè maxima otium eſt jactura.

TESTIMON. In rei hujus veritatem bene cecinit Veronenſis Poëta Valerius Catullus:

Otium Reges ſimul & beatas
Perdidit urbes [h]

Audiamus diffuſius ſuper hac re Annæum Senecam ità diſſerentem. *Appium Claudium crebrò ſolitum dicere accepimus, negotium populo Romano melius, quam otium committi: non quod ignoraret, quam jucundus tranquillitatis ſtatus eſſet, ſed quod animadverteret, præpotentia Imperia agitatione rerum, ad virtutem capeſſendam excitari, nimiâ quiete in deſidiam reſolvi. Et ſane negotium nomine horrendum, civitatis noſtræ mores in ſuo ſtatu continuit, blandæ appellationis quies plurimis vitiis reſperſit.* (i) Hinc & Cleomenes rogatus, cur Lacedæmonii Archivos hoſtes ſuos internecioni non darent, repoſuit: (k) *eos ſunt juventutis noſtræ*

(h) *Od. ad Lesb.* [i] *lib. 7. tit. ſapienter dicta.* [k] *Val. Max. lib. 2. de inſtit. antiq.*

nostræ. At quæ de otii genio Orthodoxorum Patrum est sententia? Hoc enimverò *maleficii principium* est Basilio, (l) *omnium vitiorum radix* Chrysostomo, [m] *rubigo sapientiæ, & ingenii* Hieronymo, [n] *mater nugarum, & noverca virtutum* Bernardo. [o] Horum mentem fusius explanans Augustinus ita inquit: *per otiositatem accendimur frequenter ad luxuriam, per hanc animamur ad superbiam, per hanc ducimur ad mundi gloriam, per hanc tentamur ad delicatè pasci, & pretiosè vestiri, per hanc ad superfluam dormitionem trahimur, per hanc ad verba sæcularia ducimur.* Ac tandem cluasulam facit. homini ad leges Christianas formato jure exhorrescendam: *nunquam quis civis cælorum erit, si otiositatem amaverit.* [p] His accinat universis, sui, nostrique temporis calamitatem ex otio profluentem, versu tereti, eóque epico ita describens Poëta.

Hæc est curarum genitrix exercita nullis
Artibus, officii nullo laudabilis usu,
Segnities inter socias nutrita Megæra,
Doctáque languores animi, luctusque magistra,
Sola sedens, oculosque solo defixa malignum,
Crispa supercilium pallens, impexa capillos,
Phthiriasim patiens, scalpit caput unguibus uncis.
Os immunda, manus illota, cadente salivâ.
Barba madet, pluit imbriferis de naribus humor,
Debilis, & longo pendens in pectora dorso.
Fauce tumet, levat augusto sub pectore ventrem
Viris ad exemplum, morbique intercutis instar.
Crus exile genu surgens, perpinguis, & amplus.
Tardat iter, gravibusque dolet junctura podagris.
Hæc fera feralis, sanctæ fastidia vitæ
Ingerit, & tardos ad clara negotia sensus
Somnifero languore premit frigentia corda
Involvit gelido densæ velamine nubis.
Nil nisi terrenis haustum de fecibus unquam
Cogitat, annales veterum, dubiámque futuri

[l] *in regul.* (m) *super Gen. hom.* 14. (n) *epist. ad Demetr.* (o) *super cantica.* (p) *serm.* 16.

Temporis ignorat sortem. (q)

Plures, quos canit hic vates, non libet mihi referre modulos, nè fædus otii iconi sinus, in fastidium quemquam adducat. Unum pro coronide testimonii adhuc usurpare liceat Romani sapientis effatum: ***in otio inconcusso jacere***, inquit ille, ***non est tranquillitas, malitia est.*** (r)

EPILOGUS. Quod cùm veritati consentaneum esse nemo ambigere valeat, ecquis ità à mente, atque à se discesserit, qui socordiam tot malorum causam, ac germen scelerum radicitus non vellat, ac exstirpet? Quis tot noxarum incentricem, superfuso diligentiæ flumine continuò non restinguat? Quis animi, corporísque pestem, cane pejus, & angue non refugiat? Quis denique ità à ratione aversus est, qui laudabili Romanorum lege, non illico multet exilio desidiam, facilè in urbes, ac animos irrepentem? Quamobrem agite, quod recta ratio, quod natura, quódque DEUS ipse districtè præcipit, & repudiata ex urbibus, ac animis vestris desidiâ, excussóque omni veterno, assiduitatem operis, & gnavum comprimis in literarum emporia studium è vestigio revocate. Atque ità futurum scitote, ut è schola stice pulvero olim in apricum proditum, clarissima scientiarum luce omnia collustretis. Provolabitis è gymnasiorum palæstris, in Provinciarum, regnorúmque tutelam periculis fortes, in sustinendis constantes. Erumpetis è Musarum domiciliis, in rerum publicarum incolumitatem, in curiis consularii, in foro, & tribunalibus arbitri, in rebus omnibus pacem, ac tranquilitatem regnorum spectantibus, prudentes, ac gnavi curatores. Quare melioribus iisque potissimum literariis rebus, qui etiamnum sapis, distineare, Nec magno hic admodum molimine, impendióque opus esse scias. Insuesce labori, ac industriæ, abibit in naturam. Fœcundum nimirum animorum est solum: bonam immitte sementem, fructus respondebit, cui accrescet gloria nominis, famáque immortalis, ad perennem posterorum memoriam transmittenda.

***

CHRIA

(q) *Baptista Mantuanus lib.* 1. *Parathem.* (r) *epist.* 68.

CHRIA IV.

Michael Palæologus Imp: Andronicum germanum ſuum ab regni ambitione avertere molitur.

Niceph. in hiſt.

EXORDIVM. NEmini veſtrum, ut opinor, AA. dubium, controverſúmque eſt, adeo Imperia, ac regnantium dominarum orbi dirigendo eſſe neceſſaria, ut ſinè illis nec domus ulla, ut civitas, nec ullum genus hominum, nec univerſa rerum natura ſuo in vigore conſiſtere valeat, ac confirmari. Quod Siderum Ille Imperator eſt ſubjecto aſtrorum vulgo; quod navarchus eſt fluctuanti in Oceano navi, quod anima corpori, hoc regnis, hoc provinciis, hoc reipublicæ Principem eſſe eſt neceſſe. Deficiat ab innato ſibi lumine ſereniſſimus ille mundi oculus, negétque lucis officium mundo, claritas ab aſtris, à terra, ab omnibus recedat. Deſinat claſſis moderator, inter fluctus decumanos maríſque æſtum, vela, & clavum ritè gubernare, exitio proxima navis jactabitur, & vel ſcopulis illiſa, vel ſyrtibus affixa, aut vorticibus hauſta interibit. Tolle vivificantem ſpiritum corpori, ruet exanime, ac fædum cadaver, & in nativum ſui pulverem reſolvetur. Tolle compaginato ex membris corpori ſupremum capitis dominatum, & illico repugnantibus genio ſuo artubus, exardeſcet ſeditio, ac bellum inteſtinum, impuníſque membrorum licentia, non ſinè pernicie, & exitio capitis obtinebit principatum. Ita enimverò à natura comparatum eſt, ut nulla membra ſinè capite, nullum corpus ſine anima, nulla navis ſinè nauclero, nullum aſtrum ſine ſole, nullum regnum ſine Principe, communi omnium ſententia, ſubſiſtere unquam poſſit, ac ſtabiliri. Verum enim verò infeliciſſimam illam regnorum conditionem, quæ ſola duntaxat nominis prærogativâ alit Principem, quę caput veneratur ſinè capite,

quæque inter frementes negotiorum fluctus, navim reipublicæ minus experto navicularío tradit gubernandam. Qui ad clavum sedet Imperii, aut regere sciat, ut Princeps esse desinat. Haud dignus est glorioso Principis nomine, qui magis cupit præesse, quam populis studeat prodesse: nec secundum regnandi cupiditatem, sed penes amussim, & decempedam rationis, recte gubernandi metimur facultatem, Qui sola duntaxat ambitionis machinâ ad supremum dignitatis regiæ fastigium eluctatur extollitur in arrogantiam, inflammatur in avaritiam, accenditur in furorem, effrænatur in jactantiam, crudelitatem asperatur. Quem ad regnorum majestatem, non communis boni ratio, non salus populorum, non utilitas regnorum; sed malesuada duntaxat imperandi libido pellexerit, næ ille jura proculcabit lites suscitabit, opprimet veritatem, fovebit mendacium, quæstui inhiabit, vendet æquitatem, versutias concinnabit, fortunis aliorum invigilabit, subditis onerosus, omnibus invisus, præceps, gravis, importunus Et ab hac malorum iliade, impotentem regni ambitum consequente, pro germana in te benevolentia, ac amore, te statui hodie dehortari. Non capiunt, ut sine fucis, & legis tibi mentem meam exponam, non capiunt angustiæ pectoris tui, non recipit ætas ista, non egestas animi, non infirmitas ingenii, non insolentia rerum secundarum, tantam personam, tam gravem, tam severam. Nescis, quantum fastidii secum adferat Imperium, quantum satietatis. Multos sanè esse mecum scias, qui vitam tranquillam, & à procellis invidiæ æmulantis remotam, in privatarum ædium malitia sequi malint, quàm inter rixantes adversitatum fluctus jugiter periclitari. Et quamquam id ipsum satis supérque te perspicere non ambigam: quia tamen eam ingressus es ætatem, quæ plus impetûs, & inconsultæ temeritatis habet, quam maturitatis, & consilii, ut me de salute tua, nominísque gloria curam gerere intelligas, intempestivum votum, regnandique ambitionem plus æquo in pectore tuo debacchantem nonnihil adnitar temperare. Neque id me factum hac de causa existimes, ut singularis tibi prudentiæ meæ specimen, quod esset arrogantiæ, ostentem, sed ut

fraternæ

fraternæ voluntatis signifficationem, quod amoris,& officii ratio flagitat,palam faciam Andronico.

PARAPHRAS. Atque ut tibi ambitionis objectum, clarâ in veri luce ita exponam, ut oculis, ac pene manibus teneri possit, in ipsum Regum penetrale, quò te mali sana regnandi impellit cupiditas gradum faciamus. Et verò si detersâ ab oculo mentis falsi caligine, in pleno veritatis lumine, mendaces dignitatis regiæ colores libuerit intueri, videbis inextricabilium curarum pelagus, invidiæ ringentes castrum, fortunæ variantis ludum, labyrinthum errorum, præcipitium lubricum, palæstam periculorum. Videbis, imò sensu ipso percipies, fodicantia animum senticeta, libertate catastas, virtutis tormentum, vitiorum sentinam, ergastulum concordiæ, laborum seminarium, dolorum valetudinarium durum, ac ærumnosum. Quid quòd videbis, ac tuo experière damno theatrum, fraudium, scenam fallaciarum, septum suspicionum, mercatum mendaciorum, magistram simulationum, xenodochium spei jugiter dilatæ. Videbis demum imaginem inconstantiæ, follem ambitionis, timores, angores, mærores, mille discrimina, sollicitudines mille, emporium mali universi. Et tu (ô quæ illa foret dementia! in hoc malorum emporio, propria velis mala nundinari, adire discrimina, curas mordaces involare, agglomerare mærores, quærere angores, procurare timores, rumpendos brevi tecum ambitionis folles amplius tumere, & in imagine inconstantiæ adumbratam regnantum gloriam, perpetem tibi possis vanâ illusione polliceri? Itane in hoc xenodochio spei, immedicabili languore nunquam non laboribus: hæcne simulationum magistrâ te formari in perniciem nominis tui patieris? hócne mendaciorum mercatu inanibus tibi regni lucris imponi sustinebis? Ergóne inevitabili suspicionum septo concluderis? fallaciarum scenâ deluderis, & in parentissimo fraudum theatro, non illacrymante; sed cachinnos tollente populo,& universo orbe exsibilante, mæstam, & infelicem nominis tui tragœdiam agi non perhorrescis? Quid te (per Deos immortales) allicere valet ad illud ærumnarum, laborum,ac dolorum ergastulum? in quo aureis licet vinctus catenis contabescas?

que gloria comparatur, abdomini duntaxat servientes, commoda omnia corporis sollicito studio inquirentes, & tandem in vitia, quæ pudor efferre vetat, fædum in modum prolabentes.

CONTRARIUM. E diametro verò assumptis pro ratione ætatis, ac impositi muneris laboribus, iisque cum laude continuatis, infrunita vetitorum appetentia frangitur, sudoribus, ceu fluminum superfusu, malignior flamma enecatur; aut tanquam cæstibus edomatur: cum interim otio magìs, magísque indies roboratur, ac tanquam olei superjectu accenditur: quin viam sternit ad præcipitia, & deplorandas sanguineis lacrymis ruinas. Quamobrem cum innumera prope malorum germina, in solo floridissimæ comprimis adolescentiæ producere ignaviam videamus, jure æquissimo laboris, industriæque sarculum erit assumendum. Quod vel à primis mundi incunabilis universam edocuit posteritatem Protoplastes noster, noxia stirpe tribulorum, lappa rúmque terram expurgando, exossando. Non equidem benignissimus rerum omnium effector DEUS ideo robur corpori, animoque infudit, ut in gremio desidiæ compressis manibus sedentes delitescamus, sed industriæ dediti, opera homine digna aggrediamur. Non ideo clarissimum ingenii lumen ab increato Sole in nos est derivatum, ut illud caligine ignorantiæ tumulemus, sed ut novâ semper luce artium, & scientiarum acutius reddamus Neque ideo perspicacem oculorum aciem providum nobis donavit Numen; ut illam torpore desidiæ obtundamus, sed quò de itinere ad fastigia virtutum nobis prospiciamus. Non diffluamus proinde imposterum otio; non abjecta parmula fugam turpiter ab literarum palæstra capessamus, sed constanter, sed viriliter, sed infracto animo in Palladis togatæ orchestra decertemus, in campis laboriosæ industriæ gnaviter desudemus, si haud dubiam ab coronante vitiorum obsidio victoriam, & eam quidem immortalem obtinere exoptamus. Nemo etenim otio litans unquam trophæa composuit: nemo ultra Eudymionem indormiens negligentiæ, lauream promeruit: nemo palmam desidia eripuit

ripuit: nemo torpore victorias reportavit. Bello emitur victoria, sudore gloria, labore triumphus. Quare in illud demum urgenda est juventus præsertim literaria, ut seposita omni socordia, ea combibat à primis annis artium bonorum instituta, quæ augere, complerèque valeat ætate robustâ. Ejiciatur continuò, è sapienti Romanorum lege, ex urbibus, ex Athenæis, omnibúsque literarum emporiis, animos, & corpora pessumdans inertia, omniúmque malorum seminarium sine interpolatione stirpitus eruatur, evellatur, Ejus verò invicem assiduitas, accuratio, industria, & nativitas in urbes, ac Musarum domicilia è vestigio reponantur. Admoveantur identidem stimuli, ac calcar floridæ, vegetæque ætati, ad rem literariam debita solertia promovendam, qua sine, nullo negotio diem otio extrahit, ac crepundiis, & irreparabilem facit pretiosi temporis jacturam.

SIMILE. Sed ut rei hujus veritas evadat luculentior, per congeriem similium ea declaratum eo. Adurgendam dixi, impellendámque ad munus suum primam ætatem, nec injuria. Quemadmodum enim nux Pontica, aut basilica fruges suas non demittit, nisi crebrius saxis, ac sudibus impetita: ut æris Campani fabrica gratum, suavémque haud edit sonum, nisi malleo identidem impulsa: ut Arcadium pecus non progreditur, nisi frequenti verbero ad prosecutionem viæ adigatur: haud secus ab Musarum alumnis, alioque quocunque demum hominum genere, nil bonæ frugis exspectandum scitote; nisi stylo ulmeo sæpius tergum conscribatur; nisi latus sæpenumerò proscindatur, nisi virgarum, ac flagellorum crepitante fragore, otium iners ab eorundem animis exterminetur. Et veluti terra vomere, ac burre non probè subarata, iterata, tertiata, lolium, urticas, tribulos: & id genus alia protrudit: ut aquæ decursu perenni carens, stagnansque in colliciis, & in cilibus, resolvitur in putredinem, ac noxios vapores: ut ferrum in xyphotheca delitescens rubiginem contrahit: atque exesâ acie hebescit: ut demum Serum vellera longioris temporis intercapedine in arca, scriniove conclusa, teneis, ac

ac blattis cedunt in escam, ac nutrimentum: haud, aliter prima ætas in pulvinis, ac stragulis otii, mollibúsque desidiæ brachiis enutrita, putri tabescit mephiti; æruginem morum contrahit, rubos, ac dumos vitiorum animæ solo inserit, & à teredine, cossòque vitiorum miserandum in modum absumitur, ac devastatur. Et erit etiamnum quisquã vestrum, qui hac putredine eligat vitiari, his sentibus vulnerari, hac rubigine corrumpi; hac mephiti redolere, hac peste afflari, affricari: Ec quis rei domesticæ gnavus curator adeò muneri suo indormiat; qui vel in extremo domûs angulo serpens contagionis malum patiatur degere, à quo in suos, ac vicinos haud dubia pestilitas propagetur: Et nos otii, atque inertiæ luem in urbes, ac literarum palæstram segnem gradum inferre sustinebimus: Averruncent hoc pestilens malum Superi, & reses vitium elisis ab alto ignibus, ad sceleratorum sedes, flammásque perennes ablegent. Utinam regnorum Præsides ex urbibus, Literarum moderatores è Gimnasiis, exosam Divis, hominibúsque socordiam sinè mora proscribant! næ illi boni publici satagentes audient apud omnes ęquos rerum æstimatores.

EXEMPLA Ab hoc facto, nè exemplis desimus non sinè laude æmulandis, ab hoc inquam facto, immortalem apud posteros sibi famam compararunt Amasis Ægyptiorum, Draco Atheniensium, Lycurgus Lacedæmonum legis latores; qui in segne otium pœnam capitis fulminârunt Extolluntur laudibus ob ejectam è patriis ædibus socordiam Spartani Patres; quod liberorum suorum masculæ fortitudini, publicæ admotis verberibus præluserint, & laceros, ac semianimes, ad victoriarum, patrięque felicitatis omnia prępararint. (a) Non possum non approbare Lacenarum consuetudinem, quæ ut plumarum odium, & delicatę nauseam inertiæ suis prolibus ingenerarent, vix luci datos in duros progenitorum clypeos reclinabant [b] Eandem ob rationem merita commendatione sunt prosequendi insularum Balearium indigenæ, qui filios suos inedia eò macerabant.

[a] *Lucian. in serm. de Gymnasiis.* [b] *Plut. in Lacanar. apophi.*

rabant; dum panem, quo vescerentur, funda, & arcu sibi compararent. (c) O si in pravum ætatis nostræ desidiosè vivendi usum, ritus accederent Gymnosophistarum, qui neque ad delicias, neque ad cibatum vitæ prærogandæ necessarium quemquam admittebant, qui eum honesti laboris exercitio præviè meritus non fuisset. (d) Huc facit ad prudentiæ leges conformata Sinensium respublica, quæ neminem prorsus sustinet feriari, cassos etenim visu ad pistrinum deducit, ex pedibus verò unde unde tandem laborantes, ad manualem operam impellit. Cæteros pro cujúsque viribus, ac facultate, appositis laboribus distinet: ut eorum respublica apiariæ, aut formicariæ non absimilis esse videatur. [e] Haud dispar olim fuit in florentissimo urbis Romanæ statu, præter ea, quæ pro argumento dicendorum assumpsimus, recepta, sancitáque lege consuetudo, ut nemini in publicum Romæ prodire licuerit, nisi insigne secum deferret artis, quam factitabat, & qua victum quæritabat. Quòd si verò quis morem sapienti decreto non gessisset, puerorum per vias insequentium probrosis clamoribus, ut fatuus incessabatur, & è vestigio à Censore in ergastulum operi faciundo addicebatur, (f) Ejusmodi plebiscitum sanxit olim Pisistratus Rex Atheniensium acerrimus osor hominum segni otio diffluentium. Hic cùm subinde per urbis forum iter faceret, ac per illud curiosius oculos circumferret; objecêre ei se non pauci, manibus in terga rejectis, desidiæ indulgentes. Hos continuo ad se jubet accersiri, edicitque, si nec boves, nec sementem haberent idoneam laboris materiam, de caula regia, ac promptuario acciperent, terrámque colerent in suum, ac regni emolumentum. Nec abs re opera distineri voluit homines otio vacentes, cum justa fuerit actus formidine, nè aut insidias vitæ regnanti struerent, aut in rapinas, aliáque nefaria scelera, Duce socordia, prolaberentur. (g) Ita nempe

O malo-

(c) *Alex. ab Alex. lib. 2. c. 25.* (d) *Cal. lib. 11, c. 1.* [e] *Jarricus tom. 1. rer. Jud. lib. 4.* (f) *Plut.* [g] *Ælian.*

malorum omnium eſt ſeminarium remiſſio à labore. Quod ut Veritatis æternæ tabulis, aliiſque veterum monumentis comprobatum eamus, paucula quædam laconicâ brevitate damus. Et nè per remota à noſtra cognitone duci videamur: Quid Samſonem fortitudinis prodigium, verúmque in terris Herculem, adcò ignominiosè vinxit, ac vicit? vinxit ac vicit iners otium. Quid regio Vati ptopudioſam ſceleris maculam, nullis ſæculorum laboribus diluendam inuſſit? inuſſit deſes odium. Quid illud humanæ ſapientiæ portentum Salamonem in profundum adeo vitiorum barathrum deturbavit, deturbavit iners otium. Quid Alexandrum Macedonem orbis domitorem maximum tandem fregit, ac debellavit, fregit, debellavit ſegne otium. Quid indomitum illum nivibus, atque Alpibus virum Hannibalem, Romanæque Urbis terrorem tandem fædè enervavit; enervavit molle otium, Quid demum ipſam adeo Romam gentium dominam tanto laboris impendio per ſæcula in flore, & rigore conſervatam tandem vaſtavit, ac evertit? vaſtavit, & evertit execrabile modis omnibus otium, & intermiſſio ab opere glorioſo. Adeo nempe animo, omníque regno longè maxima otium eſt jactura.

TESTIMON. In rei hujus veritatem bene cecinit Veronenſis Poëta Valerius Catullus:

Otium Reges ſimul & beatas
Perdidit urbes [h]

Audiamus diffuſius ſuper hac re Annæum Senecam ità diſſerentem. *Appium Claudium crebrò ſolitum dicere accepimus, negotium populo Romano melius, quam otium committi: non quòd ignoraret, quam jucundus tranquillitatis ſtatus eſſet, ſed quod animadverteret, præpotentia Imperia agitatione rerum, ad virtutem capeſſendam excitari, nimiâ quiete in deſidiam reſolvi. Et ſane negotium nomine horrendum, civitatis noſtræ mores in ſuo ſtatu continuit, blandæ appellationis quies plurimis vitiis reſperſit.* (i) Hinc & Cleomenes rogatus, cur Lacedæmonii Archivos hoſtes ſuos internecioni non darent, repoſuit: (k) *eos ſunt juventutis noſtræ*

(h) *Od. ad Lesb.* [i] *lib. 7. tit. ſapienter dicta.* [k] *Val. Max. lib. 2. de inſtit. antiq.*

nostræ. At quæ de otii genio Orthodoxorum Patrum est sententia? Hoc enimverò *maleficii principium* est Basilio, (l) *omnium vitiorum radix* Chrysostomo, [m] *rubigo sapientiæ, & ingenii* Hieronymo, [n] *mater nugarum, & noverca virtutum* Bernardo. [o] Horum mentem fusius explanans Augustinus ita inquit: *per otiositatem accendimur frequenter ad luxuriam, per hanc animamur ad superbiam, per hanc ducimur ad mundi gloriam, per hanc tentamur ad delicatè pasci, & pretiosè vestiri, per hanc ad superfluam dormitionem trahimur, per hanc ad verba sæcularia ducimur.* Ac tandem cluasulam facit. homini ad leges Christianas formato jure exhorrescendam: *nunquam quis civis cælorum erit, si otiositatem amaverit.* [p] His accinat universis, sui, nostrique temporis calamitatem ex otio profluentem, versu tereti, eóque epico ita describens Poëta.

Hæc est curarum genitrix exercita nullis
Artibus, officii nullo laudabilis usu,
Segnities inter socias nutrita Megæra,
Doctáque languores animi, luctusque magistra,
Sola sedens, oculosque solo defixa malignum,
Crispa supercilium pallens, impexa capillos,
Phthiriasim patiens, scalpit caput unguibus uncis.
Os immunda, manus illota, cadente salivâ.
Barba madet, pluit imbriferis de naribus humor,
Debilis, & longo pendens in pectora dorso.
Fauce tumet, levat augusto sub pectore ventrem
Vtris ad exemplum, morbique intercutis instar.
Crus exile genu surgens, perpinguis, & amplus.
Tardat iter, gravibusque dolet junctura podagris.
Hæc fera feralis, sanctæ fastidia vitæ
Ingerit, & tardos ad clara negotia sensus
Somnifero languore premit frigentia corda
Involvit gelido densæ velamine nubis.
Nil nisi terrenis haustum de facibus unquam
Cogitat, annales veterum, dubiámque futuri

O 2 *Temporis*

[l] *in regul.* (m) *super Gen. hom.* 14. (n) *epist. ad Demetr* (o) *super cantica.* (p) *serm.* 16.

Temporis ignorat sortem. (q)

Plures, quos canit hic vates, non libet mihi referre modulos, nè fædus otii iconi sinus, in fastidium quemquam adducat. Unum pro coronide testimonii adhuc usurpare liceat Romani sapientis effatum: *in otio inconcusso jacere*, inquit ille, ***non est tranquillitas, malitia est.*** (r)

EPILOGUS. Quod cùm veritati consentaneum esse nemo ambigere valeat, ecquis ità à mente, atque à se discesserit, qui socordiam tot malorum causam, ac germen scelerum radicitus non vellat, ac exstirpet? Quis tot noxarum incentricem, superfuso diligentiæ flumine continuò non restinguat? Quis animi, corporísque pestem, cane pejus, & angue non refugiat? Quis denique ità à ratione aversus est, qui laudabili Romanorum lege, non illico multet exilio desidiam, facilè in urbes, ac animos irrepentem? Quamobrem agite, quod recta ratio, quod natura, quódque DEUS ipse districtè præcipit, & repudiata ex urbibus, ac animis vestris desidiâ, excussóque omni veterno, assiduitatem operis, & gnavum comprimis in literarum emporia studium è vestigio revocate. Atque ità futurum scitote, ut è scholâ stice pulvero olim in apricum prodituri, clarissima scientiarum luce omnia collustretis. Provolabitis è gymnasiorum palæstris, in Provinciarum, regnorúmque tutelam periculis fortes, in sustinendis constantes. Erumpetis è Musarum domiciliis, in rerum publicarum incolumitatem, in curiis consularii, in foro, & tribunalibus arbitri, in rebus omnibus pacem, ac tranquilitatem regnorum spectantibus, prudentes, ac gnavi curatores. Quare melioribus iísque potissimum literariis rebus, qui etiamnum sapis, distineare, Nec magno hic admodum molimine, impendióque opus esse scias. Insuesce labori, ac industriæ, abibit in naturam. Fœcundum nimirum animorum est solum: bonam immitte sementem, fructus respondebit, cui accrescet gloria nominis, famáque immortalis, ad perennem posterorum memoriam transmittenda.

***

CHRIA

(q) *Baptista Mantuanus lib.* 1. *Parathem.* (r) *epist.* 68.

CHRIA IV.

Michael Palæologus Imp: Andronicum germanum ſuum ab regni ambitione avertere molitur.

Niceph. in hiſt.

EXORDIUM. NEmini veſtrum, ut opinor, AA. dubium, controverſúmque eſt, adeo Imperia, ac regnantium dominarum orbi dirigendo eſſe neceſſaria, ut ſinè illis nec domus ulla, ut civitas, nec ullum genus hominum, nec univerſa rerum natura ſuo in vigore conſiſtere valeat, ac confirmari. Quod Siderum Ille Imperator eſt ſubjecto aſtrorum vulgo; quod navarchus eſt fluctuanti in Oceano navi, quod anima corpori, hoc regnis, hoc provinciis, hoc reipublicæ Principem eſſe eſt neceſſe. Deficiat ab innato ſibi lumine ſereniſſimus ille mundi oculus, negétque lucis officium mundo, claritas ab aſtris, à terra, ab omnibus recedat. Deſinat claſſis moderator, inter fluctus decumanos maríſque æſtum, vela, & clavum ritè gubernare, exitio proxima navis jactabitur, & vel ſcopulis illiſa, vel ſyrtibus affixa, aut vorticibus hauſta interibit. Tolle vivificantem ſpiritum corpori, ruet exanime, ac fœdum cadaver, & in nativum ſui pulverem reſolvetur. Tolle compaginato ex membris corpori ſupremum capitis dominatum, & illico repugnantibus genio ſuo artubus, exardeſcet ſeditio, ac bellum inteſtinum, impuníſque membrorum licentia, non ſinè pernicie, & exitio capitis obtinebit principatum. Ita enimverò à natura comparatum eſt, ut nulla membra ſinè capite, nullum corpus ſine anima, nulla navis ſinè nauclero, nullum aſtrum ſine ſole, nullum regnum ſine Principe, communi omnium ſententia, ſubſiſtere unquam poſſit, ac ſtabiliri. Verum enim verò infeliciſſimam illam regnorum conditionem, quæ ſola duntaxat nominis prærogativâ alit Principem, quę caput veneratur ſinè capite,

 quæque

quæque inter frementes negotiorum fluctus, navim reipublicæ minus experto naviculario tradit gubernandam. Qui ad clavum sedet Imperii, aut regere sciat, ut Princeps esse desinat. Haud dignus est glorioso Principis nomine, qui magis cupit præesse, quam populis studeat prodesse: nec secundum regnandi cupiditatem, sed penes amussim, & decempedam rationis, recte gubernandi metimur facultatem, Qui sola duntaxat ambitionis machinâ ad supremum dignitatis regiæ fastigium eluctatur, extollitur in arrogantiam, inflammatur in avaritiam, accenditur in furorem, effrænatur in jactantiam, crudelitatem asperatur. Quem ad regnorum majestatem, non communis boni ratio, non salus populorum, non utilitas regnorum; sed malesuada duntaxat imperandi libido pellexerit, næ ille jura proculcabit lites suscitabit, opprimet veritatem, fovebit mendacium, quæstui inhiabit, vendet æquitatem, versutias concinnabit, fortunis aliorum invigilabit, subditis onerosus, omnibus invisus, præceps, gravis, importunus Et ab hac malorum iliade, impotentem regni ambitum consequente, pro germana in te benevolentia, ac amore, te statui hodie dehortari. Non capiunt, ut sine fucis, & legis tibi mentem meam exponam, non capiunt angustiæ pectoris tui, non recipit ætas ista, non egestas animi, non infirmitas ingenii, non insolentia rerum secundarum, tantam personam, tam gravem, tam severam. Nescis, quantum fastidii secum adferat Imperium, quantum satietatis. Multos sanè esse mecum scias, qui vitam tranquillam, & à procellis invidiæ æmulantis remotam, in privatarum ædium malitia sequi malint, quàm inter rixantes adversitatum fluctus jugiter periclitari. Et quamquam id ipsum satis supérque te perspicere non ambigam: quia tamen eam ingressus es ætatem, quæ plus impetûs, & inconsultæ temeritatis habet, quam maturitatis, & consilii, ut me de salute tua, nominísque gloria curam gerere intelligas, intempestivum votum, regnandique ambitionem plus æquo in pectore tuo debacchantem nonnihil adnitar temperare. Neque id me facturum hac de causa existimes, ut singularis tibi prudentiæ meæ specimen, quod esset arrogantiæ, ostentem, sed ut

fraternæ

fraternæ voluntatis signifficationem, quod amoris,& officii ratio flagitat,palam faciam Andronico.

PARAPHRAS. Atque ut tibi ambitionis objectum, clarâ in veri luce ita exponam, ut oculis, ac pene manibus teneri possit, in ipsum Regum penetrale, quò te mali sana regnandi impellit cupiditas gradum faciamus. Et verò si detersâ ab oculo mentis falsi caligine, in pleno veritatis lumine, mendaces dignitatis regiæ colores libuerit intueri, videbis inextricabilium curarum pelagus, invidiæ ringentes castrum, fortunæ variantis ludum, labyrinthum errorum, præcipitium lubricum, palæstam periculorum. Videbis, imò sensu ipso percipies, fodicantia animum senticeta, libertate catastas, virtutis tormentum, vitiorum sentinam, ergastulum concordiæ, laborum seminarium, dolorum valetudinarium durum, ac ærumnosum. Quid quòd videbis, ac tuo experiêre damno theatrum, fraudium, scenam fallaciarum, septum suspicionum, mercatum mendaciorum, magistram simulationum, xenodochium spei jugiter dilatæ. Videbis demum imaginem inconstantiæ, follem ambitionis, timores, angores, mærores, mille discrimina, sollicitudines mille, emporium mali universi. Et tu (ô quæ illa foret dementia! in hoc malorum emporio, propria velis mala nundinari, adire discrimina, curas mordaces involare, agglomerare mærores, quærere angores, procurare timores, rumpendos brevi tecum ambitionis folles amplius tumere, & in imagine inconstantiæ adumbratam regnantum gloriam, perpetem tibi possis vanâ illusione polliceri? Itane in hoc xenodochio spei, immedicabili languore nunquam non laboribus: hæcne simulationum magistrâ te formari in perniciem nominis tui patieris? hócne mendaciorum mercatu inanibus tibi regni lucris imponi sustinebis? Ergóne inevitabili suspicionum septo concluderis? fallaciarum scenâ deluderis, & in parentissimo fraudum theatrô, non illacrymante; sed cachinnos tollente populo, & universo orbe exsibilante, mæstam, & infelicem nominis tui tragœdiam agi non perhorrescis? Quid te (per Deos immortales) allicere valet ad illud ærumnarum, laborum, ac dolorum ergastulum? in quo aureis licet vinctus catenis contabescas?

bescas? Quid foves in animo nutricem odiorum, quæ te nulli non reddet perosum? Quid te propellit ad carcerem concordiæ, in quo vera pax exulat animorum? Quid te præcipitat ad sentinam vitiorum, in qua famæ malæ redolentis hauries mephitim? Quid tuæ virtuti, in pectoris arce gloriosè residenti, violenta admoves tormenta, & libertati aureæ, quæ vitá potior esse debet, infame jugum servitutis æternaturo nominis tui opprobrio imponis? At fortè surdo intonamus. Abreptus ambitionis æstu, ad honoris vitam, ut haud vana assequor conjectura, aspiras, sed ut tumuleris: præcipitium meditaris lubricum, sed ut prolabaris: labyrinthum invadis errorum, sed ut impliceris: plenam periculis subis atenam, sed ut inter discrimina vitæ lucteris: fortunæ variantis ludum comite lætitiá ingrederis; ut fædè ludificeris: furentis invidæ castrum pennis ambitionis involas: ut livoris machina infesteris: plenis desideriorum velis moliris classem curarum pelago, ut à surgentibus sollicitudinum fluctibus obruaris, demergaris, extinguaris. O inconsulta, & præceps in tuis votis temeritas! Quid cogitas, quid moliris, quod felicitatis tuæ cymbulam, benevolis gratiarum Etesiis, tutissimóque sortis flamine hucusque provectam, irati maris procellis, & tumescentibus regnorum fluctibus committere non exhorrescas? Ah si sapis, & salutare non refugis consilium, noli, noli jactandam felicitatis tuæ proram, naufragoso regnorum Oceaneo committere, & ad portum quietis appulisti. Fuge, fuge occupatum invidiæ telis castrum, & bella æmulorum evitasti. Desere fortunæ jocantis ludibria, & de Vertumno sortis triumphasti. Pertimesce plenam periculis aleam, & securitatem tibi procurâsti. Proripe te continuò è labyrintho errorum, & à veri calle non aberrâsti. Descende è præcipitio lubrico, & sinè metu ruinæ in plano constitisti. Exhorresce funus aulicum, & longævitatem tibi procurasti. Si te libertatis catastis ultrò indueris, vinctus, captivúsque jugiter remanebis. Si te in virtutis tormenta spontè ingesseris, nunquam non indolebis. Si vitiorum sentinam hauseris, infamis famæ mephitim semper redolebis. Si carcerem concordiæ subieris, pacem animi captiva-

captivabis. Si odiorum nutricem foveris, adversarios provocabis. Si laborum ergastulum ingressus fuerit, nulla quiete, ab tranqullitate gaudebis Si in dolorum valetudinarium deducaris, squallori, ac perpetuæ mentis ægritudini subjacebis. Quid? necdum theatrum declinabis fraudium, quibus assiduè fallaris? necdum Syrenos fallaciarum devitabis, à quibus perfidè capiaris: necdum è suspicionum erumpis septo: à quibus ignominiosè concludaris: necdum deseris mercatum mendaciorum, quibus vacuam gloria mercem nundineris: necdum repudias simulationum Magistram, à qua in veritas fraudes erudiaris; necdum te subducis à sollicito spei xenodochio, in quo cum desperationis termino confliceris, Non capiat te, oro, atque obtestor, imago inconstantiæ, gloriæ umbris duntaxat adumbrata. Ne te inflet tumidi ambitûs follis, solo aëre vani nominis turgescens. A versare laboris, & doloris supplicia mœrores absterge, sarcinam curarum excute, & ex illo universorum malorum emporio gradum expedi ad æternaturam placidissimæ sortis tranquillitatem.

CAUSA. Ad hanc optatissimi statûs beatitatem, votis omnibus tibi aspirandum esset, ni cæcus regnandi ambitus, mentis oculos fascinasset. Alia caligantibus oculis deludente fuco exhibentur, alia sano lumini, rei veritatem intima speculanti. præsentantur. Quamobrem ut adulterinos regni colores, fallaciter tibi imponentes, penitus aboleamus, fastidiúmque regni tibi ingeneremus, en nuntia palam, quæ tandem rationum momenta acrius te impellant, ad insatiabilem regnandi cupiditatem: An animi fortasse quietem tibi perrennaturam polliceris, nihilominus. Imò si quæ in pristino statu fuit, ex integro disperiit. Quæ enim ibi securitatis, & quietis otia inventurum te existima, ubi cæcus populorum furor, & perduelles subjectorum iræ suum jugiter exercent dominatum: Næ aliam de hac regii statûs quiete tuleris sententiam, cum omnium somnos tua vigilia tueri cogetur, cum omnium otium tuus labor supplebit, omnium delicias tua industria compensabit, omnium vocationem tua occupatio sustinebit, & in te unum populi sarcinas labante humero transferre debebis. Et etiam-

num solium scandere menditaris ? In equuleum pariter, & crucem in ascensus. Vepricosi, & lubrici sunt humanorum gradus ascensuum : tremulus vertex. præcipitium horrendum : ægrè ad summæ gloriæ fastigium ascenditur ; anxiè illic consistitur, & identidem gravis ruina formidatur. Et licet entitatis ad regium tribunal : aliquid in eo pituri honoris reperies, quietis nihil. Quo die primum augustam throni adieris Majestatem, parentem omnibus injuriis, ac judicis scopum attigisti. Neque in eo sedebis, ut gloriosus duntaxat sedeas, sed ut ad omnium necessitates, servus boni publici te inclines. Quodque longè accidet durissimum, ingratis, & iniquis rerum æstimatoribus laborabis. Erunt, qui omissis rebus suis, in te figant malevolentiæ oculos, te notent, de te ferant sententiam. Erunt, qui mores tuos arguant, verba distorqueant, famam lacerent, vivendi rationem carpant, & quidquid usquam mali evenerit; ex te veluti è fonte emanare proclamabunt. Estne tanti eburneum, aureúmque solium; ut famæ pretio quæri debeat ? Quod si tamen adhuc specioso nomine Imperantis teneris: cognita, clarissimum esse nomen, rem obscuram. Sed regnis, ac populis dominaberis ? Satius pastor trigridum, ac ursorum esse deligas. Possunt mansuefieri corda ferarum, hominum vix, aut rarò mitigari. Minantur feræ, antequam feriant, odia hominum improviso erumpunt. Verùm alia longè, ut colligere nobis fas est, regia tibi persuadet potentia, qua populos ad quietam regni possessionem subjiciendos confidis. Non inficias imus, magnam esse Imperantibus potentiam; sed & invidiam magnæ potentiæ comitem jugiter adjungi, nemo est, qui ignoret. Non potest diu, quæ multorum malo exercetur, stare potentia: & quò plus in alios poteris, plus alii in te valebunt. Et qui scis diuturnam tibi fore potentiam? Pudet exequi, qui mundi potentes brevi ad impotentiam, regnantésque ad infamem servitutem sint delapsi. Atque ut alia regiæ dignitatis decora, inani fulgore oculos tuos perstringentia paulisper adumbremus : noli in fucato purpuræ colore, veram tibi constituere felicitatem. Nemo enim in illo exteriore cultus nitore, sed in interno virtutum habitu

habitu Principem decente, regiam veneratur Majestatem. Quid te allicit muricis splendore illita vestis, aut potius tincta veneno, quod pisces evomunt? Dignius affundit pretiosa virtus viros animo colores, oculos Divorum recreantes. Abjice una, si sapis, sceptrum, ac diadema, fulgidas compedes, ac gravissima pondera regnantûm. Quid coronarum onus tam avidis desideriis vertici tuo inclinari exoptas? An non acerba fronti tubera, & cicatrices, notásque purpureas imprimunt? Non ad splendorem inventum esse regium sertum scias: necessitatis est vinculum, ut tegat vulnera curarum altissimè capiti impressa. Quæ si in plena veritatis luce mortalibus paterent oculis, non toties uno de solio duo litigarent; sed plura essent regna, quàm Reges

CONTRARIVM. At alia longè tibi de regna, dignite insidet opinio; quâ umbras falsæ gloriæ non desinis consectari. Persuasum enim habes penitùs, ut non vana lego conjectura, Principum Augustale, virtutum esse orchestram, sapientiæ Athenæum, æquissimum Astreæ forum, pacis templum miserorum asylum; portum naufragantium, gratiarum Oceanum, terrestre cœlum, orbis paradisum, patriam Zephyrorum, florum viridarium: dulcissimam animorum harmoniam. Verùm quàm palmari deludaris errore, paucis te edocebo. Nam ubi autumas virtutem regnare, vitium triumphat: ubi sedere sapientiam, residet ignorantia: ubi æquitatem regere opinaris, dirigit iniquitas: ubi pacis teris otium, intonat Mars classicum: ubi reputas miserorum asylum, pauperum exilium: ubi portum naufragantium, sunt Syrtes fluctuantium. Ubi cœlum tibi spondes radiare, ibi Erebus tenebrescit: ubi Minervæ theatrum, ibi segnities stupescit: ubi florum viridarium, sentibus horrescit: ubi animorum quæris harmoniam, discordia insolescit. Abi ergo abi, si ita lubet, ad hunc ludum harmonicum, in quo discordatum melos per sonat ad horrorem, in quo immeriti à profundo in altum sublimantur, meriti ab alto in imum deturbantur. Ingredere æmœnissimum scilicet florum viridarium, deliciosa opinione tua, regnorum Tempe; sed metue vulpes, quibus deludaris; leones, quibus lanieris, tigrides, quibus propines

propines sanguinem, Pardos, qui fortunam tuam depascentur. Proficiscere ad illam leniter spirantium Zephyrorum patriam; sed in hac turbulentissimas animorum tempestates in te concitabis, pulvereámque nubem in oculos tuos glomerabis, nè sereno intueri valeas oculo Æoliam tumoris in animo tuo debacchantem. Alliciat te putatitius ille orbis Paradisus, & virore spei, favorúmque fragrantia attrahat ignarum: sed noveris sub explicata foliorum irride, virulentem latere viperam, toxico livoris insidiantem, ut incautus odorem attrahas, & una curiosis naribus mortem, famæque haurias interitum. Sit tibi regnum sit terrestre cœlum: at cavesis, nè in Tartaro commoreris. Regnat enimverò inibi Pluto raptor Proserpinarum; Minos condemnat justitiam, & absolvit delictum, Charon pro naulo aureo projicit animas in navim desperationis; Cerberus triplici ordine dentium accedentes dilacerat; Tisiphone è sulphureo pectore, livore suffuso, pestem vomit, ac odium, ipsáque fumans Chymera alienæ luci tenebras offundit. Vide proinde, ac cave, nè te comprehendat Styx irarum Lethe ingratitudinis: Cocytus dissimulationis, Phlegeton superbiæ, Acheron sævitiæ, & insidiosæ persecutionis. Age sis, & pro tuo arbitrio vela facias in hoc gratiarum Oceano, in quo Sirenes abblandiuntur sed quæ Principes incantant: in quo balænæ colludunt, at una spem multorum avidè glutiunt: in quo navarchi sedent ad clavum reipublicæ, mergentes rivalium felicitatem. Putatur domus augusta portus esse naufragantium, sed in quo haud pauci ad decumanas fortunarum procellas ejiciuntur. Aperitur miserorum asylum, sed in quo securitas iniquo crimine adimitur. Pacis templum reseratur, sed in quo intestina multorum bella excitantur. In hoc æquissimo, è sensu tuo, Astreæ foro, juris ordo, & sacrosancta legum instituta, impio ausu evertuntur, clementia in crudelitatem asperatur, fides eliminatur, perfidia inducitur, & informis forma per summum nefas justitiæ adaptatur. In hac demum, ut arbitraris, illustrissimarum virtutum orchestra, omni genorum vitiorum Monstra grassantur, dominantur. Est inibi, ut paucis comprehendam plurima, via lubrica, præci-

præcipitium abſconſum , navigatio periculoſa, quæ inter ſcopulos, & brevia, inter nimbos, & turbines, inter procellas, & crudeles pyratas dubium portum præſtolatur. Apparet in ſerena Principum Regia lux, ſed quæ langueſcit: flamma, quæ extinguitur: Sol: qui eclypſatur: Luna, quę mutatur: cœlum, quod obſcuratur. Effulget felicitatis ſtella, ſed quę evaneſcit: umbra: quæ fugit gloria, quæ occidit: flumen, quod amaris undat lacrymis: gaudium, at fugitivum: abundantia, ſed inops: inopia, ſed dives: potentia, ſed limitata, ſalus, ſed infirma: quies, ſed cum bello implacabili cum mille inſidiis, mille periculis, malis malorum propè infinitis.

SIMILE. At quid ego per congeriem tot rerum inter ſe pugnantium prolixius diſputo? ad parabolica tranſitum facere lubet; quibus dictorum veritas luculentior evadat. Et primùm quidem per ingenioſæ Poëtices commentum, præſens argumentum non incongruè adumbraro. Neminem veſtrum fugit, juvenilis illa Phaëtontis temeritas; qua ab Sole, illuſtriſſimo ſuo progenitore, fieri ſibi poteſtatem ardentibus votis flagitavit, paterni, flammeíque curriis unius diei ſpatio per campos cœlorum regendi. Attonuit hæc inconſulta petitio parentem, haud dubiam filii ruinam ſapienti animo proſpicientem. Quare difficilior in vota filii, expoſiteque periculi magnitudine, juvenem ab voto temeritatis pleno nititur revocare. Sed iterat Phaëton preces, ambitionique ſuæ non levia adſtruit argumenta. Quid hic ageret emollitus illecebris filii Pater, facit ei copiam, æſtuantem ignibus quadrigam conſcendendi. Lętus hac facultate temerarius pubes, continuò pedem infert vehiculo, longoque itineri ſe adornat. Jámque per ampla cœlorum ſpatia ibat ſublimis curru, non ſinè plauſu, & geſtientis animi ſignificatione. Sed dum imperitus eſſedarius, plus ęquo frena laxat equis; refractari illi, & à regia via devii, tranſverſum agunt ciſium, domaríque porro non ſuſtinentes, fúſque dèque feruntur, aëri, montibus, terreque flammas injicientes. At quę fata ambitioſum, projectúmque manent Phaëtontem? Quæ ut plurimùm æſtu humanæ gloriæ ferventes comitari aſſolent

lent thrasones Supremus quippe Deorum Rex temeritatem illius eliso plectit fulmine, & in Eridanum agit præcipitem, ambitionis æstrum superfuso flumine attemperaturus. Ac ita, quemadmodum immodicus hic gloriæ ardelio, sibi, terrisque grande malum intulit; non secus ii, qui in regnorum fasces, & imperia temerariam injiciunt dexteram non rarò se, ac subjectum sibi populum, fœdam agunt in ruinam. Væ regno, quod regendi nescius intempestivo sibi arrogat consilio, suo, atque aliorum casu An. injuria ejusmodi gloriæ aucupem, tractandisque regni insigniis minus idoneum, puerili sorti æquipararo? Ut enim parvuli fallendi temporis gratia, papilionem per aëra volitantem, avidissima cura, ac studio aucupantur, dúmque sæpius spe sua delusi, sublatis in cœlum oculis, hunc alatum vermiculum insequuntur? in scrobem delabuntur, sibi malum corporis per ludum accersentes: haud aliter nonnulli hominum, omnia ad dignitatem referentes, dum oculos suos erigunt ad honores in alto positos, eosque, rerum suarum non satagentes, die, noctéque studiosè sectantur, aut in Scrobem à Libitina apparatam præcipites feruntur, aut in alia graviora delabuntur mala, sibi, atque suis perniciem afferentes. At satius ambitionis æstum, per tempestuosum mare forsan explicarim. Ut enim pelagus altâ pace quietum, stratúmque jacet; dum ventorum rabies conquiescit: cúm verò pleno furore mare invadunt, assurgere faciunt in procellas; attolli in montes aquarum, iratoque æstu effervescere: pari ratione animus malitia gaudet, & tranquillitate, quoad usque Æoliam arcet tumoris, at ubi Aquilo, vel Caurus ambitionis præcordia subit. pérque mentis cogitata grassatur, omnia súsque déque permisceri est necesse. Et etiamnum in hoc ambitionis mari jactari velit Andronicus?

EXEMPLA. Equidem sic existimo, si hæc, & alia veritatis pondera, ad æquabilem rationis stateram, ut par est exigeres, omnem ambitionis tumorem non tam è vestigio poneres, quàm odio plusquàm vatiniano insectareris. Quod cùm vis, facultásque nostra dicendi à te minimè impetrare valeat, æquissimorum juxtà, ac sapientissimorum

rum virorum exempla forsan poterunt extorquere. Quamobrem adverte sis animum ad ea, quæ Imperantiûm de regno fuerit sententia; ut aliena doctus experientia, maturè consulas tuæ felicitati. Exsurgite proinde è fatali tumulo vestro Latii Principes, mundi Domini, & interrupta tantisper quiete [si quæ tamen etiam post fata conceditur) ad hanc orchestram veritatis gradum expedite mortualem. Quod cùm vos non invitos agere facili conjectura auguramur; quæpiam ex vobis liceat in præsentiarum sciscitari. Dic, amabo, Augustissime Cæsarum Auguste, in quem Dii plura, quàm in ullum alium Romanorum Principum contulêre, an non quietem tibi, & vacuum à reipublicæ curis otium identidem flagitasti? ita sanè. Et cùm omnia videres á te uno pendentia; qui hominibus, gentibúsque fortunam dabas, illum diem, teste vitæ tuæ scriptore cogitabas felicissimum, quo magnitudinem tuam exuere valeres. Expertus enimverò apprimè fueras, quantùm illa bona per omnes terras fulgentia sudoris exprimerent, quantúm occultarum sollicitudinum afferrent. Quæ tum erat tibi mens, quæ sententia, cùm manus conserere debuisti primùm cum civibus, deinde cum Collegis, novissimè cum affinibus, & terra, maríque plurimum sanguinem effudisti? (a) Edissere Romanorum Cæsarum gloria Juli Cæsar, qui Galliam omnem decennio subegisti; Alemanniam maximis cladibus affecisti, & ne crambem victoriarum tuarum erudiris cognitam recoquamus, de toto probè orbe triumphâsti, Edissere, inquam, quid reflante fortuna, de Principatûs tui eminentia censuisti, quum Bruti, & Cassi conjuratione, tribus, ac viginti vulneribus in senatu immaniter confodereris? [b] Tum profectò, quantum nobis assequi datur, clarissimè perspexisti; sub unum fortunæ ictum, totas regni moles momento corruere, & sæpe inter fortunam maximam, & ultimam nihil interesse. Quid tu Magne Pompei, tot victarum gentium titulis tumide, tot relatis ex Oriente triumphis elate, quid de regnandi potestate judicasti; cum ad extremum, verso fortunæ Zephyro, devictus à Julio Cæsare in campis Philippicis, propudiosâ fugâ in

[a) *Seneca de brevit. c. 5.* [b) *Plut. in Bruto. & Casare.*

in Ægyptum te recepisti, & ab hospite Ptolemæo cujus fidei te commiseras, perfide esses interemptus? (c] An non luce meridiana clarius tùm perspexisti; nullam esse longam potentiam, summísque negatum esse stare diu:nec regnum esse, cui non paretur ruina, ac proculcatio, & sæpe momentum esse inter solium, & genua aliena. Id tibi probe compertum fuisse affatim testatus, es clari nominis Diocletiane, qui dimissumu ultrò ad Imperium revocatus, sprevisti opes turbidas, ancépsque fastigium, & quæsitum ab aliis, quærendúmque tot molestiarum impendio, in tantum exhorruisti, ut philosophicè, gravitérque cum amicis jocans, oleribus, quæ in hostulo tuo, privatus tibi ipse plantaveras, posthabendum censueris. (d) hujus sapienti rerum caducarum discerniculo non aberrasti Antigione, qui baucidi mille rugis implicato silicernio, felicitatem tuam prædicanti: reposuisti non minùs sapienter, quam veraciter, inquiens: Mater si scires, quantum malorum ferat hoc vinculum, diadema ostendens, ne quidem (sit venia auribus) è sterquilinio illud levares. (e) Nec id mirum cuiquam videri poterit, qui saniore mente intelligit; tanta bona cum labore possideri, cum invidia conspici. eosque ipsos, quos exornant premere, non sinè acerbissimo sensu doloris, imò plus minari, quàm prodesse. Multos enim timeat est necesse, quem multi timent. Ita quippe natura comparatum est, ut quod alieno metu magnum est, suo non vacet. Te hic ego in luculentam hujus veritatem adpello Tiberi Imperator, qui amicos sæpe numerò de Regis potestate tibi gratulantes, increpabas ut ignaros, quanta bellua sit Imperium. [f] Te appello Saturnine familiaribus dictitantem: nescitis, quid mali sit imperare. [g] Quid multis? Tenes forsitan adhuc recenti memoria potentiæ Romanæ prodigium, fortunæque olim pullum C. Marium, septenis vicibus Consulis munere defunctum, in cujus honorem populas vicatim statuas posuerat, cui thure, & vino Roma supplicabat, cujus martialem potentiam universum tremebat

[c] *Plut. in Pompejo.* [d) *Pontan. lib. 2. c. 5. de Fort. domest.* [e] *Stobæus serm.* 47. (f] *Sueton. in Tiber. c.* 24. [g) *Vopiscus in Saturn. c.* 14.

mebat, & adorabat. Non ignoras, ut opinor, quò tandem devoluta sit tanta gloria, cùm Lucius Sylla de Mario victor, perfringi illi crura, erui oculos, amputari manus imperavit, & quoties occideret, quoties vulneraret, paulatim, & per singulos artus laceravit. (h) Necdum effluxisse animo tuo existimem Darium Persicæ potentiæ miraculum; qui triumphali essedo haud ita pridem triumphantis in morem devectus, Deorumque honoribus à suis cultus, nullâ externâ ope admota, captivus servorum suorum, in sordidum vehiculum pellibus undequaque contectum impositus, aureis tamen in probrum compedibus vinctus, sævissimè trucidatus est, nova ludibria subinde excogitante fortunâ. [i] Sed nè Dionysium Siciliæ Regem prætermisisse silentio videamur; ejus mentem de excelsa Principum gloria, & felicitate paucis accipe. Forsan Damocles aretalogus, palpum Regi obtrusurus, & ad gratiam ejus locuturus identidem beatitatem ejus præconio efferebat. Hujus agathoniæ cantionis ut palinodiam caneret serviens auribus parasitastes, jubet eum in sedili purpura instrato, ponè mensam opiparis dapibus instructam, collocari. Divorum vitam hoc Dionysii favore adeptus sibi videbatur assentator. At ubi è laqueari aureo nudum ensem è seta equina pendulum capiti suo imminere conspexit, pallere, timere, exsternari, atque inde haud obscurè colligere, quo in metu, ac discrimine Reges versarentur, quámque omnes eorum deliciæ, formidine imminentium malorum corrumperentur, (k) Ita nempe nunquam est tuta inter mortales Regum felicitas. Et adhuc te impotenter regni ambitio stimulabit? Adhuc tantarum molium ruinæ te ab Imperantûm fastigio non deterrebunt? Ah pone tandem pone ambitionem regnandi, & fragilem Regum potentiam generoso pede proculca.

TESTIMON. Id te facturum minimè ambigo, si testibus longè probatissimis, & hucusque dictorum veritatem confirmantibus, benevolas lubet aures præbere. Et comprimis Romanus Sapiens ita te affatur. *Relinque ambitionem,*

[h] *Sen.lib.3.de ira c.*18.(i)*Curt.lib.*5.[k] *Athen.lib.6.c.6.ex Timæo.*

nem, timida res, vana, ventosa, nullum habet terminum tam solicita, ne quemquam ante se videat, quam ne se. Vides autem quam miser sit is, cui invidetur, & invidet, & acrior est cupiditas, quo illam amplior s rei spes evocat. (l) *Ad hæc, quem invenies, cui modum Imperii satietas fecerit?* (m) *Alexander ulterior Bactris, & Indis, vult quærere, quid sit ultra magnū mare, & indignabitur aliquid esse ultimū sibi.* (n) *Tu ista credis excelsa, quia longe ab illis iaces, ei verò, qui ad illa pervenit, humilia sunt: mentior, nisi adhuc quærit ascendere. Nam istud, quod tu summum putas, gradus est.* (o) Hæc ille non uno in loco. At dices cum Nasone;

Major sum, quam cui possit fortuna nocere? (p)

O magni [inquit rursum Seneca] *in vestris rebus nec cogitatis, quot casus undique immineant, jam jámque pretiosa spolia laturi.* (q) Cogitate quæso, ut *præcipites Regum casus fortuna votat.* (r) *Audin circa regna tonat* [s] *Periculosum certe est grande Imperium, & difficile est continere, quod capere non possis*, ait Curtius. (t) Etheu!

Quisquamne regno gaudet? O fallax bonum,
Quantum malorum fronte quam blanda tegis! Sen. in
Quid me potens fortuna, fallaci mihi (Oed.
Blandita vultu, sorte contentum meâ
Alte extulisti, gravius ut ruerem edita
Receptus arce, totque prospicerem metus?
Melius latebam procul ab invidiæ malis
Remotus, inter Corsici rupes maris;
Ubi liber animus, & sui juris mihi
Semper vacabat, studia recolenti mea. Sen. [u]

Fuge, fuge itaque: *venenum in auro bibitur.* (x)

Aurea rumpunt tecta quietem,
Vigilesque trahit purpura noctes. (y)

Nec invideas alte stantibus. *Quæ excelsa sunt, prærupta sunt.* (z) *Sequitur vertigo prærupta cernentes.* [aa] *Exanimantur*

(l) *epist.* 86. [m] *lib. 7 de benefic. c. 7.* [n] *lib. 5. quæst. nat. c.* 18. (o) *epist.* 118. (p) *lib. 6. Metamor.* (q) *de beat. vit. c.* 26. (r) *in Agamem.* (s) *in Hyppol.* (t) *lib. 7.* (u) *in Octav.* (x) *in Thyest.* [y] *in Oed.* (z) *Sen. de tranquil. animi.* (aa) *lib. 2. de ira c. 2.*

mantur, & trepidant, quoties despexerint in illud magnitudinis suæ præceps. (bb) *Multi sunt, quibus necessariò sit hærendum in fastigio suo, ex quo non possunt nisi cadendo descendere. Sed hoc ipso testantur, maximum onus suum esse quod aliis graves esse cogantur.* (cc) Ità rursum sapiens Romanus. Liceat mihi proinde exclamare:

O regnorum
Magnis fallax fortuna bonis,
In præcipiti, dubioque nimis
Excelsa locas! Sen. (dd)

Atque inde vos ô magni

Ponite inflatos, tumidosque vultus.
Quidquid a vobis minor extimescit,
Major hoc vobis Dominus minatur.
Omne sub regno graviore regnum est. Idem. [ee]

An non enim ex mente Curtii cernitis, *quotidie sub unum fortunæ ictum totas vires regni cadere,* [ff] Accedit, ut inquit Salustius, *maximo Imperio maximam curam esse.* [gg] Audi Thyestem:

Dum excelsus steti.
Nunquam pavere destiti, atque ipsum mei
Ferrum timere lateris. Sen. in Thyest.
Nunquam placidam sceptra quietem,
Certumve sui tenuêre diem.
Alia ex alia cura fatigat. idem [hh]

Adeò ipsa magnæ felicitatis tutela sollicita est. [ii] *Potentissimis sanè, & in altum sublatis hominibus excidere voces audies, quibus otium optent, laudent, omnibus bonis præferent. Cupiunt interim ex illo fastigio suo, si tuto liceat, descendere.* [kk] *Cogitant varios casus, & in sublimi maximè lubricos tum appetita formidant, & quæ illos graves reddit, gravior ipsis felicitas incumbit.* [ll] *Deprehendemus sanè in ipso invidioso fastigio suo trementes, & attonitos, longéque aliam* de

P 2

(bb) *epist.* 94. [cc] *de tranquil. ani. c.* 10. (dd) *in Agamem.* [ee] *in Thyest.* (ff) *lib.* 3. (gg) *In Jugurt.* (hh) *in Agam.* (ii) *Sen. ad Polyb. c.* 28. (kk) *idem de brevit. vit. c.* 4. (ll) *ibid.*

de se opinionem habentes, quàm ab aliis habeatur. (mm) Hæc Annæus Seneca, dignus, quem totum memoriâ complectamur. Cæterum non est tanti Imperium, si rem rectè putes. *Magna ista quia parvi sumus credimus.* [nn] *Excelsa forte sunt ista, quamdiu nobis comparantur. At ubi ad universum prospexeris, manifesta est omnium humilitas.* (oo) Disce verò ò Princeps, *totum orbem terrarum pilam esse.* (pp) *Hoc est punctum, quod inter tot gentes ferro, & igni dividitur,* (qq) ut sapienter more suo præfatus author. Huic suffragatur Plinius ità inquiens: *hac est materia gloria nostra, hac sedes. Hic honores gerimus, hic exercemus imperia, hic opes cernimus, hic tumultuatur hominum genus.* (rr) *Quare*, authore Curtio, *admiremur potiùs magnitudinem animi spernentis. Macti virtute estote, qui primi intellexistis, quantò majus esset regnum fastidire, quam accipere.* (ss) Concludamus itaque cum divino Platone: *ô honorata respublica, quam multis conflictatur asperitatibus*, (tt)

EPILOGUS. Quæ cum ità sint, expergiscere tandem aliquando, & remoto ambitionis velo, operi oculos malè fascinatos, nec à falsis regnantium fulgoribus patiare tibi deinceps palpum obtrudi Inquire veram, & firmam potestatem in virtutis basi solidatam. Quid te externa juverit potentia, si domestici, & intestini vitiorum hostes animum expugnent? Vis ut potentem te fateamur, rebelles animi motiones de finibus tuis extermina, profliga. Vince iram, vince cupiditatem, vince te ipsum. Neque in solido fundatum esse censeas potentiam; quæ cum vita ipsa assiduè fundatum esse censeas potentiam, quæ cum vita ipsa assiduè mutatur. Et verò ubi hanc stabilire poteris? in arenis, ac fluctibus? in vento, an in ipsa fortunæ tota? In tota à summo in imum facilè devolvitur: in arena nunquam stabili fundamento locatur: in vento uno spiritu dissipatur: in fluctibus jugi agitatione involvitur potentia, mera in suo esse impotentia. Ad hæc circumspice, quibus regna septa sint augustiis: metiare ad decem pedam veritatis,

[mm) *idem epist.* 94. (nn) *ibid.* [oo] *Sen. lib. quæst nat. in præfat.* (pp) *idem lib. 4. quæst. nat. c.* 11. (qq) *idem ibid.* (rr) *lib. 2. hist. natur. c.* 69. [ss] *lib.* 4. (tt) *de republ.*

tis, quàm levia, & inania sint dignitatum pondera, magísque ab onere, quàm honore sui trahant etymon, ac æstimationem. Intellige, quam incerti sint exitus regnantium: cum ascendere te credideris, descensum præstoleris; cum stare te videris, lapsum pertimesce. Ah cessa porrò cessa, fallaci delusus regnorum imagine, designare tibi spes anxias: honorum bullas abjice, unico furentis sortis turbine, dum minus putas, in nihilum sui resolvendas. Ah nòli noli felicissimam conditionem tuam, cum obnoxio discrimini regnorum statu commutare. Noli fastidire, quod es, noli esse velle, quod nequeas cum laude sustinere. Quod nè vanè à nobis dictum existimes, ipsemet probè nôsti intemperiem animi tui, ac genium sæviendi, qui dirigendis regni fascibus te reddit minus idoneum, populóque invisum. Sine clementia nemo regni munia capessat. Hac qui caret regum, ne hominis quidem nomen meretur, sed coronatæ tigridis: & indomiti leonis. Id in cives Principi licet, quod in filios patri? At tu, qui frenare adolescentiæ impetum non vales, quonam pacto nomen patris implere, ut par est, valebis. Nulla unquam ad solitum tuum deferetur veniæ materia, quæ non tibi cedat in iræ, ac vindictæ argumentum. Cujus quò eris avidior, eo viliorem, infirmiorémque animi tui imaginem populo legendam exhibebis. Nihil minus Regum est, quam ultio, nihil majus, quam clementia Quemadmodum natura apum, sic hominum Reges aculeo jubet exarmari. Plebejum est delectari in subditorum vulnere, regium non sævire. Non fovit te humana sinu clementia, sed Hircanæ trigrides educarunt ad crudelitatem. Non est tutum tigridi sceptra committere. Quamobrem satiùs, atque tranquilliùs sub alieno dominatu; ad leges clementiæ efformato, vitam ages omnis periculi expertem, quam tui impotens, proximiora tibi fata accersas. Attempera itaque flammæ ambitionis æstum, beneque tecum agi existimes, si desieris esse, quod nunquam inchoasti. Cum enim dura omnium mortalium, tum durissima Regum est sors, quorum vita labori, infamiæ, milléque periculis exposita, quocunque se se verterit difficultatum scopulos, rerumque naufragia videt unde-

 quaque,

quaque. Hinc effugisse, ne miserum ducas, gaudeásque illa te perdere posse, quæ te perderent. Nè tamen omnem regnandi potestatem adimere tibi videamur, regnum tibi ultrò offerimus, regnum optimum, regnum maximum, regnum tui. Cùm poteris Rex esse tui, Regum eris maximus. Frange cupiditatem, refræna desideria, coërce audaciam, iram moderare, cæteráque animo vitia jube protinus exulare. Omnia tibi subjeceris, si te subjeceris rationi. Gloriosius existima animum suum continere, sibique tradere, quam gentes regere impatientes arbitrii alieni. Illam demum non tam privatarum ædium propylæo, quam pectori inscribe maximam: optimum regnum, nolle regnare. Maximum regnum, regere se ipsum.

CHRIA V.

Diogenes Cynicus irridet Grammaticos. *Laertius in Diogene.*

EXORDIVM. HÆreat etiamnum suspensus admiratione orbis universus, ad dicta, factáque Diogenis Cynici ejusque virtutem, ac sapientiam laudibus prosequatur & scriptis immortalibus nomen ejus vendicet à silentio, & oblivione. Fuerit aliquando in votis Magno Alexandro; personam assumere Diogenis, ejusque felicitati invidisse feratur, ità canente Juvenali:

Sensit Alexander, testa cum vidit in illa,
Magnum habitatorem, quantò felicior hic qui,
Nil caperet, quam qui totum sibi posceret orbem.

Effuderit suo è dolio oracula Diogenes, sapientiæque lemmata largissimè semper volentibus propinarit. Affecerit gaudio jocularis hic Philosophus, ac motio sapientissimus auditorum animos, ejusque dicta, ac facta avidissimis auribus exceperint, & tanquam è tripode Delphico eruta probârint jugiter, ac commendarint. Unum tamen ejus factum, quantùm ego quidem assequi valeo, nemo erudito-

rum

rum probare, minus commendare poteſt. At quid tandem illud eſt, quod tantæ ſapientiæ prodigium, à veri orbita deflexiſſe arguat, minúſque ſecundam admurmurationem, ac laudem mereatur? Quid eſt, quod illum apud viros de re litteraria perbene meritos, cenſoria notat virgula, infamiæque labe aſpergere poſſit? Factum unicum, ac ſanna, quâ ignominosè appetiit, ac derîdiculo habuit literaturam Grammatices, ejúſque gnavos profeſſores. Quid agis ſapiens nugivendule? Ergone dente Cynico laceſſas illud Artium omnium fundamentum: quo ſinè acanthia fores cicada, aut rana ſeraphia, & caput ſine lingua? Ergone rectè loquendi, ſcribendíque ſcientia adeo parvi ducatur; ut riſu à ſapientibus excipiatur? Nulliúſne tibi ſit ordinis, ac loci, purum, atque emendatum orationis flumen, quod à fontibus Grammaticæ haurire neceſſe habes? Illamne tibi laudum facies unà cum iis, qui plenis tibi cyathis in primordio ætatis eam propinárunt? O non jam Philoſophe, ſed mórologe; ſolúmque barba tenus ſapiens! nec jam dolio, quo plaudis, dignus, ſed gyrgatho, ac morotrophio. Nihil jam à Chærephonte mihi differre videris. Heus, quæ te cœpit dementia! Gravi profectò teneor admiratione, te hic à mente, & ſapientia diſceſſiſſe.

PARAPHRAS. At quid inſolens hoc factum demiramur AA? Ea quippe eſt infamis nonnullorum malignitas & depravatus omnia carpendi genius, ut nihil ſit adeò eximium, nihil ad ipſas etiam honeſtatis regulas ita conformatum, quod non aut theonino dente arrodatur aut nigro, contumeliæ ſarcaſmate conſpuatur, aut verborum ludibriis non illudatur. Id præter cæteros experiri indies literarum politiorum coguntur didaſcali, quorum famam, & honorem, optimíque nominis exiſtimationem, neſcio qui cum Diogene Philoſophaſtri, rus magis, quam Stagyram olentes, temerario auſu aggreſſi, plenis conviciorum plauſtris obruere moliuntur. Quid quod hi iniqui rerum æſtimatores, eam de manſuetiore litteratura præpoſteram ferunt ſententiam, ut materiam ejus ab omni retrò antiquitate commendationem, non tam in quoddam levitatis, & inanis otii trahant argumentum, quam minus utilem ejus induſtri-

am perperam arbitrentur. Sed eum eorum inconsultæ perversæque opinioni ratio ipsa refragetur, & uberes omni reipublicæ fructus hoc genus humanioris literaturæ nunquam non proferat: equit adversus Diogenem, ejusque malèferiatos sectatores, hanc amœnissimam; adeóque proficuam artium liberalium partem, à villipensione, atque nullatenus ferenda ineruditorum hominum pravè sentientium insolentia, ac ludificatione, nolit vindicare. Quorum mentem à recti tramite deviam, si eâ, quâ par est animi trutinâ mecum libet exigere, ac liberare, non rationis staterâ ponderari, sed crassâ duntaxat ignorantiâ laborare haud obscurè perspicietis. Neque ea arrident animo, à quibus falsi opinione ducti abhorremus. Ita enim natura comparatum est, ut quorum dulcedinem, ac suavitatem non degustavit animi palatum, in ea nunquam cum appetitu feratur, trahaturque orexis. Nec amor ad congenitum rei amabilis bonum suopte pondere inclinatur, nisi prius, rationis lumine ducente, in intimam rei originem penetrarit. Unde hi nati pinguiore Minervâ literarum adversarii, non delibato mansuetiorum Musarum melle, amaritudinem earum sibi, atque aliis persuadere adnituntur. At verò qui seposito pravorum affectuum libramine, probè rerum veritatem ad libellam rationis exigunt, utilitatem earum clarissimè vident; prædicántque.

CAUSA. Et verò non injuria viri sapientiæ luce conspicui, Grammaticæ præsertim classes amplissimis sermonibus illustrant, Hæc enim utilissimæ facultates ad instar onerariæ classis in alium provectæ, deducunt literarum epibatas, post superatos tot latinitatis scopulos, ad portum aliarum scientiarum, sinè quibus artes omnes, ac scientiæ infami naufragio dudum tumulatæ fuissent. In prætoria hujus classis triremi sedet ad clavum architalassus, primus Grammaticæ portitor Priscianus, ignorantiæ monstra, balænarum in morem classem impetentia longissimè arcens. Gestat equidem emblema in capite, plagosam ferulam, (quod forsan imperitis ridendi materiem præbet) sub qua legere est ferale illud multorum opinione fulmen: subde manum, sed illam manum, quæ aliquando puro latinitatis

graphio

ghraphio ſcribat legenda poſteris , volvenda æternitati. Subde manum, iterum, iterúmque reiterat, ſed illam manum, quæ olim leges dictabit populis, faſces geret conſulares: quæ regnorum ſceptra deferet? quæ dignitatum ſubſellia apprehendet, omnéſque palmas gloriæ capeſſet. In navis hujus prora; ut nonnemo amæno comminiſcitur ingenio Donatus ſedet, illáque voce ſuos animat: janua ſum rudibus, & oſtium aliarum ſcientiarum, omnéſque ignorantiæ impetus à lumine aliarum facultatum glorioſiſſimè propulſo. Non equidem diffiteor innumeros ferè pueros, remos impellere lacrymantes per verba activa, ſæpiſſimè etiam per paſſiva? ſed hæ lacrymæ in feſtiviſſimum quondam abibunt riſum; quo ignorantes argutè irridebunt. Hæ lacrymæ in pretioſas abibunt margaritas, aureo olim diademati inſerendas. Navis hujus procerum, ſolidùmque malum verba principalia ſubrigunt, cui nititur velum latiſſimum, ſubtiliſſima latinæ orationis textura affabre concinnatum; in quo tanquam in aulæo, picturæ non deſunt figuratæ conſtructionis ad decorem, & illicium oculorum. Tollite hunc malum è navi reipublicæ, & reliqua omnia artium, ſcientiarúmque decore naufragari eſt neceſſe. Si ſentinam hujus triremis libet contemplari, à teterrima colluvione ſolecſiſmorum, & barbariſmorum probè perpurgatam videbitis, nè ſuo pondere, & inutili gravitate, in imum pelagus ignorantiæ, reliquæ facultates præcipites ferantur. Et adhucdum erit quiſpiam, qui minus utiles, nulliúſque frugis Grammaticæ claſſes, atque è republica e verrendas fatuâ perſuaſione arbitretur? Adhucne erit aliquis de trivio ignorantiæ triobolaris, nulliúſque aſſis homo qui apinas, tricas, bullas, affanias, crepundia, & inania puerilis ætatis tormenta, ac cruciamenta auſit compellare? Ne ille mihi à pelagoſo Orbilio; aut ſevera Priſciani ferula jure debeat caſtigari.

CONTRAR. Verùm enim verò ut futilia adverſariorum momenta luce veri clarius pateſcant, operæ pretium erit cognoſcere, quænam perſuaſæ illius temeritatis, adeò Grammaticis oppoſitæ ſit ratio, qua literæ iſtæ poli-

tiores contemptui publicò, & ludificationi ab illis exponantur. Quid enim, inquit aliquis de barbata Philosophorum turba tussiens Crantor; aut Chrysippus, quid, inquam, proficiunt rebus publicis tot inania verborum plaustra, tot colorandi sermonis fuci, ac pigmenta: Quid emolumenti ex horum omnium scientia, quid, detrimenti ex horum ignoratione sequi possit: At verò si cæterarum artium penetralia mecum, ait ille, subire libeat, quantùm illa utilitatis adferant reipublicæ, cuivis perfacilè erit colligere. Si enim Dialecticæ leges cambiberitis, quantam, (DEUM immortalem!) quamque innumerabilem velut ab uberrimo fonte emanare utilitatem perspicientis. Hic enim verò certa quædam veri, falsíque in rebus omnibus cognoscendis traditur ratio, & quid consentaneum sit, quid repugnans, quid ex quovis concludendum, luculenter demonstratur. Hic clarissimo lumine illustratur; quæ sit definiendi, quæ dividendi, quæ argumentandi methodus, & quidquid ad vinculandam argumentis ratione n facit non ambigue exhibetur. Quod si verò libet rerum naturalium investigatricem Physicam vel à limine salutare: in ea rerum omnium principia, caussasque tractari audietis; earum ortum, & corruptionem videbitis, fulminum, nimborum, tempestatúmque originem, & alia à vulgi opinione longè secreta intelligetis, totámque rerum sublunarium naturam, velut in tabula, aut potius speculo clarissimè legetis. Quidquod ipsas etiam cælestium corporum magnitudines, intervalla, cursus, progressiones, aliaque omnia, quæ hujus sunt scientiæ, percipietis. Et nè hic silentio prætérivisse videar partem illam Philosophiæ facilè principem, quæ in pulcherrima morum institutione versatur: ea enim vero virtutum omnium est genetrix, vitiorum profligatrix, rerum publicarum gubernatrix, & præstantissimum illud donum, quo boni Cælites præstabilius dare generi humano non valebant. Hæc falsarum opinionum temeritatem corrigit; errores veterum confutat, malorum fibras evellit; stirpes pravas elidit, & omnis infelicitatis originem in semente suffocát. Quid interim illi verbulorum magistelli, tumidi elegantia tum tastu didascali, reipublicæ advehunt emolumenti?

menti? Quid illi nominum interpretes, commentatorum commentatores grammaticuli fructus pariunt, & utilitatis? Quid boni tandem important; qui relicto veritatis nucleo, de nominum, verborúmque plicis, ac tricis ita non rarò inter se digladiantur, ut pro aris, & focis certamen inter se suscepisse videantur. Abeant igitur in malam crucem (prô! quid hic blatero;) inanes illi verborum jurgatores, ex quorum rixosa protervia, vix aliud oriri, enascique videbitis; quàm illud Poëtæ: paturiunt montes &c. Atque hæc eorum fere est sermocinatio, qui amœniores literas, studiaque Grammatices apud sapientes elevare adnituntur. Quod ii severiores disciplinas summa laude prosequantur, nobis probantibus faciunt, cùm nunquam eo contendat dissertatio nostra, ut sapientiæ hujus odium cuiquam persuadere satagamus. Verùm quod omnem politioribus literis æstimationem auferre moliantur, rebúsque publicis minus proficuas arbitrentur, quantopere id à rectitudine veri exorbitet, nemo est, qui non intelligat, quem vel exilis sapientiæ radius perstrinxit. Et quamquàm perperam de Grammatices arte concederemus nihil aliud in hac deliciarum palæstra, quam ornandæ orationis illecebras protrudi, non ex eo tamen se effecturos existiment hi caperatæ frontis Aristarchi, ludicram quandam hujus facultatis esse doctrinam, neque alio referri, quam ad puerorum duntaxat animos vanâ quadam oblectatione demulcendos. Ajo enim libere: & citra cujusquam injuriam, hos Aristophanes, qui tanquam Athlante cœlum, ita Philosophiam supercilio suo niti putant, sinè Grammaticorum præceptionibus nullos esse; minimoque loco, & honore. Exterminent ii, per me licet, verborum, nominúmque genera, eliminent justos loquendi modos, & quidquid facit ad formandam probæ latinitatis structuram: quis eorum rectè definiet quidditates rerum, qui dividet, qui argnmentabitur, nisi sæpe sæpius Priscianum feriendo, Sardonio risu diffluere faciat auditorem. Qui rerum omnium originem, & interitum, qui sapientiæ suæ maximas, ut par est, explanabit, si verborum proprietate subministrata à Grammaticis sit destitutus? Et etiamnum inania verborum jurgia cum co-

eorum Doctoribus ad malam crucem ablegabunt.

SIMILE. At quid hic multis de Grammaticæ utilitate disceptamus ; quàm nemo non gravissimis quibusque facultatibus pernecessariam esse videt ? Quod si tamen rei Phœbo meridiano clariore lumen superfundi desideratis, unica, ut equidem reor, parabola, voto huic satis me facturum affatim confido. Quemadmodum enim navis oneraria per æstuosum pelagus volitans, vado illiditur ; miserandúmque facit naufragium, si malo, & antennis, alióque apparatu adversus maris furias sit viduata : haud aliter scientiarum Argonavis gubernaculo Grammaticæ destituta, illisa scopulis ignominiæ, naufragium, & jacturam faciet gloriæ, & honoris. Jactabitur citra dubium in Euripo haurienda cum Stagyrite Philosophia, nisi prævie Grammatices industria remos dirigens, ad Lycæi portum feliciter deduxerit. Nec quisquam per amplissimum Theosophiæ Oceanum tute vela fecerit, nisi è penuario Grammaticæ de necessariis: tanto itineri mari faciendo, sibi in tempore prospexerit. Atque ut aliarum scientiarum penetralia ocissimè percurramus ; qui multiplices illas, subtilésque Matheseos disciplinas percipere, ut par est, valeat, nisi prius à Grammaticæ præceptoribus mutua verba acceperit ? Quis arcanam cœlorum scientiam, Geometriæ demonstrationes, artem exactam numerorum, aliasque hujus miræ facultatis remotas ab usu plurimorum species mente complecti valeat, nisi verborum, nominúmque plaustra, ad limina harum scientiarum Grammatici identidem advexerint : Quis ad eximiam dicendi gloriam, ad Marci Tulli opulentiam, ad floridam Hortensii facundiam aspirare possit, nisi à Grammaticæ legibus probè fuerit ante formatus, & eruditus. Ita nempe hæc facultas omnibus scientiis, & artibus adeò est pernecessaria, ut ulla suam queat, adminiculo ejus cassa, explicare gloriam, & Majestatem.

EXEMPLA. Hanc necessitatem proprio usu, atque experientia docti, ostenderunt viri in erudita antiquitate fama celebres, ac spectabiles universo. Hos inter primum sibi locum jure vendicat divinus Plato, Diogene longè superior cognitione rerum, qui primus Grammaticæ vim specula-

ſpeculatus eſt , etymologias ſtudioſè inveſtigans. Nec in ſingulari dialogo Cratili aliud diſceptandum ſuſcepit ; quam de Grammaticæ argumento, déque ratione nominum rebus imponendorum. At Princeps Philoſophorum Ariſtoteles ultra Platonis initia progreſſurus, genera, quæ primis elementis efficerentur comprehendit, & comprehenſáque poſterioritati mandavit. Hunc Magiſtrum Theodectes diſcipulus ſolerter imitatus, in Grammaticæ ſtudiis ingenium exercuit. Atque ita uterque Philoſophus hujus facultatis, aut inventor, aut certè imprimis auctor à Quintiliano efficitur. De quo nè ambiguitati locus relinquatur, verba ejus dare lubet ita inquientis: *Ariſtoteles, atque Theodectes verba, & nomina, & conjunctiones tradiderunt, videlicet quod in verbis vim ſermonis, in nominibus materiam, in conjunctionibus autem rerum complexum judicaverunt.* Quin etiam teſte eodem, Marcus Tullius artis hujus diligentisſimus fuit, & in filio loquenti uſquequaque aſper exactor. Imò verò etiam Doctor Grammaticæ fuit, ut patet. 3. de Oratore. Hujus veſtigia cum laude ſecutus eſt Marcus Varro Philoſophus ſummus, qui de Grammatica arte ſcripſit libros doctisſimos, eoſque linguæ latinæ commentarios inſcripſit. Nolim hic recenſere Philetam Coum, Zenodotum Epheſium, Callimachum Cyrenæum, Apollodorum Athenienſem, Solibium Lacedæmonium, Pompilium Syrum, Orbilium Beneventanum, Valerium Catonem Gallum, de quo verſus ille:

Cato Grammaticus, Latina Siren.

Silentio prætermitto Quintum Cæcilium Epirotam, Julium Hyginum Hiſpanum, Marcum Pomponium Marcellum, Timogenem Alexandrinum, Suetonium Tranquillum Romanum, ſexcentóſque alios lubens, volenſque miſſos facio, qui vitam ſuam cum laude arti Grammatices conſecrarunt. Et hos lepidisſimus ille bipedum doliaris Philoſophus, ſuis cum ſectatoribus ignominoſo riſu appetat, habeatque derìdiculo? Eoſne ludum ſibi faciat: quos ipſa gentium Domina, mundíque caput Roma opibus auxit, ſummíſque honoribus ornavit? Quid; tune ludibrio habebis Orbilium Beneventanum inſignem Grammaticum: quem ſenatus

popu-

populúsque Romanus non compegit in dolium, sed in Urbe statuam ei erexit; quæ spectanda exhibetur in Capitolio, marmoreo habitu sedens, ac palliata? Túne Verium Placcum ludificabis; qui ob singularem eruditionem, ac studiū quod in instituenda juventute Romanorum adhibebat, statuam promeruit in foro Prænestino? Túne Megarico risu excipies Lucium Cæcilium Epirotam; qui primus Romæ Grammaticæ ludum aperuit, atque ita familiaris, ac charus Julio Cæsari fuit? ut cum eo pila lusitarit? Ex his, aliísque, quæ silentii nube involvo, liquidissimo patet argumento, quanto olim fuerint in honore Grammaticæ facultatis præceptores, qui etiamnum iniquis rerum æstimatoribus cadunt in derisum, & cavillos.

TESTIMONIUM. Testis est mihi hujus veritatis, sapientiæ famâ illustris Petrus Ramus, ita de Grammatica scribens: *unde intelligimus, literarum studium in eo laudis, & dignitatis loco fuisse; ut summi Philosophi hujus artis commendatione, nominis sui famam, memoriámque posteris gratam voluerint.* [a] Est quippe *Grammatica*, è mente Philosophorum Principis *scientia scribendi, & cognoscendi, quod profertur.* [b] *Est* è sensu Ammonis in Porphyrio, *Grammatica peritia eorum, quæ magna in parte à poetis, & rerum scriptoribus dicuntur.* [c] Julius verò Cæsar ad Ciceronem de Analogia, id est de ratione loquendi accuratissimè scribens, ita inquit: *verborum delectus origo est eloquentiæ.* [d] Quantam verò ab ipsis mundi incunabilis utilitatem primus hominibus Grammatices inventio pepererit, describit Horatius, ita heroicis canens versibus.

Quum prorepserunt primis animalia terris,
Mutum, & turpe pecus, glandem, atque cubilia propter
Unguibus, & pugnis, dein fustibus, atque ita porrò
Pugnabant armis, quæ fabricaverat usus:
Donec verba quibus voces, sensúsque notarent;
Nominaque invenere: dehinc absistere bello;
Oppida cœperunt munire, & ponere leges:
Ne quis fur esset, neu latro &c. [e]

At

[a] *de instit. Grammat.* (b) *lib. 6. topic.* [c] *in Porphyr.* [d] *Cic. in Brute.* [e] *lib. 1. Satira. 3.*

At his omnibus luculentior venit testis, magnus ille pietatis Christianæ Doctor purpuratus Dalmata; qui non probro sibi duxit ad Lætam, de institutione filiolæ, in hæc verba perscribere: *fiant ei literæ vel buxeæ, vel eburneæ: suisque nominibus appellentur. Ludat in eis, ut & lusus ipse eruditio sit. Et non solùm ordinem teneat literarum; ut memoria hominum in canticum transeat; sed & ipse inter se crebrò ordo turbetur, & mediis ultima, primis media misceantur: ut eos non sono tantum, sed & visu noverit. Cum verò cœperit trementi manu stylum in cera ducere, vel alterius superposita manu teneri: regantur articuli, vel in tabella sculpantur elementa, ut per eosdem sulcos inclusa marginibus trahantur vestigia, ut foras non queant evagari.* [f] Hæc de parte Grammaticæ Hieronymus longè maximus Ecclesiæ Doctor.

EPILOGVS. Desinant ergo tandem aliquando, desinant blaterones isti, ac zoili deridiculo haberei, & tumido pectore sapientiam suam jactando, laudi, honoríque literarum nostrarum cessent derogare. Non porrò se ferant suis tantùm in oculis, vesanáque ducti insolentiâ se solos prædicent immortales. Nè nimiū suas attollant cristas, sublimique feriant sidera vertice terrarum Domini, suaque in flatis buccis crepent lemmata: cùm etiā à nostris studiis iter sit ad immortalitatem,& invidorum turbine longam in posteritatem deportemur. Quare non audiantur amplius alienæ à proposito suo facultatis criminatores, gloriæque nostræ infensissimi obtrectatores. Oppilemus ora his tumidis thrasonibus, ut eas opprobrio nequeant proscindere literas, quarum utilitatem aut se non percipere simulant; aut ad plenam earum cognitionē pervenire se posse, in vita sibi Minerva, diffidunt. Reprimamus denique cavillis, ac sannis perstrepentem illorum vocem, testatissimi livoris, ac dementiæ argumentum. Vos verò AA. æquissimi rerum arbitri, pergite, quemadmodum cœpistis, hæc florentissima literarum studia fovere, ac tueri; ut ex his mansuetiorum literarum palæstris evadant olim alumni reipublicæ gubernandæ idonei, ad DEI ter optimi Maximi gloriam, & decus patriæ immortale.

CHRIA

[f] *Epist ad Laet.*

CHRIA VI.

Aloysius Conzaga S. I. gloriosus de mundo victor. *in vit.*

EXORDIUM. Neminem vestrûm, ut opinor, fugit AA. Aloysii progenitorem, nomini fama inclytum Marchionem Castiliæ, à primordio ætatis, hunc illustrem prosapiæ suæ surculum, ad Martis decora efformasse. Necdum enim lustrum ætatis Aloysius contigerat; cum Genitor in Cremonensi agro delectum militum habiturus, hoc vitæ suæ delicium, generisque ornamentum, utpote majorem natu filium, spemque futuræ posteritatis: ad gloriæ militaris opera, ludicro armorum genere, quantum illa ferebat ætas, incendere satagebat. Quamobrem jubebat tenellum pectus Aloysii loricula investiri, casside leniter onerari caput, sinistellam parvula armari pelta, dextellam hastula muniri, latus præcingi ferro, omnesque artus ad belli palæstram rite adaptari. Vix stabat vacillante adhuc gradu in campo Martio, hoc parvulum Martis simulacrum, continuo pro genitoris potestate, militares anteire ordines præcipiebat Aloysio, jam vibrare in hostes tela, jam mucronem stringere, jam diverso armorum genere in orchestra umbratili exerceri. Nec muneri suo defuit, scite ad belli leges institutus vix natus Mavors, itaque personam, & partes gnavi militis sustinuit, ut Pater Marchio vel in teneris legeret unguiculis, quæ olim in validiore ætate Aloysius, pro generis sui gloria patriæque incolumitate, ac tutela daturus esset specimina Martis Spiramus enim pueri, quod acturi sumus viri, & secuturæ ætati vel infantiles anni præludunt. Atque hac ludrica, & puerili armorũ tractatione, mirificè paternum pectus recreavit, cognatos non mediocri affecit gaudio, spem maximam de se fecit apud universam prosapiam, ampliandæ olim ejus gloriæ, felicibúsque auspiciis martiale studium in decus Majorum jam tum exorsus fuisse videbatur. Quare Pater destinarat hanc stirpis suæ gloriam, provinciarum gubernacu-

bernaculis, regnorum firmamentum, rerum publicarum columen, Cæsareum clypeum, servatorem patriæ, novumque immortalis famæ in genus suum emanaturæ, vel auctorem, vel fundatorem, Verum, ô stupenda rerum humanarum metamorphosis! Quis tum animum suum induxisset? cui vel eminus subire potuisset cogitatio, futurum aliquando fuisse, ut spiritus illi martiales Aloysii, quibuscum à puero crevisse videbatur, in alia longe præstantioris militiæ tyrocinia adeò subitò transirent, ac verterentur? Incredibile sanè est: quantum ab illo mutatus fuerit Aloysius, quam gravem, quam severam vitæ rationem in illo principio orsus sit, diviniore Spiritu ad rudimenta sacratioris militiæ eum ducente, ac propellente. Tum enimverò devicta mundi gloria, heroo pede proculcare honorum insignia, despicere Imperii fastigia, purpuræ trabeam flocci pendere, diademata, & Regum fascias generoso calce proterere, totum se Duci æterno authorare, déque omni aularum pompa gloriosè triumphare.

PARAPHR. O victorem fortissimum posterorum laudibus celebrandum, adoreá immarcescibili coronandum, ac universis mundi heroibus jure præferendum! His victoriosis, palmamque semper referentibus de terra Cælorum castris adscriptus Aloysius, non jam ordines militares ante ire, sed demissionis studio, ac exemplo, postremum inter omnes quærere, ac tenere locum: non jam aurato præcingi balteo, sed hirsuto Cilium tegmine innocentissimum latus arctare, ac constringere: non fulgorem martialis clypei per aëra ventilare, sed sanctissimis JESU, & MARIÆ nominibus, velut scuto impenetrabili pectus communire: non jam umbratili armorum fulmine in hostium cuneos impetum facere, sed hostem, hostium omnium principem, invisibilibus armis decertantem generosissimo ausu fundere, fugare, debellare. Atque ita sub his sacratioribus signis stipendia merens, adversus vitiorum agmina dimicavit, ut omnem omnium Imperatorum fortitudinem, ac militarem scientiam longè antegressus esse videatur. Exsurrexerint licet universæ vitiorum cohortes, petierintque Aloysium à fronte, à tergo, à latere, undequaque:

Q tantùm

tantum abest, ut Aloysium suæ fecerint potestatis, sed pulsæ, fugatæque opprobrium retulerunt in vicem gloriæ, ac triumphi. Titillavit equidem inanis gloriæ illecebra, sed hanc altissimâ animi demissione superavit. Fodicarunt iræ stimuli ad jurgia impatientiæ, at hanc mansuetudine debellavit. Invitarunt speciosi honorum tituli, sed illos magnanima vilipensione pedibus substravit. Perstrinxerunt oculos rutilantes obrizi acervi, aggestæque proavorum gazæ, sed has intrepido calce protrivit victor omnium, victor sui, ac gloriosus triumphator. Et quamquam antesignana omnium vitiorum Volupia, perniciosa animarum Siren, præcipitium adolescentiæ, naufragium innocentiæ, dolis suis instructa, lenociniis armata, sæpe sæpius molita sit invincibile pudicitiæ castrum expugnare; nunquam tamen aditum reperire potuit ad arcem solis virtutibus patentem, solíque DEO castarum mentium amatori reseratam. Quid quod non rarò Aloysius comitante virtutum choro, adversus hunc mollioris armaturæ hostem impavido Marte processit. Circémque illam obfirmato in bonum animo devicit, virus quod diffuderat, in ejus interitum reflexit, vincula irretientis amoris excussit, & relata de scelerum genitrice victoria, omnes vitiorum phalanges pudore suffusas, in fugam egit ignominiosam, jussítque in suum natale redire cœnum.

CAVSA. Atque indè liquidissimo patet argumento, quam ob rem religiosam inire vitæ rationem immutabili sanxerit decreto, ut nimirum debellata mundi vanitate, laureatus victor bravium obtineret beatæ & perennitatis. Nè verò gloriosissimus hic palæstrites, à præfinito vitæ religiosæ calle abiret devius, per calcatum patrem, per calcatam matrem sub labara sanctissimi nominis convolavit, noménque dedit Societati JESU, quam dominus exercituum per animum martialem Ignatii de Lojola voluit orbe toto propagari, ad victorias de mundo, de carne, de potestatibus inferorum reportandas. Novit enimverò apprimè Aloysius, Societatem hanc esse palæstram omnigenarum virtutum, cælestium gratiarum armamentarium, universam sacrorum armorum panopliam. Hic tyro; Martis futuri

capere

càpere exprimenta: hic tela acuere in adversantia vitiorum ostenta: hic pedestribus adjungi copiis, despicientia sui insignis: hic equestribus accenseri turmis, celerrimo obtemperandi studio: hic trophæa statuere de superatis hostibus, de se ipso, DEóque, ac cælis pæana canere, & triumphos. An non hic longe clariorem nactus est præ ædibus patriis aulam, in qua familiç claritatem illustrissima obscuritate premeret, Regíque Regum aulicus deserviret? An non hic nactus est theatrum, & scenam gloriæ, in qua non à mortalibus oculis curiosè aspici, sed à divinis duntaxat videri unicè in votis habuit? Effundebantur, ut minimè licet ambigere, ad hoc spectaculum invictissimi stadiodromi, beatissimæ illæ spirituum cælestium legiones, & in hunc gloriosum sui victorem admirationis obtutum defigebant. Attoniti stupore hærebant, videntes hunc nobilem brabeutam frugalitate; nullaque pene alimonia roborari, nec illum cibatu, sed divinis contemplationibus pasci & nutriri. Mirabantur assiduis precibus vacare, nec tamen lassari, fatigari. Contemplabantur ab omni arrogantiæ crimine semper alienum, & cum in virtute nunquam non caperet incrementum, in dies magis, magísque sibi vilescere. Suscipiebant fortissimum illud animi robur, quo in tenerrimum corpus suum, novà semper victoria, servilibus flagris identidem desæviebat. Obstupescebant inusitatum illud pugnæ genus, quo contra insidias rebellantis carnis, vel ipsis adeò calcaribus utebatur; vel ad reprimendos voluptæ ausus, vel ad stimulos virtuti in sublimiora tendenti jugiter addendos. O generosum professo Athletam! O dignum altioribus oculis bellatorem! cui sanctitatis arena est Religio, perpessiones adversorum rudimenta, flagella, & verbera sacri Martis exercitia, abstinentia robur, castimonia firmissimum adversus vitia munimen. Longum esset cæteras ejus virtutes ne dicam recensere, sed vel debita veneratione, ut par est, colere, ac præconio sequi. Quare silentio hic involvo verecundam illius modestiam, qua nulli non placebat, piam taciturnitatem, qua commilitiones ædificabat, sanctam comitatem, & affabilitatem, qui universos alliciebat, ardentissimam in omnes, charitatem, quâ

nullum non inflammabat, infractam in adversis patientiam, quâ alios ad perpetiendas hujus vitæ miserias animabat, omnésque miras virtutes prætereo, quibus sociis prælucebat. Atque ut paucis complectar plurima, aliud non erat Aloysius, quàm virtus, aliud non fuit virtus, quam Aloysius. Ecquid jam miremur, invictissimum hunc athletam, sub fortissimis JESU signis animosè præliantem, beata illa cælorum mœnia nullo negotio expugnâsse, eique in victoriæ minerval, immortalitatis ostia reserata fuisse? Cælum quippe solis mundi domitoribus patet, invictísque pro virtute strategis. Utinam pro hoc beatitudinis bravio depugnarent floridæ ætatis alumni, qui etiamnum in castris mundi versantur, commorantur!

CONTRARIUM. Verùm alio longè tramite ad gloriam grassatur vernantior ætas hujus sæculi, alioque bellandi ritu ad laureata Cæli Capitolia ascensum molitur. At errat profectò, multúmque aberrat, qui per roseta, & lilieta, pérque molliores voluptatis semitas, ad illud perennaturæ felicitatis bravium accessum parat. Nemo hactenus per viam floribus constratam eò pertigit. Nemo ambrosiam, & cæli nectar delibavit; qui earchesia bibit voluptatis. Nemo ad beatæ æternitatis gazas dexteram porrexit, cui opulentia arrisit, fastidita ultroneâ egestate. Amas habitare ædes basilicas, & sumptuosa Regum palatia, ab aureis cælorum atriis excludere. Aves Principum cocco investiri: ne lucis æternæ cycladem præstoleris. Nunquam cælestis gloriæ purpura induetur, qui fucatas illas vanitatis trabeas non exuerit. Delectaris fumosis Majorum imaginibus, cerísque, ac bullis atavorum intumescis: rumpêre ut bulla, & in tui ignominiam deflues, sibilus mundi, & opprobrium cælorum. Desideras vetitis amoribus, amplexúque fallaci volupię saturari: suffocabere elisâ meliore tui parte, & flammantibus inferorum rogis æternum cremandus extraderis. Si purioribus eligis perfrui deliciis, absit, delicatum sis membrum sub Capite spinoso. Segnem suæ militiæ commilitonem, mollique in gremio enutritum, rejicit à gloriæ parte summus Cæli, terræque Imperator, generisque humani assertor plurimis exercitus adversis.

Non

Non expugnantur adamantinæ cælorum portæ mollibus machinis, nec ulli obtingit laurus immortalis, qui non priùs in aprica mundi palæstra strenuus, solersque fuerit de mundo victor, triumphator. Talem, quis inficias ire audeat fuisse Aloysium, qui singulari fortitudine animi prædìtus, in orchestra mundi hujus stetit invictus, intrepidus, inconcussus. Non animi ejus constantiam, & firmitatem emollire valebant parentum lacrymæ, quas sicco præteriit oculo, Imperatoris Cæli nutum caduco progenitorum arbitrio præferens, ut spreta mundi hujus inanitate, æternaturæ beatitatis præmia consequeretur. Non illam generosi pectoris alacritatem, cognatorum illustrissimi sanguinis lamenta, subditorum suspiria, ardentissima contubernalium vota, ad paris vitæ mundique sequelam revocare valebant. Non improborum convicia, non illustris domus orbitas, non tanti generis interitus, à statione melioris propositi dimovere poterant Aloysium, universa perituri mundi decora aspernantem. Probe quippe compertum erat huic mundi debellatori fortissimo, altius esse virtutis genus prosapia quacunque Principum, quæ nonnunquam sui terminum in opprobrio videt tumulari. Nihil denique à sacratiore militia, cui semel nomen dederat, invictum Aloysii animum potuit averruncare.

SIMILE. Quod ut imagine aliquâ rei veritatem exprimente adumbremus, videor mihi videri immane quoddam saxum, in medio Oceani ab ipsis naturæ manibus situatum. Quemadmodum verò hæc saxea moles suo semper consistit in gradu, nullis furoribus Boreæ, nulli tempestati, nullísque decumanis licet fluctibus vel ad palmum cessura: haud aliter constantiæ rupem in animo, ac pectore Aloysii firmissimè sedentem, nec insurgens lenociniorum pelagus, nec fluctus illecebrarum, nec infames honorum scopuli, deturbare poterant intempestuosum procellosi sæculi mare, vel ad unguem à proposito Religionis dimovere Adeo constantem, & perpetuam vitæ rationem tenuit Aloysius. Quod si verò immobilem ejus virtutem alia declarari parabola desideratis AA. damus Herculem, sed cum discrepantia, & antithesi longè maxima, si cum Aloysio ve-

niat in comparationem. Habeant suum sibi ingeniosa Poëtarum commenta, seu virium robore, seu animi virtute, nemini palmam concedentem, nullique secundum Herculem, fortitudinis portentum, heroum epitomen, inferorum domitorem, mundi terrorem, qui Hydram illam Lernæam septem capitibus tumentem, non tam domuerit, quàm inaudita fortitudine, igne, ferróque extinxerit, extinguendo vicerit, vincendo triumpharit. Commendent nomen ejus immortalitati ob geminos angues in cunis elisos, ob cervam æripedem in monte Mœnalo trucidatam, ob Nemæum leonem edomitum, ob fulmineum ore aprum Erymanthæum captum, enectúmque, ob devictum Acheloum, Cacum oppressum, Centauros debellatos, & propter innumera alia invictæ fortitudinis prodigia, quæ non vacat hic referre, encomia ejus pleno ore decantent. Magna hæc fuerint, quæque orbem universum suspenderint admiratione; nihil tamen faciunt ad illam infractam animi magnitudinem, qua Reginam Thermodontiæ, in amores ejus blandè se se insinuantem, fortiter rejecit, & gloriosam de se ipso retulit victoriam; fama celebri hoc facinus consequente. Verum enim verò ab hoc arduo virtutis itinere tandem deflexit heros inclytus, atque in voluptatis castra, blanditiis illectus, ità penetravit, ut colum, atque lanam (prô pudor!) inter greges sequioris sexûs, versare, tractaréque non erubuerit. At longè aliter se gessit in virtutis stadio Aloysius, qui semel institutum sacratioris vitæ cursum æquabili semper gradu promovit, nunquam à cœpto virtutis calle vel abierit, vel deviârit. Testes nobis sunt hujus veritatis gravissimi quique virorum, quibus explorati erant illius arcani sinus pectoris, sacrosanctè asserentes, primævum innocentiæ florem, ad extremum usque ætatis diem illibatum conservasse, neque unquam nedum scelere, sed nè sceleris quidem umbrâ, castimoniæ lucem Aloysium obscurâsse. Ecquis jam inficiari ausit, non majorem duntaxat Hercule fuisse; sed & fortiorem, Alexandro, Scipione animosiorem, Metello superiorem, omnibusque aliis belli Ducibus gloriosiorẽ qui victoriam de carne, de sanguine, de se ipso retulit, documento florentiori ætati imitando.

EXEM-

EXEMPLUM. At quis ei facem prætulit ad tot triumphales palmas de mundo referendas? Nè per multa Regum, Principúmque exempla gradiamur; unicus sufficerit Ignatius de Lojola, cujus sacratiori militiæ Aloysius firmiter statuit succenturiari. Sed adeamus tantisper castra Ignatii, sacrum, profanúmque ejus Martem nonnihil pensitemus. Neminem vestrum, ut opinor, fugit, invictum illum belli Ducem, ad excelsum bellicæ fortitudinis, infractæque virtutis fastigium evectum fuisse, atque ob eximiam in rebus gerendis prudentiam, in pertractandis constantiam, in consiliis gravitatem, in actionibus omnibus moderationem, in hostibus pervincendis fortitudinem immortalem nominis sui famam ita consecutum fuisse, ut summis bellorum Ducibus æquissimo jure meruerit accenseri. Nihilo tamen secius, postquam coronatâ obsidione Pampelona, saucio licèt pede protrivit fastum sæculi, calcavit mundi ambitionem, ac universæ vanitati dixit vale, exutóque profani Martis sago, ad militiam sacratiorem; & à fortitudine Christiana maximoperè commendabilem animum applicuit; omnes omnium sæculorum archistrategos, clarissimósque belli Imperatores longissimo post se reliquit intervallo. Nolim hic ego commemorare AA. quo pacto ex usu martiali, obsessum copiis militaribus campum, pro ratione muneris sui obiverit, agmina in ordines digesserit, hostium turmas in fugam egerit, aggeres, & valla adversariorum diruerit, mœnia conscenderit, devicto hoste non semel gloriosus triumphator: sed quâ ratione intrepido ausu passionum cohortes dissipârit; exæstuantes irarum flammas restinxerit, turrita arrogantiæ fastigia everterit, déque universo vitiorum globo insigne trophæum fixerit, totúmque animæ castrum cælorum subjecerit potestati. Verum enimverò quemadmodum nullum est reperire belli imperatorem, qui non recenseat subjectas sibi cohortes, ad omnem belli aleam promptas, & expeditas, seu pedem pedi conferre præcipiat, seu in martiales cuneos irrumpere, seu urbes violento incursu invadere, seu alia quæque ad eripiendam hostibus gloriæ palmam machinari: haud secus Ignatius sacratioris belli invincibilis Archi-

ſtrategus, hodiedum recenſet copias, ſub labaro ſanctiſſimi Nominis JESU æterna ſtipendia merentes, quæ ſcuto fidei loricâ juſtitiæ, gladio ſalutis, & universâ virtutum panopliâ probè inſtructi, adverſus tenebrarum Principes, & graſſantia vitiorum per orbem agmina; acerrimo Marte depugnant. His ſe ſe autoravit, exemplo tanti Duci comprimis animatus Aloyſius Conzaga, qui ſpreta bracteati mundi gloriâ, opum inani fulgore proculcato, caducáque mundi pompa, & honore pedibus ſubjecto, non tam in hac ſacra belli alea cœpit tyrocinium, quam militis veterani laudem, & gloriam glorioſè involavit.

TESTIMONIA. Novit enimverò Aloyſius, clariſſima rerum cogitatione ab alto inſtructus, omnes mundi honores diſcrimini ſalutis, vitæque ſemper obnoxias. Non erat neſcius illius, quod Romanus exclamat ſapiens: *ô quam confragoſa in faſtigium dignitatis via eſt!* [a] *Nam quidquid aut ambitio juſſit, aut opibus exſtruxit, citò ſubruitur.* [b] *Fallax bonum eſt honor. Quoſdam cùm in ſummum ambitionis eniterentur; inter prima luctantes honor reliquit: quoſdam cùm in conſummationem dignitatis per mille indignitates erepſiſſent, miſera ſubiit cogitatio, ipſos laboraſſe in titulum ſepulchri.* (c) *Honoribus functus es? Nunquid aut tam magnis, aut tam inſperatis, aut tam univerſis, quàm Scianes? Quo illum die Senatus deduxerat, populus in fruſta diviſit. In quem quidquid congeri poterat, Dii, hominesque contulerunt, in eo nihil ſuperfuit, quod carnifex traheret.* (d) Nec latuere Aloyſium aliæ ejuſdem Romani Sapientis gnomæ aſſerentis: *beatum non eum eſſe, ad quem pecunia magna confluxit, ſed illum cui omne bonum in animo eſt, erectum, & excelſum, & mirabilia calcantem.* (e) *Abſtrahunt enim à recto divitiæ, honores, potentia, & cætera, quæ opinione noſtra cara ſunt, pretio ſua vilia.* (f) *Et quæ ſunt divitiæ, quas non egeſtas, & fames, & mendicitas à tergo ſequatur?* (g) Quid quod *divitiæ malitiæ magis,* quàm

(a) *epiſt.* 44. (b) *Idem de brevit. vit. c.* 1 c. (c) *de conſt ſap. c.* 19. (d) *idem de tranquil. ani c.* 11. [e] *idem epiſt.* 45. (f) *idem epiſt.* 81. [g] *idem de tranquil. ani. c.* 11.

quam honestati serviunt, ut ait græcus Rhetor Isocrates. (h) Huic suffragatur festissimus alias jocorum, & plenus leporum Plautus inquiens: *Odi ego aurum, multa multis suasit sæpe perperam.* Huic accinit Ovidius opes vocans *irritamenta malorum.* [i] Quin *argentum, & aurum pulvis est*, teste Naumach. apud Stobæum. (k) Unde recte Seneca: *pone me igitur in opulentissima domo, pone ubi aurum argentumque in promiscuo usu sit; non suspiciam me ob ista, quæ etiamsi apud me, tamen extra me sunt.* (l) *Ecce magno animo Demetrius divitias projecit, onus illas bonæ mentis existimans.* [m] *Lapides, aurum, argentum, terreno sunt pondera, quæ non potest amare sincerus animus.* (n) Neque ignoravit Aloysius illud Diogenis: *in domo divite virtutem habitare non posse.* (o) Certum enim est: *si quis dives est, is aliquo laborat affectu*, inquit Sotades apud Stobæũ. [p] Deniq; *non est ista soluta & sincera felicitas.* (q) *Bracteata felicitas est. Inspice, & disces sub ista tenui membrana dignitatis, quantum mali lateat*, ait iterum Magister probitatis Seneca. (r) Unde non abs re, ex ejusdem mente, *terra quæ quicquid utile futurum nobis erat; protulit, ista defodit, ac mersit, & ut noxiosis rebus, ac malo gentium in medium prodituris, toto pondere incubuit* (s) *Natura*, inquam, *aurum, & argentum pedibus subjecit, calcandumque & premendum dedit.* [t]

EPILOGVS. Rectissimè proinde egit gloriosus mundi domitor Aloysius, hæc, aliaque omnia sæculi fallacis decora generoso calce proterens, & in Religiosæ vitæ castris merens stipendia paupertatis, quâ Cæli arces facili opera expugnantur. Hanc voluntariam egestatem unicè in amoribus habuit, hanc ambivit, & amplexus est unicè, omnes mundi opes abjiciens, quò DEUM duntaxat, divinaque possideret. Non ignoravit Aloysius, paupertatem ultroneè quæsitam, pretiosam esse Margaritam, cui comparandæ qui satageret, vendere illum omnia, & aspernari debere

Q 5 Non

[h] *ad Demonic.* [i] *lib. 1. Metam.* [k] *serm. 91.* (l) *de vit. beat. c. 25.* (m) *idem de provid.* (n) *consol, ad Helv. c. 11.* (o) *apud Stob. serm 91.* (p) *serm. 96.* [q] *Sen. de provid. c. 6.* [r] *epist. 115.* [s] *lib. 7. de benefic. c. 10.* [t] *idem epist. 94.*

Non ambigebat hanc validissimum esse murum Religionis, atque ideo vigilantissimus excubabat stationarius, nè quà auri cuniculus suffossus, autrimas ageret, aut ruinam pateretur. Non latuit Aloysium, Cræsi opulentiam hominem non facere, sed virtutes, quodque rerum humanarum cupiditas tot votis efflagitat, in terris tegere, quod verò paupertas avet, perennare in Cœlis. Atque ita rebus interituris omnibus spontè denudatus, nullóque æris pondere onustus, nulla terrenorum possessione aggravatus, levabat se supra se, & gloriosus de mundo victor, ad laureatas Cæli sedes evolavit. Ad hoc æternaturæ beatitatis bravium vos invitat floridæ ætatis Narcissos, etiamnum in castris sæculi commorantes. Quamobrem agite generosæ, ac vividæ juventutis animæ, & excusso rerum terrenarum pondere, quo vos aggravat præsens sæculum, Aloysium non jam de trivio militem, sed antesignanum, per aspera quæque sacratioris hujus militiæ experimenta sectari non erubescite, futuri ejusdem gloriæ participes, cujus ille æviterna jam fruitur, gaudétque possessione. Non vendicent vos porrò sibi locupletissimæ domûs facultates, non sumptuosa Majorum palatia, non auro, argentóque radiantia peristromata, non referta opibus æraria, & si quæ alia sunt, quæ mortales oculosque, animosque illicio sui pertrahunt, sed fastiditâ rerũ fluxarum vanitate, manus porrigite ad opes immortales, in gazophylacio beatæ æternitatis repositas victoribus de mundo laureatis. Obtrudat licèt vobis importuna mundus violentia honorum omnium insignia, & ornamenta, fumosas Majorum imagines ostentent, amplissima gloriæ theatra, pompæque scenas in laudem, & præconia offerat: sed vos, si altiori mente præditi estis, universa hæc non tam pedibus, quam animis proculcate, Non ab tumente honorum prærogativa, sed ab operibus virtutum mutuandum esse splendorem reputate: nec à generis terreni splendore, sed à virtutis claritate ducendum esse nobilitatis decus existimate, nihílque vos possidere sciatis, nisi DEUM, ac divinâ æternâ possessione obtineatis.

***

CHRIA VII.

Princeps quidam injuriâ subditorum regno pulsus, amicorum auxilio restitutus, beneficiis malevolentiam pensavit, útque amorem suum populo testatiorem faceret, pugione sibi pectus aperuit; quò à suis inspecto corde, benignitas ejus pateret. *Didacus Merillus Part. 1. sect. 1.*

EXORDIUM. FEralis illa, an fatalis catastrophe innatantis suo sanguini Principis, acerbissimam dolendi materiam, & insanabilem plagam transituri ad posteros luctûs, nunquam non recrudescente dolore, injecit animis nostris AA. Lacrymarum, verborúmne eloquentia tanti erga populum suum affectûs, & excessivi amoris argumentum prosequi debeamus, in ambiguo hæret attonita, suspensáque sermocinatio nostra, & luctantia inter gemitus verba, doloris magnitudine adeò absorbentur, ut quid agendum, quídve dicendum sit, penitus ignoremus. Si vivo lacrymarum cataclysmo cineres ejus animare velimus, non animam amori Principis, sed auctiorem dolori vitam, morte ipsa daturi sumus, cum lacrymas doloris esse filias apprimè cognitum habeamus. Quid juvat dolore sequi, quod reipsa non licet assequi? Quid proderit in Oceanum mœroris nos immergamus, ex quo emergendi facultas non datur? Verùm enimverò habent & suam lacrymæ virtutem, quibus doloris æstus temperatur, mæstitia tergitur, amor pascitur, onus cordis allevatur, & gravis dolor per oculos evaporat. Dixerint quidam lacrymas crystalla esse oculorũ, pretiosas genarum gemmas affectuum stillicidia, animæ sudorem, vapores viscerum, lac pupillarum, & nubeculas; quibus gemini oculorum soles obnubũtur. Sed quid nubes agglomeremus ad illud innube cælum serenissimarum virtutum? quid lacteos rores ad purpurascentem lateris cruorem? quid vaporũ globos ad obfuscandum

dum Majestatis splendorem ; quid animæ sudorem ad exanime, frigidúmque cadaver ? quid affectuum stillicidia ad acutissimi mœroris tormenta: quid pretiosissimas malarum gemmas ad bustum , & feralem sandapilam congeramus; Levis est dolor, quem lacrymâ tergi posse arbitreris. Nec veri doloris in censum venit , quod cum lacryma in genis exarescit. Quid est , manantes per ora salsæ oculorum currant pluviæ, si innata eorum salsedine amplior doloris sitis invalescat: Sistantur proinde lacrymæ, quæ non rarò aut personarum vestiunt dolorem , aut si offuciis carent, & fallacia, & rivos saltem eloquentiæ obruere, & in debitam fluentes panegyrim exsiccare moliuntur. Quamobrem muta lacrymarum facundia in vocale prorumpat eloquium, & quod doloris absorbet atrocitas, protrahat in medium libera dicendi potestas , At enm iterum iterùmque eloquendi facultas doloris pondere oppressa, voluntatis imperio reluctatur, & injussus mæror vocem intercludit , spiritus eloquii exspirante Principe exspirat, & fa. undiæ vita funestissima illius morte jugulatur. Non patitur dolor verborum ubertatem, qui solo silentio pascitur: nec lenocinantem sustinet eloquentiam ; quæ per animi intima crudeliter desævit mœstitiæ tyrannis. Verùm ut ut sit, quodpiam tamen vulneri nostro lenimentum admovere est necesse; ut cujus deliciosa erepta est præsentia , ejusdem suavissima amoris impensi reficiamur memoria , & quod subductum est oculis , non sine liquescentis animi latio menti repræsentetur. Agite proinde AA. & oculos , animosque mecum advertite in amplissimum illud cordis amantis theatrum, in heroicorum facinorum , & virtutum scenam suapte natura in dicendi materiam erumpentem. Prius tamen rei actæ seriem cum hoc amante suorum Principe paraphrasi aliqua declaratam accipite.

PARAPHRASIS. Præerat haud ita pridem suis benignissimus hic Princeps, ut Pater liberis, cui erat pro imperio amor, pro mandato nutus, pro regula favor, pro lege gratia, pro norma exemplum. Eminebat hic Rector populi, non tumebat dominabatur , non urgebat regebat, nec impe-

imperabat: impellebat, nec cogebat Flectebat, nec frangebat: amabat, & timebatur: terrebat & amabatur: miscebat se populo, & colebatur: subditos & ferebat in capite, & gerebat in corde. Optabat unam subjectæ sibi genti cervicem, non quàm Neronis ferocia uno vulnere demeteret; sed quam uno amplexu pii Patris coronaret, probè gnarus, Majestatem, potentiamque Principum non sanguine populorum sustineri, at subditorum affectu, & prona suorum fulciri voluntate. Unum timebat, & à suis timeri Et nè à suis temeretur, erat, accessu facilis, alloquio comis, aspectu placidus, in quem terrarum omnes gratiæ, & bona cœlorum sidera ita influxerunt, ut nulla fuerit verecundia, quæ ejus vultum subire formidaret; nullæ miserorum ærumnæ, quæ se cum fiducia melioris conditionis ei sistere non auderent; nullus mœror, qui ab ejus miti affatu cum lætitiæ fœnore non abiret. Nec aliud, flamma amoris jugiter præcordia animante, spirabat, quàm amorem: aliud mente non versabat, quàm amorem: aliud non volebat, quam amorem: aliud non exequebatur, quam amorem. Quidquid agebat, amor agebat. Quidquid pectore volvebat, amor volvebat. Amor erat omnia, amor actitabat universa. Et tamen, (attonita hæret lingua) & tamen, [ah sine me dolor, sine ad posterum admirationem nefandum perfidiæ argumentum enarrare.) & tamen pro singulari illa Principis amantis benevolentia, pro exhibito amoris excessivi documento, pro tot humanitatis officiis, quid reposuit malè feriata populi ingratitudo? quid? Audite, & obstupescite. Pleni perfidia, & dolis cives, exturbant finibus regni Principis amorem, ut odium alius in perniciem suam evocent: excutiunt folio benignitatem, ut reponant tyrannidem: fastidiunt purpuram amore sui rubescentem; ut alienam proprio tingant cruore: eripiunt sceptrum de manibus aureis; ut ferreis extradant: non ferunt diadema in vertice domo gratiarum sedere, ut furenti in membra capiti cidarim imponant. Quodque scelus auget dirum, horridum, detestabile, beneficientiæ ubertatem

tatem in odii materiam convertentes, illum ferre non possunt in oculis; cujus amorem pleno pectore excipere debuissent. Collyrium, & oculorum suorum illicium repudiant, saltem deinceps in oculis suis habituri. Palmarem injuriam Principi irrogarunt, & sibi, illi in contumeliam, & opprobrium, sibi in perniciem, ac exitium, brevíque senserunt illum abesse, quem votis omnibus adesse exoptarunt. Ita enim natura comparatum est, ut quò possessa dulciùs recreant, hoc amissa sæviùs torqueant. Nunquam sinè gemitu est deperditi recordatio, cujus præsentis fuit grata possessio. Jubetur solum vertere, ut eò ardentius repetatur. Verùm quid ad hæc magnanimus Princeps? Exilii libertatem domesticæ servituti anteposuit: nec tamen amorem suorum quisquam proscribere valuit: illos quippe gerebat in pectore, quos in oculis ferre non licebat. Patria extortem agere, durum non videbatur, cum sciret viro forti omne solum esse patriam: neque extra hanc projici poterat, quæ omnium una est. Equidem fortunis, & Principe censu exutus fuit, at maluit suus esse, quam auri mancipium. Non ignorabat divitem esse, non qui multum possidet, sed qui nihil desiderat. Prælegit liberari, quàm haberi à divitiis; quæ in vitia pondere suo facilè inclinant. Magnæ divitiæ sunt divitiarum contemptus. Non inficiamur, è dignitatis fastigio, & honorum apice per summam ignominiam deturbatum esse; sed evasit stationem lubricam, quæ excelsò adjacet, & nè per alta præcipitio proxima ambularet; communem vulgi semitam terere est aggressus. Quâ dum citra periculum alternantis fortunæ graditur, ad pristinam Regis dignitatem postliminio revocatur, non tam capessendam, quàm ultroneè deponendam. Solem in hoc serenissimo Principe agnoscite, quem præsentem negligimus, absentem peroptamus. Redit itaque ab occasu fortunæ suæ, præpostero ordine, ad orientem novæ felicitatis: non ut honori suo denuò oriatur, sed occidat amori. Et hunc in aperto Principis amantis pectore legendum exhibemus.

CAUSA Sed eccur ferro januam pectoris reserat, & recludit? Quid est, quod per fibras, & medullas vitam scru-

ſcrutatur acinace ? Cur enſem in principem vitæ ſedem conatu maximo per violentiam adigit ? Nè multis AA. diſtineam , id ego potiſſimum ea de cauſa illum agere exiſtimem ; ut ſuos edoceret, quàm in eo, ſi in ullo unquam, fortis ſit velut mors delectio. Parente, hiantéque pectore, in ipſa amoris ſede apertum monſtrat vulnus, ut intelligant univerſi, fuiſſe illis aperti pectoris Principem. Offert copioſum charo ſibi populo ſanguinem , qui proprius eſt amoris color, ut amorem ejus in cordis ſui tabula depingat. Terram non modico ſuo cruore irrigat, & fæcundat, ut ex ea laureata amoris germina enaſcantur. Nec mortuum penitus velim reputare hunc amabilem Principem , cum probè noveritis, eandem eſſe Phœnicis naturam , & amoris, qui ab ipſo tumulo, & cinere vivacior reſurgit, & recentem à funere vitam auſpicatur. Et ſi amor ſpontaneus eſt animæ exitus, & quædam quaſi in eum, quem amat affectuum transmigratio: vivit etiamnum in ſubditis amor defuncti Principis; qui miro actûs amoris impetu , in civium ſuorum corda demigravit. Et ſanè vivet , ac vigebit non tam in ſuorum pectoribus, quàm in ſera poſteritate, omniúmque memoria tantus amor Principis, nullo ſatis Rhetorum pigmento, nulliſque eloquentiæ coloribus, ut par foret, illuſtrandus. Ego ſane ſic exiſtimo , ſi hodiedum rediviva Apellis induſtria, in effingenda amantiſſimi hujus Principis imagine deſudaret , pingeret in genis gratias , in ore blanditias, in labiis affabilitatem, in oculis ſidera, in ſuperciliis clementiam, in fronte amænitatem : in pectore candorem, in corde amorem, in voce lenitatem, in affectu facilitatem, in toto corpore diſcurrentem per omnes artus charitatem. Legite etiamnum , ſi poteſtis, explicatam illam frontis amænitatem , ut in ea cordis amantis typum perſpicuè videatis. Reducite menti in cives, populóſque ſingularia affectûs ſpecimina, ut Patrem in Principe agnoſcatis. Expendite apertas in liberalitatem manus, ut totum in ſuorum utilitatem proſpectantem animum cernatis. Aſpicite bina illa oculorum lumina, mortis licèt peplo eclypſata , ut affectuum flammas etiamnum emicantes videatis. Intellexiſtis ſæpius Principes publicæ rei eſſe na-

tos: hic Princeps omnium saluti à cœlo datus, semetipsum publici juris effecit. Audivistis Imperantium verba ad subditos debere esse byssina: in ore hujus Principis non nisi charites, & dulcissima apum examina cunabula sua struxerunt. Tenetis adhuc, ut opinor, memoria divulgatam illam Romanorum Principum gloriam; qui ædium suarum valvas die, noctéque egenorum accessibus patulas esse voluerunt; nec effluat Principis hujus benevolentia; qui nè ab egentibus, & miseris adiretur cum molestia, prior ipse eos adibat cum voluptate. Non vacat hic referre justitiam, & clementiam, providentiam, & vigilantiam, & quidquid unquam est virtutum, quod gratuita participatione à DEO bonorum omnium auctore possit in Principes derivari. Silentio hic involvo non humilem aliquam non abjectam, non plebeis animis communem virtutis prærogativam, sed masculam omnino, sed heroicam, tantúmque supra cæterorum hominum virtutes eminentem, quantum ipsa Principis dignitas popularibus undis antecellit. Missam hic facio incorruptam & æquitatis integritatem; quam ut inviolatam conservaret, nullum per munerum, donorúmque machinas aulæ suæ vim inferri est passus. Non commemoro hic juratam æquitati clementiam, qua irarum flammas sic restinxit, ut nullo pacto in quemquam varum flammas sic restinxit, ut nullo pacto in quemquam valuerit effervescere. Si quæ tamen justioris iræ se se obtulit materias, in ardentissimi amoris sui Lipara ita consumebat, ut nè scintillam quidem reliquam, aut cinerum vestigia suo in corde superesse clementissimus Princeps pateretur

CONTRARIUM. Quem dum ego clementiæ legè definitū amorem commendo in hoc Principe, nolim sagittas, & vulnera, cruorem, & funera animo vestro repræsentetis. Nolim in mentibus vestris depingatis crudelem Imperii tyrannum, cui furor surgat in supercilia, frontem corruget sævitia, oculos accendat Megæra, vultum exasperet atrocitas, manum insumat crudelitas, pectus, animúmque exulceret fædissima in subditum tempestas. De amantissimo suorum Principe verba facimus, non nescii, suorum sitire sanguinem, palmarem esse notam Principum barbaros

rorum. Non alio faturantur cruore veri Principum amores, nisi quem pudor ingenuus per vultus subditorum diffundit. Non facit Regem per timoris jura calcatus populus. Præcipitio proximat, qui per aliena capita immaniter grassatur. Exosa reddit Imperia, indociléque regnum qui extorto à populis timore, sola duntaxat rigoris jura præscribit. Alia longè moderationis lege suis præfuit hic Principum benignissimus. Nam si rursum oculos mentis in hiantem ejus sinum, patulúmque cordis penetrale lubet defigere, legetis efformatos proprio sanguine amoris characteres; ut vel inde facili conjectura assequi valeatis, universam amoris prosapiam, in hanc unam virtute, ac benigna indole efformatam sedem, amabili violentiâ transmigrasse. Legetis in corde hujus Principis, amorem sine instabilitate, constantiam sine mobilitate, celeritatem sine lassitudine, quietem sine otio, amorem nunquam non in utilitatem subditi operantem. Videbitis in hac ardentissima amoris officina excudi tela, sed amoris: fabricari acinaces: sed ad terrorem improborum. Ne verò in debellanda civium impietate formido invaderet animum Principis, pallor vultum, tremor artus, amor virtutis pectori erat clypeus, fronti galea, manibus fulmen. Si heroïcorum facinorum arena invitabat, si opponenda hostili tempestati repagula, si refringenda adversariorum tela, amor in orchestra Martis erat Imperator, nunquam sopitus, semper vigil, nunquam jacens, semper stans, nunquam timens, semper vigens, nunquam cedens, semper instans, vigilabat ad tutelam, agebat ad experimentum, vigebat ad laborem, stabat ad certamen, urgebat ad gloriam, progrediebatur ad triumphos. Sæpius equidem adversa heroibus fortuna, cogebat adversitatum nubes in tempestatem, grandinabat ærumnis, fulminabat calamitatibus, sed amor insuperabili virtutis protectus munimine, omnia intrepidè excipiebat. Tonabat periculum, irridebat, sæviebat tempestas, tranquillabat, opponebantur mœnia, superabat: armabantur in excidium hostes, unus amor eos detriumphabat. Nec miremini velim AA. invictissimum illud amoris robur, siquidem apprimè compertum

 tum

tum habetis, amorem inpenetrabilem loricam virtuti. quà periculis insultat, gladios excutit, mortem ridet, Principésque reddit insuperabiles, & invictos. Non derant quidem oppugnando huic amori æmuli, quos vel accendebat furor, vel sollicitabat ambitio, vel invitabat gloria, vel incitabat invidia, vel publicis ejus, privatísque cõmodis nocendi libido stimulabat. Sed hæc Principis hujus amor risu amico excipiebat, neque suum erga subjectos amorem, & infractam rebus in adversis constantiam passus est labefactari: ut intelligeremus universi, mediocritatis humanæ limites amorem ejus, & adversorum tolerantiam transcendisse,

SIMILE. Sciebat enim verò, ut similibus hucusque dicta illustremus, sciebat, inquam, sapientissimus Principum, in hoc alternante mundi pelago se haud absimilem navi esse, quam venti adversitatum, ac decumani fluctus quò libet impellunt. Sed navim se esse reputabat æquè lateribus firmam, obstinatámque ad ferendos procellarum impulsus, ac passis in auras populares velis, ad excipiendos felicitatis Favonios promptám, ac expeditam. Noverat sese disparibus tubis constructum esse organum pnevmaticum, quod æquè duro cantui serviat, ac molli; æquè Phrygio, ac Jonio, æquè tristi, ac amœno. Intelligebat se discriminatum rotis esse horologium, quod eodem sonore loquitur, sive dies præcipitetur in occasum, sive resurgat in ortum, sive in aërem diffundatur serenitas, sive tempestate aura involvatur. Eodem semper frontis tenore erat hic Princeps, in eadem oculi ridentis amœnitate, eádémque vultûs constantia verberantis, aut mulcentis fortunæ manum excipiebat. Stetit ùt rupes Marpesia, nullis jactanda fluctibus, nullo furoris turbine elicienda. Dejectus est solio, sed non animo: exuit purpuram, ut virtutem indueret: regnum cessit alteri, ut animi imperium obtineret: deposuit diadema, ut caput onere levaret: omnia perdidit, & habuit omnia; nihil perdidit, quia se ipsum sibi reliquit. Facile contempsit omnia, qui ad sui contemptum pervenit, majúsque regnum judicavit regum fasces posse contemnere. Unicum duntaxat egestatis incommodum passus

ſus eſt, quod alienæ non potuerit ſubvenire egeſtati. Quamquam multa enim tribuiſſe exiſtimem , qui tribuendi voluntatem non amiſit ; ſemper illi, quod largiatur occurrit; cui bene velle nunquam deficit. Et verò cùm hic opportuna beneficiorum recurrat memoria, non tam apertam in aperto corde munificentiam , quàm exporrectam in beneficia dexteram exhibemus. Aurum, & argentum in manibus ejus diffluebant, quæ amoris ardor facile ſolverat, in Codros, ac Iros defluxura. Unum illi primis in curis fuit; videre egeſtatem, eámque tollere ſubveniendo. Æmulatus in hac beneficientia fuiſſe videtur illuſtriſſimum ſiderum Principem, qui non expectatis mortalium precibus, ut in eorum utilitatem oriatur, ultrò ſe etiam non cogitantium oculis infundit. Non ignorâverit unà , Principes publicos eſſe fontes , ex quibus nemini non hauriendi ſit poteſtas. Erravi , flumina eſſe ſcivit Principes , qui non rogati ad inferiora decurrunt, & ſeſe ultrò ſitientibus terris propinant. Sed ne à patulo Principis hujus corde , tot bonorum fonte longiùs recedamus : quod diffuſa per orbem flumina Oceano , quod vigiles ſtellarum flammæ ſiderum Duci , quod fructus radici jûre meritiſſimo in acceptis referunt , id circumfuſa ſubditorum membra , largiſſimâ diſpenſatione ab hac principe amoris parte affatim ſunt experta , ab hac radice propagata , ab hoc ſidere illuſtrata , ab hoc amoris Oceano , non interrupta affectuum ſcaturigine irrorata. Aſſeruerint olim ſapientûm aphoriſmi , cor eſſe umbroſum nemus , in cujus receſſu Pardi ſtabulantur , tigrides efferantur , leones debacchantur , lupi prædantur , urſi in perniciem unguibus armantur. Aſſeram ego , in hoc delicioſiſſimo cordis Elyſio , placidiſſimóque amoris viridario , non niſi agninæ manſuetudinis agmina pabulari. Dixerit nonnemo humanum cor inſtabilis lunæ ectypon ; in quo ideæ Platonicæ ſe admirantur : ubi nexus Herculei , viciſſitudines Protei , transmigrationes Pytharogæ , metamorphoſes Ovidii, & infinita duplicitatis monſtra commorantur. Dicam ego explicatam in corde hujus Principis, omniſque doli neſciam integritatem habitâſſe. Quod e-

nim habebat in corde, circumferebat in ore; quod gerebat in lingua, enutrivit in gula, nec sub umbra palliati amoris, perversas fraudium alebat designationes. Sit cor humanum typus naturæ, in quo opera omnia, artes omnes ab humano ingenio fabricatæ reperiuntur. Sit speculum universi: sit angusta mundi ter-aquei tabula, & tota, qua latè patet, Orbis aspectabilis machina vivis coloribus adumbretur, In hoc cordis amantis typo legetis etiamnum præter alia, mira naturæ, artisque prodigia, trabales amoris characteres, in hoc speculo refractas cernetis germanorum affectuum imagines, in hac tabella animata, regna cum Provinciis, Provincias cum urbibus, urbes cum hominibus, indissolubili amoris nexu videbitis copulatas. Sit cor cœli ipsius sedes, at in hoc cœlo sunt sedes sine nube, Jupiter sinè fulmine, stellæ sine vapore. Non hic Plejades in tristes mœroris pluvias resolvuntur: non Oriones in nubila tristitiæ densantur: non arietes cornibus formidantur, Nulli hic leones unguibus minantur: nulli perfidiæ scorpii in perniciem armantur: nulli Chirones sagittas jaculantur: nulli tauri fronte minitantur: nulli hydrophori imbres fundunt adversitatum. Sit cor gratiarum, & amoris Oceanus, sed in quo placidissima regnant alcyonia, conticescunt iratorum fluctuum murmura; subsidunt tempestatum jurgia, pacem tenet tumentis Æoli prosapia, & inter jocantes Zephyrorum lusus, navis reipublicæ, aspirante benignitatis Favonio, ad portum requietæ felicitatis defertur. Sit humanum cor sit velut hydragyrum; quod semper movetur, & nunquam firmatur, quod jugiter vagatur, & nunquam subsistit, quod totum est dissolutum, & totum constrictum, quod se dividit in plura, & manet integrum, excurrit in Regiones, & non reperit terminos; properat ad scopum, nec tamen apprehendit, se accendit, & neminem inflammat, se emollit, & nihil indurat, levatur, & manet depressum, volat, & stat, conjungit, & dividit, crescit, & decrescit, dilatatur, & restringitur, figuratur in cœlum, pingitur in terram, subsidit in aquam, levatur in flammas, erigitur in montes, deprimitur in valles, ridet in pratis, & ne immunera recen-

recenseam, universam architectantis DEI fabricam suo gremio complectatur. Legetis hæc omnia in corde hujus Principis, sed meliore antithesi virtutem Regnantis addecente. Est enimverò clausum vitiis, sed apertum virtuti: est divisum in omnes, at sibi integrum: est constrictum in sua commoda, at solutum in aliena; habet amoris terminos, at sine termino; accendit amatum, & inflammatur: emollit dura, & non induratur: levatur in ardua: & non deprimitur: volat ad amatum sine intermissione, properat sine regressione, conjungit sine divisione; crescit sine diminutione, dilatatur sine restrictione. Sit cor humanum sit varietatis symbolum, quod jam plangit, & habet pro lacryma risum, jam colludit oculis, & habet pro fulgure obrutum, jam terret, & habet pro tonitru vocem, jam ferit, & vulnerat, & habet pro sagitta linguam, jam sternit, & evertit, & habet pro fulmine manum: At ex corde hujus Principis fundebantur lacrymæ ad miserendum, blandiebatur risus ad alliciendum, animabatur obrutus in fulgura, vox in tonitrua, manus in fulmina, ut vel animorum divortia percelleret, vel salutifero metu, flammisque amoris in jugem pacis unionem suos accenderet, inflammaret. Sit cor humanum fœcundissima tellus, sed in corde benignissimi hujus Principis, non germinarunt improbitatis lolia, non horruerunt asperitare dumeta, non abiit in sterilitatem benevolentiæ seges, nihil crevit inhumanum, & barbarum, nihil agreste; sed in amoris duntaxat, & clementiæ rosetum effloruit mitissimum hoc cordis solum Principis benigni.

EXEMPLA. At quò me eloquentiæ æstus adripuit? Quid diffusiore sermone prosequor amorem cordis? Verùm quid hæc ex me lubet percontari, cum non ignoretis, interminatam plerumque esse de amoris objecto facundiam, & vix ullo obice linguam amore desertam à profluvio verborum præpediri. Procederet ultrà dicendi facultas in ampliorem mitissimi cordis panegyrim, ni alia clementiæ prodigia, & benignissimorum Principum exempla Laconicè perstringenda, pro ratione hujus progymnasmatis,

continuò ad se provocarent, Et primus quidem in syllabum clementiorum Principum, jure accensendus venit Romani populi gloria, Julius Cæsar, qui ea in hostes, ac perduelles semper usus est benignitate, ut Marius non semel citra assentandi gratiam edixerit: *Cæsar qui apud te audent dicere, magnitudinem tuam ignorant, qui non audent, humanitatem & clementiam.* Hujus Cæsaris, ac Dictatoris voluntati, cum fortè pervicacior Metellus Tribunus plebis repugnaret, *nunquam efficies*, inquit clementissimus Princeps, *ut irā Cæsaris merearc.* Tanta in hoc summo totius penè orbis Regnatore erat animi mititas; ut conflatas adversum se hostium machinas, & propalàm jactatas criminationes inhibere maluerit, quàm vindiciis sequi. Itaque & nocturnos conventus in sui interitum celebratos, atque umbrarum beneficio cusa in malum suum consilia haud aliter repressit, quàm palàm faciendo publicæ luci esse data, satisque habuit pro concione malevolis denuntiare, nè plura ejuscemodi porrò molirentur. Ea propter amplissimi Romanorum Optimates, Clementiæ ædem, ad honorandam Cæsaris lenitatem, non vulgari impendio fieri fecerunt. O quot, quantisque suis adversariis non duntaxat salutem dedit, sed honoribus longè maximis auxit, ut Brutus, & Cassius satis, superque probant, Prætorum dignitate ornati. Quid quod sæpe tabellas in suam perniciem exaratas, & à jurata fidelitati manu ad se delatas, minimeque lectas Vulcano tradidit, maluitque ignorare perfidiam, & adversariorum nomina, quam iræ, vindictæque sibi causam ministrare, [a] O singularem Cæsaris clementiam, nec ab ipso Romanæ facundiæ Principe, ut par foret, deprædicandam! Huic placidissimo orbis Capiti, proximum sibi locum vendicat Augustissimus Cæsar Augustus, plus æquo hostibus suis propitius, & indulgens. Unicum sufficerit mitis ejus animi dare argumentum. Forsan altissimi sanguinis juvenis Lucius Cinna, jam antehac incolumitate donatus à Cæsare, novas Augusti vitæ struxerat insidias, & rationem, modùmque ejus interimendi, fraude non sat tecta adornarat. Quod

[a] *Plut. in Cæsare.*

Quod ubi comperiſſet Cæſar, non meritam proſcriptionis ſententiam in eum fulminavit, ſed, quod attonitum me tenet, protinus accerſitum, humaniſſiméque acceptum, læſæ Majeſtatis crimine abſolvit, & placidiſſimè hiſce verbis affatur: *vitam tibi Cinna iterum do, priùs hoſti, nunc inſidiatori, ac parricidæ. Ex hodierno die incipiat inter nos amicitia: contendamus deinceps utrum ego meliore fide vitam tibi dederim, an tu mihi debeas.* Nec in verbis, ſed in opere ſtetit Auguſti clementia, dum ad celſitudinem Romani Conſulis Cinnam evexit, & ex aſſe hæredem fortunarum ſuarum ab obitu nuncupavit. (b) Silentio hic involvo Trajanum Imperatorem, qui amicis aliquando culpantibus nimiam erga ſuos clementiam, repoſuit; talem ſe imperatorem eſſe privatis; quales eſſe ſibi Imperatores privatus optaret. (c) Miſſum facio Hadrianum Imper: qui ſervum in ſe ferro irruentem, non ſolùm non impunitate donavit, ſed & beneficiis affecit. (d) Prætereo Nervam Imper: initio Principatus ſui clementiæ ſingularis ſpecimina edentem. Reos enim læſæ Majeſtatis abſolvit; exules in patriam reduxit, ac omnes qui metu diffugerant, indultâ noxis veniâ, revocavit. (e) Nolim hic recenſere Marcum Antonium Pium, Titum Veſpaſianum, Gratianum, pluréſque alios Imperii Romani gloriâ inſignes, qui in benignitatis, & clementiæ baſi regni ſui fundamina locârant. Sed ne duntaxat vetera ſectari videamur, eóſque ſolùm Principes in ſuperſtitioſa antiquitate referamus, qui aucupandæ humanæ gloriæ, populariſque auræ captandæ gratiâ, clementiæ ſibi fucum aſſumpſerunt, quædam Principum Chriſtianorum haud afflicta hujus virtutis exempla, in medium, paucis comprehensâ brevitate producamus. Quid Theodoſium ſupra populi myricam, cæteróſque homines altiſſimè extulit, niſi admirabilis illa clementia, quâ omnium amores, & benevolentiam ſibi conciliavit? Sciſcitatus erat forſan aliquando ex hoc mitiſ- ſimo

R 4

[b] *Plut. & Sueton. in Auguſto.* (c) *Plin. in paneg.* (d) *Pontan. lib. 2. c. 10. de Fort. domeſt.* (e) *Cuſpin. in Nerva.*

ſimo Principe quiſpiam Palatinus, cur regiam ſuam dignitatem laceſſentes capititis non damnaret? Quid repoſuit? *utinam*, inquit, *mortuis vitam dare poſſem!* Tanta erat ejus animi lenitas, ut non niſi perpaucos, eóſque graviori noxâ obſtrictos, commeritæ morti juſſerit addici. Sed & hos, pœnitudine ductus, à ſupplicii loco perſæpe revocatos, criménque ſuum deteſtantes, vitâ clementiſſimè donavit. [f] Ecquid uſque adeò celebrem mundo reddidit Alphonſum XI. Regem Caſtellæ, ut nulla ſequens ætas de ejus laudibus conticeſcat, niſi ſingularis animi benignitas, qua hoſtes ſuos beneficentiæ ſtudio ſequebatur. Unum è pluribus accipite. Forte Alcairam urbem à Mauris iniquè poſſeſſam, ſtrictâ obſidione premebat; cum unus aliquis projectus in audaciam præſidio egreditur, Alphonſum internecioni daturus. At fine ſuo fruſtratus fuit ſubſeſſor Maurus, à ſatellitibus regiis interceptus. Dum verò factâ diſquiſitione, ejus rei gratia ſe veniſſe ad caſtra fateretur, ut pro patria, Diíſque ſuis vitam offerret; Alphonſus novis amictum veſtibus, donatóque non modico ære, libertati redditum, ad urbem remiſit. Hæc mitis Alphonſus Caſtellæ. [g] Sed quid alter hujus nominis Aragonum Rex? Hic profectò in virtute clementiæ vix parem ullum, ſuperiorem verò neminem habuiſſe perhibetur. Et tamen de nimia ſua lenitate, non veriti ſunt eum arguere ſuperciliosi quidam, & in pœnas præcipites aulæ miniſtri. At hos ſerveriores genii Catones, moderatione ſolita repreſſit Alphonſus, ſciſcitans in hæc verba: *quid ergo, vultis urſos, & leones regnare? Hominum clementia, belluarum feritas propria eſt.* Ejuſdem etiam eſt vox illa digna miti Principe: *malo multos meâ clementiâ ſervare, quàm paucos ſeveritate perdere.* Aliàs rogatus, quid maximè adverſarios flecteret? *placabilitatis & manſuetudinis nomen.* (h) Nec citra crimen præterire hic licet Rudolphum Auſtriacorum Principum Patrem, qui identidem illud reiterabat: *ſeverum, & immitem me aliquando fuiſſe pœnituit: lenem*

(f) *Cuſpin.* (g) *Alex. ab Alex. lib. 5.* (h) *Panorm. lib. 1. de reb. geſt. Alphonſi.*

nem, & placabilem nunquam. (i) Infinitus forem, si panegyricâ linguâ prosequerer Carolos M. Constantinos, Theodosios, Leopoldos, Ludovicos, Ladislaos, & innumeros propè alios, qui memoriam clementis sui nominis à situ & pulvere vindicarunt.

TESTIMON. Quare ad testimonia veterum transitum faciamus, corúmque mentem de clementia Principum accipiamus. Et primus quidem in luculentum accedit testem Romanus Sapiens, ita inquiens: *Clementia omnibus hominibus secundùm naturam, maximè tamen decora Imperatoribus.* (k) Unde *nihil est, quod Imperatorem meliùs gentibus commendet, quàm Clementia*, dicebat Marcus Antonius (l) *Et servare proprium est excellentis fortunæ* (m) Sen. Nam. *Nihil habet alicujus fortuna melius quàm ut possit, nec natura, quam ut velit servare plurimos.* Cic. [n] *Ita enim vires magnis viris decori gloriæque sunt si illis salutaris potentia est. Nam pestifera vis est, valere ad nocendum.* Sen. (o) *Et nullum ornamentum Principis fastigio dignius pulchriúsque est, quàm illa corona ob cives servatos.* Idem [p] *Nec ulla re proprius homines ad DEVM accedunt, quam salute hominibus dandâ.* Cic. [q]

Pulchrum enim verò *eminere est inter illustres viros,*
Consulere patriæ, parcere afflictis, ferâ
Cæde abstinere, tempus atque iræ dare.
Orbi quietem, sæculo pacem suo.
Hæc summa virtus, petitur hâc cœlum viâ. Sen. (r)

Ad hæc *clementia tutiores præstat, ornamentúmque Imperiorum est simul & certissima salus*, Sen. [s] Nam *unum est inexpugnabile munimentum, amor civium*, Idem [t] Et profectò.

Non sic excubiæ, non circumstantia pila.
Quàm tutatur amor. Claud. (u)

Et firmissimum est illud imperium, quo obedientes gau-

(i) *Æneas Silv. lib. 2. comm.* (k) *lib. 1. de clem.* (l) *in Vulc. Gal.* [m] *l. 1. de clem.* (n) *pro Marcel.* [o] *lib. 1. de clem.* [p] *ibid.* (q) *pro Ligar.* (r) *in Octav.* [s] *lib. 1. de clemen.* [t] *ibid.* (u) *ad Honor.*

dant Livius. [x] Quid quod *magnum timoris remedium est clementia.* Sen. (y) Contra verò *qui terret, plùs ipse timet.* Claud. (z) Nam *necesse est multos timeat quem multi timent.* Macrob. [aa] *Tantumque necesse est timeat, quantùm timeri voluit, & manus omnium observet, & eo quoque tempore, quo non captatur, peti se judicet, nullumque momentum à metu immune habeat. Malus autem Princeps invisus est, quia timetur, & timeri vult, quia invisus est.* Sen. (bb] *At metus, & terror infirma sunt vincula caritatis; quæ ubi removeris, qui timere desierint, odisse incipient.* Tacitus. [cc] *Et nulla vis Imperii tanta est, quæ premente metu possit esse diuturna* Cic. (dd) *Nam quem metuunt, oderunt, & quem quisque odit, periisse cupit.* Idem. (ee] *Quisquis* autem *vitam suam contempsit, tuæ Dominus est.* Sen. (ff *At cave multos, si singulos non times.* Capitol, in Maximino. *Frustra* enim *se terrore succinxerit, qui septus charitate non fuerit.* Plinius paneg. *Nec potest diu stare, quæ multorum malo exercetur potentia.* Sen. [gg] *Et quidem ego cuncta Imperia crudelia, magis acerba, quàm crudelia arbitror: neque quemquam à multis metuendum esse, quin ad eum ex multis formido recidat.* Contrà *qui benignitate, ac clementiâ Imperium temperavêre, his candida, & læta omnia fuisse etiam hostes æquiores, quam aliis cives.* Salust. (hh] Quare *malus est custos diuturnitatis metus; contráque benevolentia fidelis est vel ad perpetuitatem.* Cic. [ii) *Nec ad incolumitatem solùm, sed etiam ad opes, & potentiam valet plurimùm, ut metus absit, charitas retineatur.* Idem [kk) *Longéque valentior amor ad obtinendum quod velis, quàm timor.* Plin (ll) Nam *peragit tranquilla potestas,*

Quod violentia nequit, mandatáque fortiùs urget
Imperiosa quies. Claud. (mm]

Unde

(x] *lib.* 1. *decad.* 8. [y] *in Octav.* (z] 4. *consul. Honor.* (aa) *Saturn.* 7. [bb] *lib.* 1. *de clem.* (cc) *in Agricola.* [dd) *lib.* 1. *de offic.* (ee) *ibid.* (ff) *epist.* 4. (gg] *lib.* 6. *de ira.* (hh) *ad Cæsar.* [ii) *lib.* 2. *de offic.* [kk) *ibid.* [ll] *lib.* 8. *epist.* 14. (mm) *in paneg. Matil.*

Unde *reipsa reperi, facilitate nihil homini esse meliùs, atque clementiâ.* Terrent. (nn] Quamobrem.

Qui vult amari, languidâ regnet manu. Sen. (oo]
Invisa nunquam Imperia retinentur diu. [pp]

Clementia verò *in quamcunque domum pervenerit, eam felicem, tranquillámque præstabit. Sed in Regia quò rarior eò mirabilior.* Sen. (qq] Ad extremum illo testimonium obsigno: *Quisquis est placidè potens,*

Dominúsque vitæ servat innocuas manus,
Et incruentum mitis Imperium regit,
Animóque parcit: longa permensus diu
Felicis ævi spatia, vel Cœlum petit.
Vel læta felix nemoris Elysii loca. Sen. [rr]

EPILOGVS Et hæc adiisse benignum hunc Principem, imò amoris, & clementiæ subnixum alis, ad felices Beatorum sedes evolasse, nemo est qui ambigat, ut opinor, AA. Verùm priusquam penitus ab oculis nostris auferatur, illud non tam marmori, quàm cordi cenotaphium in vicem epilogi, ad perennaturam ejus memoriam insculpamus. Sta viator Hic jacet, qui semper stetit. Prostratus, non eversus. In miseria nunquam miser. Felix, non quod miserias abjiceret, sed quod ferret. Odia multorum cùm sustineret, nobilissimum vindictæ genus est aggressus bene faciendo. Adversarios patientia ultus est. Sui amatores fecit, quos passus est inimicos. Vir utriusque fortunæ: alteram tulit fortiter, alteram temperatè nunquam illi succumbens, nunquam isti velificans. In regia dignitate id solum amabat, quo poterat prodesse. Pater erat omnium, & singulorum. Supra omnes dignitate, obsequio infra universos. Tam parvus sibi, quàm magnus aliis. Elatus, sed demissione. Stetit in alta Regis specula, ut suorum commodis invigilaret. Purpura non alio murice erubuit, quàm suorum amore. Adducta circum tempora fascia, sensit procurando Reipublicæ bono se obligari. Nè secures vibraret in subditos, amor illos extorsit. Nemo illi displicuit, nisi cui virtus. Ferre malum, quam infer-

(nn) *in Heaut.* [oo) *in Theb.* [pp) *in Herc. fur.* [qq] *lib.* 1. *de clem.* [rr) *in Med.*

inferre maluit. Regni dispendia traxit in lucra virtutis. Idem in solio, qui in exilio. Nec illud Principem perdidit, sed servavit. Ut se plurium utilitati servaret, ad tempus abiit. Revocatus ad sceptrum, revocavit amorem. Vindicta fuit, non posse vindicare. Ut fidem haberent subditi, sanguine proprio se subscripsit. Ut legerent amorem, pectus aperuit. Ut biberent amorem, cruorem suum ex corde profluum civibus propinavit. Amore vixit, amore suorum occubuit.

CHRIA VII.

D. Hieronymus invitat Heliodorum ad vitam solitariam.

Epist. 7. ad Heliod.

EXORDIUM. NEminem sanè involvi ea mentis caligine existimem, qui non in aperta veritatis luce clarissimè perspiciat; illud ab omnibus rationis lumine præditis, & inchoandum, ac prosequendum esse; quod DEO, quod rectæ rationi, quod sanis legibus, quod sapientum virorum institutis conformatum esse videatur. Ita enim à natura comparatum est, supremo rerum omnium Authore rationali creaturæ providenti; ut illud omni corporis, mentisque annisu defugere adnitamur, quod divinis juxtà, humanisque legibus, quod proborum consiliis, atque monitis, quod honesto, decoróque refragatur. Nihil enim verò fœdiùs homine, nihil iniquius, ab humanitatis norma à recti tramite deviante, desciscente. Aut rectè agendorum regulâ se discretum noverit à brutis animantibus, qui hominis nomine, ac omine gloriatur: aut in ferinam degeneret naturam est necesse. Neque in eo quisquam arbitretur sitam esse humanæ vitæ excellentiam, ac dignitatem; ut ingenio suo duntaxat indulgeat, cuticulam curet, respectet libertatem, ac pro arbitrio suo vi-

diffluat , sed ut proposita sibi jugiter honesti ra-
:, quod fas, & æquum postulat, sobriè, ac continenter
is, atque temporis periodum transigat, immortali fe-
ite terminandam. Quæ cum alti, magníque animi
odorus ad æquabilem. veritatis stateram maturiùs
numero exegisset, & etiamnum studiosa mente so-
r,agitet: hanc ob causam purpuratus Dalmata, in
omnium ingenuarum artium cognitio perfectissima,
virtute, ac sanctimonia inverat certamen, hanc, in-
n, ob causam magnus hic probitatis Magister, ipsi-
e sacrosanctæ Ecclesiæ Doctor, salutis Heliodori
uàm curiosus, literas ad eum dedit, quibus animum
ad propositi melioris executionem penitus inclina-
Non erat nescius vir integritate vitæ spectabilis
onymus, usúque familiari devinctus Heliodoro,
i vitæ probioris genus jam dudum antè conceperit.
ipertum apprimè habuit, constituisse illum devita-
bium tumultus, aularum strepitus, populi frequentiam
irum rerum solicitudinem, sæculi pompam, ambitio-
, honores evanidos, & innumera mundi tumentis por-
1. Probè cognitum fuit viro sanctitatis, sapientiæque
i illustri, non magni ducere Heliodorum paterni a-
is lenocinia, non pensi habere aut fucatæ volupta-
andimenta, aut dignitatum subsellia, neque opes, ac
ntiam, dulcissimáque sociorum commercia, ad soli-
: vitæ amorem, & studium aspirantem posse remora-
Non ambigebat illum in proposito vitæ austerioris
itio, progressus non vulgares indies facturum, com-
surandos magnanimitati ejus, ac perspectæ sibi vir-
Nè tamen, ut vagæ sunt, ac desultoriæ natura sua
inum voluntates, rigidioris forsan vitæ tactus for-
ne, in transversum rapiatur, Epistola aurographa,
e perefficaci, illum adit, convenitque, roboraturus per-
um sibi Heliodorum in sententia animi, propediem
pricum solitudinis eruptura. Ut vero ad terram ab
inum oculis longiùs semotam, Cœlóque soli specta-
n continuò Heliodorum abducat; in has solitudi-
iudes excurrit, quas paraphrasis in vicem damus; nè

dam,

damnandâ tenebris eloquentiâ nostrâ, non eas elucidare, sed obscurare videamur. Accipite tenorem epistolæ, ad limam divinioris sapientiæ in hæc verba expolitæ.

PARAPHRASIS. *O desertum CHRISTI vernans! O solitudo; in qua illi nascuntur lapides; de quibus in Apocalipsi civitas magni Regis constituitur! O eremus, familiariùs DEO gaudens? Quid agis frater in sæculo, qui major es mundo? Quamdiu te tectorum umbræ premunt: Quamdiu fumosarum urbium carcer includit? Crede mihi, nescio quid plùs lucis aspicio. Libet sarcinâ corporis adjectâ; ad purum ætheris volare fulgorem. Paupertatem times? sed beatos pauperes CHRISTUS appellat. Labore terreris; nemo athleta sinè sudore coronatur. De cibo cogitas: sed fides famem non timet. Supra nudam metuis humum exesa jejuniis membra collidere? Sed Dominus tecum jacet. Squallida capitis horret inculta Cæsaries? sed caput tuum CHRISTVS est. Infinita eremi vastitas terret? sed tu Paradisum mente obambula. Quotiescunque illuc mente conscenderis, toties in eremo non eris. Scabra sinè balneis attrahitur cutis? sed qui in CHRISTO semel lotus est, non habet necesse iterum lavare. Et breviter ad cuncta audias Apostolum respondentem Non sunt condignæ passiones hujus sæculi ad superventuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Delicatus es frater, si & hic vis gaudere cum sæculo & postea regnare cum CHRISTO Beatus servus, quem Dominus invenerit vigilantem.* Hæc purpuratus Dalmata ex vasta solitudine Heliodoro. Quibus si lumen eloquentiæ licèt Tullianæ adjicere velim: lucem, ridente mundo, illustrissimo Soli attulero.

CAUSA. Sed ut nos quoque nonnulla rationum momenta, de exili facundiæ nostræ penu depromamus, quibus non tam Heliodoro, quàm mundi etiamnum asseclis solitudinis affectum imprimamus; vos hìc ego appello sæculi cassibus irretitos thrasones, edicite, si vos non aliena à verò destinet sententia, quidquámne arbitrari valetis in consummata vitæ hujus felicitate, quod non sancto huic secessui tributarium accedat? An fortè ea vos habet opinio, quod minimè censeam, ut omnigenæ virtuti campum

ım illi deesse vanâ persuasione existimetis ? Næ ego à
ente , & consilio deductos vos esse dixerim, si inficias ire
litis, universum virtutum choragium in solitudinis or-
estra tutissimè spatiari. Quid enim ? an non inibi re-
ıum obtinet demissio animi , ut exaltet ? An non flo-
t patientia, ut rosas germinet in coronam : An non inte-
itas corporis perennat, ut hominem reddat penitus inta-
inatum: Ibi enim verò hospitatur mansuetudo, ut erum-
ntes animo seditiones placidè componat: ibi charitas
ɔminatur, ut integrè quidvis volendi arbitrium DEO
bjiciat, ac conjungat. Ibi afflictatio justa corporis vires
as exerit, ut belluam vix, ac nè vix edomandam in fræ-
ɔs agat; cupiditates noxias comprimat, omnésque sen-
s rationi morigeros reddat, ac obsequentes. Inibi mirâ
vinæ contemplationis dulcedine pascuntur, & reficiun-
r animi, colloquia miscentur cum DEO-Homine, cum
egerrima ejus Parente, cum fortunatis Cœli indigenis
mocinari datur, viráque omni genere beatitatis cumu-
ur. Quid quod solitariæ vitæ sectatores, lustrant, per-
dúntque amœnissima patriæ cœlestis viridaria, vias illas
ro puro, finóque stratas, illustríque gemmarum splen-
re fulgentes longè, latéque animo peragrant, altiúsque
n raró mentis gressum porrigentes, cætus, ac ordines
rissimos percurrunt beatarum mentium, immortali
e circumfusos, & in ipsius summi, præpotentísque Do-
natoris sinu placidissimè conquiescunt. Non moventur
epitu hujusce sæculi, non inani ostentatione, non fuca-
, ementitóque pulchritudinis nitore, non falsis gloriæ, ac
norum nominibus, non voluptatum illecebris trahun-
, inescantur. Nihil insolenti lætitiæ, obnoxióque mæro-
gaudio tribuunt, nihil bullato vestium luxui, nihil sum-
ıi immodico, ac profuso, nihil basilicis, opiparísque da-
ɔus. nullíque societatis pravæ vinculo se obstringunt ,
l à streperis aularum, urbiúmque negotiis longissimè
gregati, altissimâ quiete animi perfruuntur. Quos enim
bulentos populi motus persentiscant, ab omni tumultu
antis vulgi semoti ? Quod cum improbis commerci-
ı incant, qui DEO unicè ab obsequiis, præcipuum, &

am-

nitatis emporio, sæculíque mercatu venumdari, quæ felicitatis fortè speciem præ se ferre videatur. At quam palmari errore deludamini, fugiente animum vestrum rerum verarum cognitione, paucis vos velim, pro ea quam de salute vestra gero, solicitudine, erudire. Agite proinde, & sagaciore quo polletis mentis acumine, intimam sæculi vanitatem mecum pervadere ne gravemini. Cujus felicitatem si oculo ab omni rerum caducarum fascino immuni contemplemur: videbimus tempestuosam Oceani patriam, sempérque turbatum mare, in quo non nisi salsæ, salsæque bibuntur aquæ, dum in quieta solicitudine rivi dulcium aquarum à fonte æterno manantium jugiter scaturiunt, affatímque redundant. Spectabimus in sæculi theatro omnia vafritie misceri, ac imposturis: dum in vita solitaria nihil simulatione regitur, nihil fucis coloratur. Habeat suos mundus porrectos in sublime honorum Atlantes, nubes ipsas fastuoso vertice transcendentes: sed & fulmina nunquam non reformidat; quæ concussa non rarò mole gloriæ, alti nominis fastigia demoliuntur: cum interim solitudo citra metum perdendi honoris, inter modestiæ limites, ab arrogantiæ crimine longissimè abest. Stupeat suos mundus capita alta ferentes Encelados, qui montes superaddant montibus aliis in terrorem, pondere non rarò in authores suos revertente: cùm interim solitudo immunis omni formidine, suis virtutibus circumsepta altissimâ fruitur quiete. Admiretur soles suos in pleno meridie gloriæ adscititiâ luce radiantes: dum eremi cultores in recessu suo, nunquam deficiente altiori lumine clarissimè illustrantur. Triumphet denique mundus cum apparante deliciarum suarum viridario, sentibus tamen, ac dumis ærumnarum quaquaversum consito: cùm solitudinis asseclæ, per vias rosis constratas, inoffenso à rubis vitiorum pede tutissimè gradiuntur. O colorata mundi vanitas! O ampullosa inanitas! O foliosa levitas! quæ vix apparet, & disparet: vix incipit: & deficit: vix oritur, & moritur: vix florescit, & marcescit: vix crescit, & decrescit: vix accedit, & decedit. Alia, alia sunt, quæ

suis pollicetur clientibus minimè fallax, fucatáque solitudinis volupia. Non illa viridantem foliorum inanitatem sed fructus, eósque æternaturos porrigit, non fella, sed mella propinat, non lacrymas, sed risum instillat, non lamenta, non tormenta, non portenta miseriarum parturit, quibus sæculi tyrannis in asseclas suos jugiter ferocit, ac debacchatur. Quid memorem alia: Levantur in altum superba ædium culmina, sed incolis minantur ruinam. Vici, ac compita perstrepunt agglomeratâ populi frequentia, sed & intestinis civium bellis effervescunt. Assurrgunt in Principum prætoriis celata auro lacunaria, sed & purioris Phœbi diem eripiunt. Pictæ domus, pictíque vultus, ac cerusa illiti renident, sed & animorum facies mille fucis, mille tecHnis adumbratur. Seritur aurea gloriæ sementis, sed ubi ad maturitatem surrexerit, metitur manibus invidorum. Epulæ, & falerna mensas onerant, sed & fames assidet mœrore obsonante. Captatur quies in fartis olorum stragulis, sed timores, sed angores, sed horrores undequaque excubant. At fortè vos blandæ familiarium destinent illecebræ, ac longo usu contracta necessitudinis jura, mutuíque amoris fœdera? At longè à virtutis calle deflexeritis, si consuetudini pravorum, misso solitudinis contubernio, vos adjungere decreveritis. Non vos fugit, ut opinor, quæ, quantáque malorum germina pullulent è seminario necessitudinis perversæ. Sed fortunæ bonis, divitiísque privabimini? ergo & vitiis. At longo carebitis clientûm, famulantûmque syrmate. ? Igitur nec adversarium domi aletis, insidias vitæ, aut fortunarum vobis struentem. At domibus Regum, aularúmque penetralibus excludemini? Sed & Lernam malorum inter penates Principum persæpe grassantem devitaveritis. At soli in solitudine degetis? Quis isthoc neget? Sed quanta potiatur felicitate, qui sibi solus sufficit, multáque cum animo suo præclara versans meditatur esse probus, nemo est, qui ignoret. Quanquàm nec solus est, cui animæ negotium cum DEO est, quíque cum beatarum mentium choris fidissimam pangit societatem. Verùm quid ego hæc pluribus pertra-

tracto, cùm luce ipsa clariora videantur? Ne tamen quicquam à nobis desiderari possit, quod ad illustrandam vitæ solitariæ felicitatem conducere valeat, similitudinis lumen hucusque dictis adferre lubet.

SIMILE. Est enimverò beata solitudo munitissimi instar castri, in edito, præruptóque monte situati, ac firmis undequaque legum, ac virtutum præsidiis ità vallati, ut infestis vitiorum signis aditus omnis præcludatur. Quod ut testatissimum evadat; dicite, amabo, qui immoderatus amor, & cupido divitiarum, malorum omnium fons, & origo, animum occupare ejus valeat, qui facultates suas cum ultronea egestate commutavit? An gloriæ, ac honoris desiderio æstuabit, qui proculcata honorum pompa, spretáque dignitatum luce, in latebras solitudinis spontaneè se abjecit? Quonam pacto pestilens lasciviæ aura illum afflaverit, qui nè oculis quidem lenocinantium Sirenum speciem inviolabiliter sanxit delibare? Qui ardor vindictæ, ac furoris pectus ejus inflammet, qui à nemine, nisi à se ipso, male quondam fortè actorum vindicias sumere decrevit? Quonam modo à ventris, & gutturis vitio impugnetur, qui in leges frugaliter, sobriéque vivendi juravit? An usuras, fœnúsque is exigat, qui opibus suis inopiam nundinatus est? An rei alienæ inhiabit, qui suam pios in usus erogavit? Qua ratione dolosis mundi cassibus irretiri sustineat, qui à technis, & fallaciis omnibus adeò sollicitè se expedivit? Quomodo demum in procelloso mundi Oceano vela rursum faciat, qui post superatas decumanas tempestates portum attigit securitatis, & jam veræ tenet oram felicitatis? Atque adeò neminem vestrum eâ teneri amentiâ existimem, qui diffiteri valeat, tantò majorem in solitudine campum virtuti tribui, quantò minus juris est peccato fines verecundiæ transilire. Et quemadmodum extra solitariæ vitæ limites virtutes serviunt, & vitia exercent dominatum: haud secus intra sacratioris hujus vitæ pomeria, vitia jacent, atque marcent, virtutes verò quasi in proprio solo altissimas agunt radices, súmque indies capiunt incrementum. Sed alias forsan avetis similitu-

S 2 di-

dines rei veritatem clariùs illustrantes ? In vestra perlubens vota abeo, quò suscepto suadelæ officio probè perfungar. Et verò si hoc sanctioris vitæ solitariæ institutum, terrestre quoddam est cœlum, novus paradisus, tranquillum otium, cella beatorum spirituum, amœnissimum DEI ipsius ambulacrum, beatitudinis suburbanum, scatebra limpidissimarum voluptatum, sedes gratiarum cœlestium, pacis perennaturæ domicilium, amoris divini cōclave: quid est, quod vos ab amoris divini consortio deterrere, in rixosis urbium tumultibus retinere, à sede gratiarum cœlestium protinus adeunda valeat remorari? Itáne limpidissimam scaturiginem purissimæ voluptatis, cœno fœdissimarum voluptatum lubet posthabere? Quid? an præpostero mentis vestræ arbitrio, beatitudinis suburbanum apud vos transeat in mundi ergastulum, DEI ambulacrum eat in vitiorum emporium, cella beatorum spirituum in hypogæum perfidorum mortalium, tranquillum otium in turbulentos sæculi motus, terrestre cœlum in cœcam voraginem inferorum? Ah si de mentis sanitate necdum estis deturbati; stabilem vobis sedem figite in hoc terrestri cœlo, in Empyrii Cœli candidatos haud dubie evasuri. Commoremini in hoc novo Paradiso, & integritatem primam conservastis. Amplectamini continuò tranquillum illud otium, & partium contentiones, urbiúmque seditiones effugistis. Adite hanc cellam purissimorum spirituum, & affricantem pravorum consortio lepram feliciter excussistis. Nè deflectatis à DEI ambulacro, & per vias justitiæ inviolato pede iter fecistis. Capite auctutum quietem in hoc beatitatis suburbano, & frementes mundi calamitates, ærumnásque inquieti sæculi declinastis. Bibite, ah illico bibite de scatebra sinceræ, divinæque voluptatis, & lacunas mundi, mephitim vitiorum redolentes nauseâstis. Colite sinè intermissione colite sedem gratiarum cœlestium, & scelerum gurgustia devitastis. Occulite vos confestim in hoc delicioso sacerrmi amoris conclavi, & fugitivæ voluptatis illecebras in termino suo lancinantis, ab animi sede gloriosè ejecistis. Et sanè si plus rerum veritati, quam

quàm depravatæ mortalium opinioni tribuamus, inveniemus in hoc prodromo felicitatis æternæ statu, voluptatem sinè dolore, amorem sinè fastidio, beatitatem sinè timore, gaudium sinè mœrore, tranquillitatem sinè tempestate bellorum, otium sinè tumultu virtutem sinè circumstantium vitiorum exercitu, bona propè reperiemus innumera, infinita.

EXEMPLA. Quæ cùm omnia vero congruant, non ausim porrò, citra irrogandam vobis injuriæ notam, ambigere, de propensa, inclinatáque in sententiæ meæ arbitrium vestra AA. voluntate. Quod si tamen in hac luce veritatis, vobisimet ipsis tenebras falsi offunditis: aut non tam veritatem, quàm suadentis authoritatem parvi ducitis: sisto vobis coràm regia dignitate conspicuos mundi Principes; qui posthabitis rerum fluxarum blandimentis, ac protritis genetoso calce honorum insignibus sub labara abjectæ humana opinione solitudinis convolârunt. Loquatur hic rerum potiens Lotharius, vobísque melioris animi author sit tantus orbis Monarcha, qui abdicatis Imperii fascibus, ad vilem solitariæ vitæ conditionem se abjecit, ab honoris contemptu gloriam, à loci obscuritate verum nominis splendorem, & apud æquos rerum æstimatores laudem nactus est immortalem. (a) Loquatur Carolomannus Austrasiæ, ac Sicambriæ Princeps, rerúmqua gestarum gloriâ celeberrimus Regum, qui pedum pastorale sceptro, vilem cucullum diademati aureo præferre non dubitavit. (b) Loquantur Pipini Reges Italiæ, Veremundi Castellæ, Ramiri Aragoniæ, Sigiberti Angliæ, Josaphati Indiæ, Suatacopii Moraviæ, compluresque alii, qui deliria mundi somniantis irriserunt, bullas honorum abjecerunt, & fulgentia Regum augustalia, cum latebroso nemorum spelæo, purpuram cum agresti lacerna, Imperii delicias cum austerioris vitæ rigore commutârunt. Et vos mollioris vitæ licitatione Cœlum nundinamini? Illi, ut hostis nequissimi tela, ac impetus eliderent, ut sacratioribus armis vix domabilem

(a) *Cuspin. & Sigebertus.* (b) *Sigon. lib. 3. Reg. Ital.*

bilem corporis belluam subjugarent, ac victoriam de se ipsis reportarent, in virtutum palæstra gloriosè dimicarunt: & vos palmam victoriæ, in arena vitiorum undequaque obsidentium, citra dubium vos erepturos arbitramini? Non adeo vos mente captos existimem, ut ibidem, incisis tot hostium nervis, trophæa vos erecturos speretis; ubi tot, tantique, æterno famæ suo opprobrio, adversa prælia fecerunt. Hac in acie ne caderet Paulus Thebeus, in flore ætatis solus petiit deserta, locúmque ab omni commercio hominum, ac scelerum remotum. Vix terminum voti sui reperit, & en scrupofam invenit in montis radicibus speluncam, quam juxta molliter fluens rivulus terram irrigabat, & effusis desuper ramorum umbraculis palma Solis arcebat ardores Hic captus loci opportunitate, ubi latere concupierat, habitare cœpit. In eo secessu cùm centum & tredecim vixisset annos, nusquam ipse discessit, hominem nunquam vidit: præterquam die vitæ supremo Antonium divinitus monitum, à quo & humatus fuit. Palmæ primò fructibus nutritus est: deinde per annos sexaginta dimidiati panis fragmentum, in singulos dies comedit, corvo ministrante. Neque alio genere potiùs quàm frigida sitim levavit. Indumento de palmarum foliis contexto operuit nuditatem. [c] At qua jam pretiosa cyclade inter aulæ cœlestis Proceres sit redimitus, quis satis fando explicet? Eandem vitæ rationem iniit, anno ætatis suæ vicesimo, magnus ille Antonius, Ægypti solitudinem luce sanctimoniæ admodum illustrans. Quanto verò amore id genus vitæ prosecutus sit, liquet eo, quod de hoc eremi ornamento memoriæ prodiderunt ejus vitæ scriptores. Forsan jam nominis illius fama aures pulsaverat Constantini Cæsaris, qui videndi ejus desiderio tactus, mittit qui ad palatium deducant. Sed Antonius Majorum limina despiciens, suæque cellulæ amans, inquit: *solitudo monachis ornamento est, velut piscibus aqua alimento. Et ut hi in continentem recepti vitam: ità illi in urbes egressi, monasticam amittunt*

(c) *Hieron. in ejus vita.*

tunt disciplinam , & gravitatem. (d) O utinam tantum foret apud mundi asseclas votum, illecebras solitudinis delibandi, quantum fuit Antonii fastidium Principum aulas invisendi. Hujus vestigia pressit vir amplissimi ordinis Arsenius, qui cùm aliquando supplici, demissáque prece divinam rogaret Majestatem, qua potissimum ratione salutem æternam indipisci valeret, divino accepit oraculo, ut consortia hominum, præcipuè verò sæculo affixorum declinaret. (e) Missos hic facio, brevitati consulturus, Paulos M. Antonii discipulos, Hilariones, Macarios, Serapiones, Zosimas, Elpidios, & alia magni nominis prodigia, quæ solitudo usque adeò fecit celebria, ut eorum fama vigeat in ore sapientûm. O si quoque æmulatio ageret in sequelam.

TESTIMON. Nec est, cur de ea ambigam, si lubet stare consilio Senecæ, ità de vita solitaria differentis. *Quid tibi vitandum præcipuè existimem, quæris? Turbam. Ego certè confiteor imbecillitatem meam. Nunquam mores quos extuli, refero. Aliquid ex eo, quod composui, turbatur: aliquid ex his, quæ fugavi, redit. Avarior redeo, ambitiosior, luxuriosior, imo crudelior, & inhumanior, quia inter homines fui. Subducendus populo est tener animus, & parum tenax recti: facilè transitur ad plures. Unum exemplum luxuriæ, aut avaritiæ multum mali facit.* (f) *Convictor delicatus paulatim enervat, & emollit. Vicinus dives cupiditatem irritat. Malignus comes, quamvis candido, & simplici rubiginem suam affricuit. Quid tu accidere his moribus credis, in quos publicè factus est impetus? Necesse est aut imiteris, aut oderis. Utrumque autem devitandum est: ne vel similis malis fias, quia multi sunt vel inimicus multis, quia dissimiles sunt.* Hæc mirus veteris sapientiæ Antistes. (g) At verò alibi ità disputat. *Sicut per frequentia urbis loca properanti, in multos incursitandum est, & alicubi labi necesse est, alicubi respergi: ità in hoc actu vitæ dissipato, & vago, multa impedimenta, multæ querelæ in-*

(d) *Sigon. lib. 4. Imper. Occid.* (e) *Volateran. lib. 14. c. 4.* (f) *epist. 7.* (g) *epist. 11.*

incidunt. Alius spem nostram fefellit, alius distulit, alius intercipit. (h) Unde

Non alia magis est libera, & vitio caret,
Ritúsque meliùs, vita quæ priscos colat.
Quàm quæ relictis mœnibus sylvas amat. Sen.(i)

At libeat quoque audire alterum, eúmque ad leges Christianas conformatum Italiæ Senecam, clarissimum eruditione Petrarcham, hoc discursu in vitæ solitariæ laudes excurrentē. *Surgit solitarius, atque felix otiosus, modicâ quiete recreatus, somnóque brevi non fracto, sed expleto, & interdum pernoctantis philomelæ cantibus experrectus, thoróque vix dum leniter excussis, pulsisque torporibus, quietis horis psallere incipiens, janitorem suorum laborum, ut aggressuris indè matutinis laudibus aperiat, devotus exposcit, & cordis sui Dominum in adjutorum vocat. Nihilque jam viribus suis fidens, imminentiū conscius, metuénsque discriminum, ut festinet, obsecrat, nullis texendis fraudibus intentus, sed DEI gloriam, & sanctorum laudes non in dies tantùm, sed in horas, & indefesso linguæ famulatu, & pio mentis obsequio repetens, ne quando forsan ingrato animo divinorum munerum memoria evanescat. Et sæpe interea (mirum dictu) securi timoris, & trepidæ spei plenus memórque præteriti, ac futuri prævidens, læto dolore, felicibus lacrymis abundat. Quem statum nulla voluptas occupatorum, nullæ unquam urbanæ deliciæ, nulli regnorum fastus æquaverint. Inde suspiciens cœlum, ad stellas, ac illic habitantem Dominum DEUM suum, totâ mente suspirans, & patriam cogitans, de exilii sui loco, protinus ad honesta cujuspiam jucundaque lectionis studium convertitur. Atque ita cibis pastus amœnissimis, multa cum pace animi, venturæ lucis initium præstolatur.* Hæc Petrarcha. [k] Liceat hìc attexere dialogum, solitarium inter, ac urbium habitatorem, quem Cornelius Musius Delpho-Batavus, Poëta, Theologus, & Martyr felici venâ effudit, lucíque publicæ vulgavit. Nè pigeat audire ejus Calliopen in hos versus canentem.

Urba-

[h] *epist.* 12. (i) *in Hyppol.* [k] *de vita solitar. lib.* 1. *c.* 2.

Urbanus celebrem Monachum cùm viseret, atque
Attonitus frontémque hilarem, corpúsque videret
Ut priùs infractum, verbis affatur amicis.
De multisque rogat hominem, [num pectore aperto,
An ficto incertum; nisi quod discederet illinc.
Nondum persuasus tali se credere vitæ.)
Quidquid id est, solido stantes in cespite, tandem
Alternis breviter vicibus hæc seria tractant.
Et prior Vrbanus, vegeto, inquit, corpore cùm sis,
Ecquid edis quæso? SOL. Panem, medicúmque polentæ,
Atque olus interdum, tenui aut cum lacte legumen.
URB. Hæc tibi solus habe: sed lasso porrige potum.
SOL. Ecce tibi ante pedes puteus, quantum libet, hauri.
URB. Num carnes comedis? SOL. Non sum lupus.
VRB. Anne Corinthi
Splendida vasa tibi? SOL. Samiis jucundius utor.
VRB. Quis coquus est? SOL. Ignis. VRB. Famulus
quis: SOL Non alo hostem.
Ipse domi. VRB. At famulâ saltem caruisse molestum:
SOL. Tartareas habitât hominum adversarius ædes.
VRB. Vxorem sed habes; SOL. Non sic sum stultus: ut
Orphêus;
Qui nigra, Euridicen rapturus, limina adivit.
VRB. Cur pulchras adeò, & populosas deseris urbes;
SOL. Cur urbes linquam, cunas, & tædia linquo,
Effugio & scelerum Lernam, quæ semper in ipsis
Vrbibus, & populis regnant, & noxia menti
Multa ferunt secum, quæ vita monastica nescit.
VRB. Vivorum interea spernens consortia, quare
In defunctorum scriptis tam sedulus hæres;
SOL. Quod minimum à vivis, verbo, exemplóque boni
Percipio ex libris, ut vix mala paucula carpo
Sic horum assiduus lector bona plurima disco.
VRB. Macte animo felix. Sed me discedere tempus.
Nauta vocat, mercator adest, qui mercibus usque
A Tanai advectis, multa prece sæpe vocatum
Appulit in portum: visurum fœnera multa
Adferat, an vanis fallat mea scrinia spebus.

SOL. Heu quàm difficile est locupletes linquere mundum.
Et summa atherei penetrare palatia regni? [l]

Unde rectè iterum Seneca Philosophus : *solitudinem quaris, qui vult cum innocentibus vivere.* [m] *Fuge multitudinem, fuge paucitatem, fuge & unum. Unus pro populo mihi est, & populus pro uno. Mihi satis est unus, satis est nullus.* [n] Et alio in loco inquit: *Jucundum est esse secum, quum quis se dignum, diutissimè quo fruatur, efficit.* (o) Nec illud prætereundum est, quod idem alibi : *amplectendum est otium, quod inter Deos agitur, quod Deos facit. Sed fortè conquereris virtutem abscondi? Nulla virtus latet, & latuisse, non ipsius est damnum.* [p] Utque cum melleo Doctore hæc testimonia obsignem, *experto Crede*, inquit hic amator eremi, *aliquid ampliùs invenies in sylvis, quam in angulis: ligna, & lapides docebunt de, quod à magistris audire non possis.* (q)

EPILOGUS. Quamobrem si saluti vestræ in tempore consultum itis; si immortalibus ornari præmiis, si gloriæ cœlestis claritate æternùm fulgere peroptatis, perfectioris vitæ exercitia in solitudine, Beatitatis futuræ prodroma; quantocyùs inchoate. Dicite DEO sinè mora Sacramentum in castris rigidioris hujus instituti, Cœlique Imperatori sacratiori sub labaro autorati, adversus mundum, ac catervas vitiorum impavido pectore dimicate. Legitimè certantibus, parata est immoralis gloriæ corona. Quem locum mandato supremi Ducis sortiti fueritis, hunc vel mortui occupate. Non fugit vos probrosissimum esse militi, vacillantis fidei fuisse, in pedes, fugámque se conjecisse. Athletas vos avet videre, ac pugiles in palæstra solitudinis, cœli, terræque archistrategus. Brevis erit pugna, remuneratio æterna. Et ubi laboriosa fuerint certamina, victoria accedet gloriosa. Hæc ut continuò n issa, formidine, vel inter deserta locorum subeatis; author vobis est generis humani servator, qui in solitudine adversarium, cúmque Tartari principem se-

[l] *de laud. vitæ solitar.* [m] *lib. de morib.* (n) *epist* 22. [o] *epist.* 45. [p] *epist.* 74. (q) *ad Soph. Virg.*

felici, gloriosóque prælio debellavit. Hoc sub invictissimo Duce qui meret stipendia; de omni hoste facili negotio erigit trophæa. Quare convolate è vestigio sub signa hujus Imperatoris longè fortissimi, jam in secessu vitæ solitariæ vos præstolantis, omnésque adversarios citra ambiguitatem sub jugum missuri. Quod si verò sæculi castris vitam addixeritis, ac succenturiari vitiorum Principi non abhorretis: manet vos jure æquissimo fulminãs Judicis æterni sententia, ac immites inferorum pœnæ, tormentorúmque acerbitas, & magnitudo. Agitur hìc de sempiterna, advertite animos, vel in Cœlis felicitate, vel apud inferos calamitate. Movetur jam urna, quæ duos summi momenti versat calculos, alterum candidum, nigrum alterum: illum æternaturæ beatitatis, istum duraturæ jugiter calamitatis. Qui sapit AA. & necdum suæ curam salutis penitus abjecit; deligat confestim meliorem, in vitæ solitariæ gremio degentem.

CHRIA VIII.

S. Thomas de Aquino gloriosus virginalis castimoniæ propugnator.

Marul. lib. 4. c. 7.

EXOR DIUM. NOn ducem mihi hodie lubet sequi inconsultam temeritatem; quâ in clarissimum illum omnium Academiarum Solem Thomam Aquinatem, sapientiæ suæ radios quaquaversus diffundentem, oculorũ aciẽ intendã, tanta luce perstringendam. Neque intempestivo eò feror desiderio; ut illum Phœnicem ingeniorum, per alta cœlorum volitantem stet mihi hodie contẽplari; quò talpa vero lumine viduata nunquam obtutum levare potest. Vellem equidem ad illa divinioris sapientiæ oracula cupidam aurem admovere; sed cum intelligentiæ meæ capacitatem lon-

longiſſimè excedant , inter cancellos rerum ab ſenſu meo non abhorrentium jubeor commorari. Quid ? egóne vela facere projecta audacia velim in profundiſſimo illo, altiſſimóque Theoſophiæ Oceano, qui vix per campos eloquentiæ gradum novi promovere ; Efferant proinde alii, ut par eſt, meritis in cœlum laudibus, primam illam ſapientium, ſphærarum motricem intelligentiam , compendioſam Doctorum Eccleſiæ epitomen , Auguſtinum ingenii ſagacitate, Ambroſium eloquentiæ ſuavitate, Gregorium conſtanti labore, Hieronymum ſolitariæ vitæ amore coæquantem. Decantent alii apertis , quod ajunt, tibiis, hunc inviĉtiſſimum militantis Eccleſiæ clypeum, verum Herculem, hæreſeos Hydram contundentem, fulcrum labantis ſapientiæ, eruditionis columnam, ac Religionis Chriſtianæ firmamentum. Proſequantur diſertiſſimâ panegyri univerſæ orbis Academiæ hunc Doctorem Doctorum; à quo diſcunt, quod doceant; à quo veritatem accipiunt, ut retundant falſitatem, à quo mutuam ſumunt lucem, qua umbras errorum configant. Erigant alii irretortam oculorum aciem in illam Theologiæ Aquilam , Solem Juſtitiæ , atque abditiſſimum individuæ Triados Myſterium non tam comtemplantem , quàm mundo in robur fidei manifeſtantem. Vindicent alii ſcriptis immortalibus ab oblivione, & Silentio Summam ejus Theologicam numeris omnibus conſummatam : venerentur in ea corpora ſine mole corporea , quia Angelica: obſtupeant quot articulos, tot veræ ſapientiæ aphoriſmos : admirentur demum alii alia ſcientiarum prodigia , in uno Thoma Aquinate haud obſcurè relucentia : ego hodie duntaxat eum in adoleſcentiæ flore conſtitutum tantiſper intuebor. Neque mihi eſt animus ſtatuere eum ante oculos mentis veſtræ ſubtiliter de ſapientiæ arcanis diſſerentem ; ſed de Cypride fortiter, ac glorioſè triumphantem. Accipite ejus prælium faſtis immortalibus inferendum, quo adverſus voluptatis illecebras pro virili, ſequente victoria dimicavit.

PARAPHRASIS. Forſan eam Aquinas jam ingreſſus erat ætatem, in qua libidinis æſtus animum vehementiùs ad flagi-

flagitia succendit, & ingenita medullis volnptas, sensus omnes: & appetitum ad carnis illicia pellicere consuevit. Ea tempestate procax muliercula, venalem formam, ac pudicitiam in propatulo habens, & muliebri mundo ad stuporem exornata, lenociniis oculorum, gestuum illecebris, verborum blanditiis, ad molliendum durissimum quemque, ac constantissimum hominem comparatis; purum, integrum, ac innocentiæ flore vernantem Thomam aggreditur, virginalem ejus castimoniam expugnatura. Ut verò mentem perversam ad optatum deducat exitum; captat prostituti pudoris fæmina loci solitudinem, ac temporis opportunitatem, quibus blandissimo suasu validissimam admovet machinam jucundissimæ voluptatis. Sed quid ad hæc immunis ad omni labe Aquinas? Quod studiosum semper addecet castitatis. Bellum gerit fortissimum adversus depugnantem in castris Venereis lupam, excutit actutum contorta verborum tela, retundit emissa oculorum jacula, omnémque refringit mollioris prostibuli arietem, non vacillans, non labans. Diceres circumseptam undequaque nativa fortitudine cautem; quæ immissis à sæva tempestate fluctibus verberata, stat immobilis, ac invicta. Quò verò certior à partibus Thomæ staret victoria, altiore ductus spiritu, in lenocinans scortum arma convertit, & arrepto de proximiore foco titione, viperam fraude investitam, jam conscientia sceleris confusam, & adolescentis modestissimi pudore, constantiáque perturbatam, & devictam, è cubili abigit, fugat, eliminat, perturbat. O torrem Solis ipsius luce clariorem! O felicem castitatis propugnatorem! Dignissimum sanè te censeo, qui in famosissimæ alicujus ædis sacræ tholo, gemmis, auróque adornatus suspendaris, ad memoriam hujus præclari facinoris sempiternam. Atque ita castimoniæ vindex Aquinas, impudentissimam lenam, magìs fucatam astu, ac fallaciis quàm pigmentis, & fuco delibutam gloriosissimè devicit, & illibatum integritatis florem, quem concerpere, ac fædare cœno libidinis immersa salax lupa parabat, auspicatissimè conservavit. O virtutem adolescentis invi-

ctissimi præmio immortali dignissimam ? O mentis excelsæ decus: O robur invictæ fortitudinis pro castimonia generosè vincentis ? O dignum caput, cui tribuatur corona nobilior aurea, laureáque, quæ sit tum periculosæ argumentum pugnæ, tum eximiæ fortitudinis insigne, tum nobilissimæ victoriæ merita, debitáque merces. O nobile juventutis pignus: O imago prototypa omnium virginalis continentiæ amatorum ? In te habet effigiem virtus, documentum constantia, incitamentum pudicitia, ornamentum patria, prodigium, ac triumphum secutura posteritas memorandum.

CAUSA Et hoc castimoniæ decus nunquam satis prædicandum, non levi fuit argumento Thomæ, ad illud tectum, sartúmque jugiter conservandum. Quippe non erat nescius Aquinas, pudicitiam è mente plurimorum rectè de illa sentientium, probitatis esse præsidium, improbitatis excidium, fortitudinis firmitatem, animæ victoriam, ubertatem gloriæ, sterilitatem criminum, pronubam sanctitatis, repudium turpitudinis, exinanitionem luxuriæ, hostem immunditiæ, pacem virtutum, loricam pudoris, murum rigoris, triumphatricem dissolutionis, extium corruptionis, & omnium bonorum promam condam. Exploratum apprimè habuit castitatis laude celebris Aquinas, consolationes, & gaudia, pro ea fortiter pugnando, non amitti, sed in melius commutari. Nihil enim animo fidei majus parit delectamen, quàm integra corporis immaculati conscientia. Maxima est voluptas, vicisse voluptatem. Nec ulla in majorem assurgit gloriam relata de hostibus victoria, quàm quæ de cupiditatibus edomitis refertur. Nam qui adversario suo palmam eripuit, equidem illo fuit fortior, at qui pudicitæ armis militantem devicit libidinem, fortior est semetipso. Faciliùs de omni malo triumphum retuleris, quàm de voluptate. Blandum est malum, vincit, dum minimè putas. Arduum est in hac palæstra vincere; sed longè pulcherrima provenit victoria. Brevis est pugna, sed quam perpetua comitatur lætitia. Vinci haud ægre potest voluptas, si animus victoris non fuerit remissus. Obrepant licèt menti

fædis-

fœdissimæ cogitationes, inflamment corpus impuri calores, ac fœtentes suas tædas admoveat Asmodæus, valet, si velit expers labis animus, suique propositi tenax, pestilentem illum, & ardentem è Cocyti faucibus anhelitum, noxias flammas eructantem, liliorum suorum odore fugare, & repetitas adversus pudoris castrum aggressiones, & insultus generoso ausu rejicere, cœlo ipso victori applaudente. Resistatur, ut par est primæ permotioni, & in ipso concupiscentiæ exordio reprimatur, aut depravatæ naturæ rebellis motus, aut stygii alastoris insultus, & uterque hostis facili negotio sub jugum mittetur. In nostra situm est potestate, assensum malignæ suggestioni præbere, aut dissensum. Maxima pars est victoriæ, velle vincere. Et strenue volentibus pro illa depugnare, haud quaquam deerit cœleste robur. Expandit quidem rictum Cerberus, utrumque dentium exerit ordinem; morsum inferre parat, at nulli est nocumento, nisi quis vulneri locum relinquat. Cùm verò suggerendo nil efficit; victorem non vulnerat, sed coronat. Delassat equidem, ac labefacere nititur resistentem, sed nihil officit, nisi danti assensum proprio arbitratu. Nemo in reatum culpæ descendit, nisi sua voluntate. Nemo lutulentam, hominéque indignam sequitur voluptatem, nisi qui eam unicè spectat, in eáque suam locat cum Epicuro beatitatem. Illecebris capi rerum carnalium, avidéque haurire libidines, ad haram spectat, non ad aram virtutis.

CONTRARIUM. At (prô pudor, & sempiternum dedecus humani generis?) haud paucos, eósque sibi voluntarios milites auctionatur Erebus, ac jugo servitutis suæ adstrictos tenet. Dulce quidem; sed pestilens propinat venenum voluptatis. Blanditur hæc, sed ut fallat: lenocinatur, sed ut perimat: mentitur dulcorem, sed ut infundat amarorem. Est enim verò concupiscentia mel felleum, pernicies delicata, blanda percussio, interfectio lenis, desiderabilis calamitas, mors suavis. Verùm multi serò nimiùm cum Phrygibus sapiunt, altúmque ingemiscunt, se se his malis vix eluctabilibus involvisse, quæ robore, ac virtute pudoris citra magnũ pulverem, ac sudorem, ludibundéque excutere valu-

valuissent. Non desunt equidem ubique locorum, ac geetium voluptatis arietes, arcem pudicitiæ identidem quatientes, sed desunt [prô dolor:] qui exemplo Aquinatis, masculum pectus induant, & infesta Veneris arma heroo certamine pedibus substernant. Quam enim sibi polliceri securitatem à lapsu valeant, qui mollioris sexûs familiaritate utuntur? An non unicum quandoque verbulum obscenitatem olens, unus liberior oculorum jactus, unica proximior occasio segniùs repudiata, hominem virtute licèt, & sanctitate conspicuum turpiter de gradu suo non rarò deturbavit? Si enim nulla adeò sunt obserata religiosæ vitæ claustra, nulla solitudo tam abdita, nulla conclavia tam rigidè munita, nulláque hominum corda adeò firmiter custodita, in quæ orcinus ille coluber non inserpat, ac pestilens libidinis venenum non immittat: ecquid virtuti sui plùs æquo confidant; qui obnoxia proximo discrimini ganea, ac lustra intrepidi frequentant? Quamobrem qui non velis, remísque fugit minùs cautos atractus; qui non cane pejus, & angue odit repugnantes honestati collocutiones, qui non continuò refugit leviores choreas, molliores jocos, saliares epulas, & plena periculis, ac insidiis alterius sexûs consortia, ex peditum sibi iter sternit ad pudicitiæ ruinam. Hic qui cadit, haud infrequenter æternum occidit. Ducem sequens voluptatem, gravissimè offendit, infortunia subit, calamitates adit, & miserias non rarò incurrit sempiternas. Malè profectò, imò pessimè cum illo agi est necesse, qui id duntaxat in amoribus habet, quod delectat, non pensitans, quod æternum cruciat. O infausta, deplorandáque illius conditio, qui ut fædas cupiditates expleat, nihili ducit severissimas legum minas, atque ipsius bonitatis divinæ offensam. Semper lugubrem vivendi finem invenit, cui vivere est libidinari. Brevissimus quippe ad inferos per luxuriam est transitus. Alterum in orco pedem jam tum is ponit qui impuræ libidini occipit litare. Ex ignibus amoris lascivi, perfacilis est descensus ad flammas Tartari nunquam restinguendas. Non ullum esse censeam flagitium, quod tristes adeò, horribilésque vide-

viderit catastrophes; ac infrunita libido. Illicebræ carnis, potissimum sunt immundo spiritui instrumentum, homines virtute præcellentes subvertendi.

SIMILE. Hujus veritatem non ineleganti similitudine declaraverim per gemmarum Principem Adamantem; qui ea virtute à natura præditus esse perhibetur, ut nec ferro, nec igne, nec aliâ qualibet re tametsi validissimâ dividi, frangi, aut comminui possit, unum si excipias calidum hirci sanguinem, cujus vi, ac potentiâ, indomitus alioquin hic lapis evincitur, ac edomatur. Hoc notum fœditate suâ animal, lasciviæ esse symbolum, nemo est, qui ignorat. Adamas chalybe ipso durior; virum fortitudinis laude clarum, ac sanctimoniâ celebrem, suo in emblemate repræsentat. Sanguis hirci Adamantem; luxuria inconcussam alioquin edomat firmitatem. Tantum valet ad solidas etiam mentes hoc molle vitium subruendas. Sed ut illud per alias casto verborum comitatu ducamus parabolas, non incongruè dictam esse pestem lasciviam dixerim, quæ ubi semel exitiali suo malo quemquam afflaverit, adeò per intima grassatur, firmitérque homini adhæret, ut ægre admodum valeat eliminari. Nam si hæc lues pestilens, in æstuante præsertim adolescente nonnihil irroborata fuerit, adeò firmas in hac vernante ætate radices agit, ut cum hoc vitio consenescat, & penè prius vivus esse voluptuarius desinat, quam vitiosus. Nec ab vero ablusit ille, qui libidinem Scyllæ comparavit, quæ navigia ingenti vi in saxa, & scopulos impellit, & illisa conquassat, & disrumpit. Hoc crudele maris Siculi ostentum, ex ingenioso Poëtarum commento, faciem humanam, & quidem pectore tenus virginem refert: deinceps canibus, & lupis succingitur: ultimâ verò corporis parte fertur in piscem desinere. An non cum hoc monstro in claram descendit similitudinem fædissima libido? Hæc enimverò ora præsefert virginea, dum illecebris allicit, blanditiis ad se pellicit, & in vetitos amores implicat per insidias, & molliores technas. Hæc lupinam rabiem, & canis iram semper habet à latere comitem, ut facili conjectura assequamur, qualibus cum belluis iis negotium interce-

dat, qui turpi cedunt voluptati. Hæc demum piscis naturam induit suâ lubricitate, à nulla virtute porrò retinenda, dum præceps agitur in barathrum vitiorum. O plena periculis Scylla noxia libido, quæ innumeris exitium attulit sempiternum! Cùm verò Scyllæ opposita è regione Charybdis cadat sub aspectum, non abs re nostra fore existimem, si ab eadem quoque parilitatem desumamus. Quemadmodum enim hic verticosus gurges, & tot jam naufragiis infamis, contrariis fluctuum occursibus in miram altitudinem assurgens, obvia quæque absumit, rursúmque evomit; ac demum aquis obruens agit in profundum: haud secus turbulenta voluptas, instar profundi vorticis rotat, ac circumagit animum insanâ cupiditate æstuantem, tandémque miserandum in modum absorbet. O quot in hac plena salutis discrimine Charybdi hucusque interière! O quot ad hunc Scyllæ scopulum allisi, lugubre fecère naufragium, nunquam ad portum æternaturæ beatitudinis appulsuri.

EXEMPLA. Huic veritati comprobandæ suppetunt innumera propè exempla, sed nè hanc camarinam plus nimio commovere videar, & castis auribus fastidium creem, ad documenta pudicitiæ illibatum facio gradum. Et primum quidem hìc sibi gloriæ immortalis locum vendicat, ætatis florens vere Antonius Caraffa, qui lapsu temporis in præmium virtutis, purpuratorum Patrum adscriptus Collegio, Vaticani Senatus, famâ sapientiæ, diu Princeps fuit. Hujus castimoniam, virtutísque constantiam impuri quidam thrasones hoc pacto periclitari voluerunt. Immisère primo diluculo in ejus cubile, adhuc quietem in strato capientis, egregiam formâ puellam, & una stibio, cerussáque perunctam, ac verbis procacem, multísque oneratam promissis, si ad illicitos amores pelliceret Caraffam. Vix in oculos adornatum cadit prostibulum, exsternatus re insolenti castissimus adolescens, è pudico exilit lectulo, fugámque per ostium cubiculi molitur. At cùm illud non tam repagulis, quàm fraudibus invenit obseratum, contentâ voce famulantium inclamat opem, sed irrito conatu. Interim corrupta pretio mulier, meritricia

arte

arte oppugnat Antonium; variisque laborat blandimentis perducere in amplexus. At quid hic pudicitiæ vindex intemeratus adolescens? Forsan perfrigida tum erat tempestas, cui leniendæ pridie luculentum excitârat ignem in cubilis fumario, priùs quàm sopori indulgeret. Atque eò præproperè se confert, castitatis præsidium inibi reperturus. Et verò reperit: quippe arrepto, qui ad manus erat batillo, ingentem cineris nubem in eum congerit, atque ardentium adhuc pruinarum grandinem festinanter colligit, & prostituti pudoris lupæ faciem, ac sinum cumulatè replens, in fugam agit, déque superata voluptatis illecebra, gloriosum cum Thoma Aquinate figit castimoniæ trophæum. [a] In horum triumphalem censum jure accensendus venit Joannes Godefridus Bambergensis, ac Herbipolensis virtutis famâ inclytus Antistes. Is etiamnum adolescens, liberali admodum, & venustâ erat facie; ità tamen, ut in eo pudicitia, ac forma nobilissimam fecerit mixturam. Hoc ejus virgineum decus, cacodæmon isto sibi stratagemate sumpsit expugnandum. E gynecæo fœminæ magni nominis, insigni juvenis pulchritudine, in benevolentiam parùm pudicam inflexæ, ad genialε symposium specie honoris Godefridum evocârunt: Adest humanitatis legibus institutus ad condictum tempus, nec tamen solus, (ut res tam periculo careret, quàm suspicione) sed una secum vitæ moderatorem adducit. Hunc præ omnibus benignæ invitationes, & crebra pocula petebant. Hoc enim nequissimâ vafritie agebatur, ut is omnium minimè gressum è domo moliri posset, qui primus deberet, itáque cogeretur cum commisso sibi juvene illic pernoctare. Res è voto successit, nam probè appotum, & jam vacillantibus præstigiis, articulisque subsidentibus labantem, in proximum conclave blandè cubitum trahi jusserunt. Ità & Godefridus eâ nocte pedem domo efferre prohibitus est, & quia nulla mali suspicio ei oborta est, ipse quoque ad stratum tali hospite dignum deduci sese passus est. Cùm verò adultâ jam nocte quies, & silentium teneret, ad cubile sopiti juvenis, furiæ illæ libidinis flammâ accensæ, laneo

[a] *P. Joan. Rho in historiis virtutum lib. 7. c. 1. §. 3.*

passu irrepunt. Jámque proximæ lecto, quà verbis, quà gestibus, adolescentis innocentiam ad flagitium invitant. Hic castissimus juvenis, veluti ad stygii monstri aspectum evigilat, & mox horrendùm vociferans, è strato, ut erat lineis duntaxat vestitus, prosiliit, impuris manibus semet extorquet, & omni veste alia relicta, ex insidiosa domo evolans, in vicini ædes, velut in asylum transfugit, ubi reliquum noctis inter preces, & gratiarum actiones exegit. O victoriam de impudica Venere relatam, cælorum laurea meritò donandam: (b) Possem hic plurima alia, tum ex sacris, tum profanis rerum gestarum scriptoribus, servatæ castitatis adferre monumenta, at cùm neminem vestrûm AA. ea ignorare compertum habeam, missa facio omnia perlubenter, ad testimonii Provinciam, laudémque pudicitiæ me convertens.

TESTIMON. In hujus intemeratæ virtutis encomia facundè consurgit D. Ephrem, ita sæpe sæpius exclamans: *O castitas oculorum frænum, quæ è latebris ad lucem totum corpus transfers. O castitas, quæ carnem castigas, & in servitutem redigis, ac cælestia velocissimè penetras. O castitas, quæ cor possidentis te lætificas, & animæ ad cælestia alas adjungis. O castitas, quæ spirituale gaudium paris, & mærorem aufers, O castitas, quæ passiones minuis, & animum à perturbationibus liberas. O castitas, quæ justos illuminas, & Diabolo tenebras offundis. O castitas, quæ pigritiam depellis, & patientiã affers. O castitas, quæ rosæ instar in medio animæ, & corporis flores, universámque domũ odoris fragrantiâ reples. O castitas præcursor, atque habitator Spiritûs Sancti. O castitas mater dilectionis, & Angelicæ vitæ ratio. O castitas, quæ mundo es corde, ac dulci gutture, hilarique aspectu. O castitas, quæ homines Angelis similes reddis, & Agnum cælestem sequeris, quocunque ierit.* Hæc S. Ephrem non præstantior castitatis laudator, quàm cultor. (c) Ex adverso verò in lasciviæ vituperiũ ita consurgit eminentissima Hugonis celsitudo. *O extrema libidinis turpi-*

(b) *Drexel in Niceta lib. 2. c. 4. §. 4.* (c) *tom. 1. ferm. de castit.*

turpitudo, quæ non solum mentem effæminat, sed corpus enervat, non solum maculat animum, sed fædat personam. (d) Hanc ejus fœditatem, vel ipsa superstitiosa licet antiquitas, satis supérque habuit exploratam. *Quid enim*, sciratur Valer. Max. *luxuriâ, & libidine fædius? quid enim damnosius? quibus virtus atteritur, sopita gloria in infamiam convertitur, animique pariter, & corporis vires expugnantur. Adeò ut nescias, an ab hostibus, an ab illis capi perniciosius habendum sit.* [e] *Una Hannibalem hiberna solverunt, & indomitum illum nivibus, atque Alpibus virum enervârunt somenta Cāpaniæ. Armis vicit, vitiis victus est.* Sen. (f) Itáque rectè voluptatem Plato *escam malorum* appellat [g] *quod eâ videlicet homines capiantur, ut hamo pisces.* (h) Cic. Unde etiam dicitur:

Luxuries prædulce malum, quæ dedita semper
Corporis arbitriis, habeat caligine sensus,
Membráque Circæis effæminat acrius herbis.
Blanda quidem vultu, sed quâ non tetrior ulla
Interiùs, fucata genas, & amicta dolosis
Illecebris, auro torvos circumligat Hydros, Claud (i).

Voluptas etiam *ut decoris labes opprimenda est*. Cic. (k) *In qua nihil est magnificum, aut quod naturam hominis Diis proximi doceat.* Sen [l] Nam *humilis res, & pusilla est, & in minimo habenda pretio, communis cum mutis animalibus: ad quam minima, & contemptissima advolant.* Idem. (m) Fragilis est etiam, & brevis. *Fluit* enim *voluptas corporis, & prima quæque avolat, sæpiúsque relinquit causas pœnitendi, quàm recordandi.* Cic. (n) Et *tristes esse voluptatum exitus, quisquis reminisci libidinum suarum volet, intelliget.* Boëtius [o] Nam

Habet omnis hoc voluptas,
Stimulis agit furentes,
Appiúmque par volantûm,
Ubi grata mella fudit,

[d] *de libid.* (e) *lib.* 9. [f] *epist.* 75. (g) *de sum. bon.* [h] *de senect.* (i) 2. *Stillic.* [k] *lib.* 1. *de leg.* (l) *lib.* 1. *de benific.* (m) *epist.* 123. (n) *lib.* 2. *de finib.* (o) *lib.* 2. *de consolat.*

Fugit, & nimis tenaci
Ferit ista corda morsu. Idem. (p)

Unde *Aristoteles admonebat, ut voluptates contemplemur non venientes, sed abeuntes, venientes enim fucatâ specie blandiuntur: abeuntes dolorem, ac pœnitentiam relinqũnt* Serin in memor. Et Architas Tarentius dicebat: *nullam pestem voluptate esse capitaliorem: siquidem ex ea, tanquam ex fonte prodit quidquid est in vita hominum scelerum, & calamitatum.* Idem (q) Inde,

Aspice latè:
Florentes quondam luxus quas verterit urbes.
Quippe nec ira Deûm tantùm, nec tela, nec hostes,
Quantùm sola noces animis illapsa voluptas. Silius. (r)

Quare *Sperne voluptates, nocet empta dolore voluptas.* Horat. (s)

Opprime, dum nova sunt subiti mala semina morbi. Ovid. [t]

Nam *qui blandiendo dulce nutrivit malum,*
Serò recusat ferre, quod subiit jugum. [u]

EPILOGUS. Atque hoc jugum virtuti pudicitiæ admodùm grave, & ponderosum, ardenti titione excussit in tempore Thomas de Aquino, ut hoc onere in vitiorum barathrum inclinante liber, ad cœlestia iter sibi faceret expeditum. Nunquam ad illud virtutis, ac sapientiæ fastigium gradum moliri valuisset, si lasciviæ vinculis constrictus fuisset. Nemo in altam rerum divinarum cognitionem ascendit terrenæ voluptati affixus. Hæc quippe semper rationi adversatur, ac mentis perstringit oculos, nec ullum habet commercium cum virtute. Nunquam virtus consistere potest in regno voluptatis. Quamobrem si vobis adolescentes probitas, ac sapientia est amori, voluptuaria continuo excutite vincula, quæ animos ad summa natos, cœno duntaxat vitiorum affigunt. Equidem dolosissima insidiatrix pudicitiæ concupiscentia, suis vos irretire laqueis nullibi non satagit, at neminem in casses agit, nisi volentem. Resistendo, hæc procax Phœ-

(p) *ibid.* (q) *ibid.* (r) *lib.* 15. (s) *lib.* 1. *epist.* (t) *lib.* 1. *de rem. amor.* (u) *in Hyppol.*

Phœdra vincitur. Objiciat licèt oculis irritabiles formas, suggerat fomenta, vitiis subministret pabula, & artibus suis universis implicare vos adnitatur: si viriliter agitis, si altiores spiritus capessitis, si in palæstra castitatis strenuè, ùt par est, dimicatis, omnia illius tela facili negotio in ejus interitum reflectitis, retorquetis. Neminem vulnerat, nisi delectari cupientē, neminem perimit, nisi in funus animæ consentientem. In nostra situm est potestate, libidinem vincere, incontinentiam domare, illecebris blandæ voluptatis resistere, in vitæ licentia nolle sibi peccandi copiam facere, omnésque insultus lasciviæ armis pudicitiæ debellare. Hoc demum est imperium sui obtinere, hoc monstra superare, hoc fœdum profligare hostem, sibíque statuere trophæum, quod Cælos ipsos in sui spectaculum possit excitare. Hoc pacto belligerate castitatis studiosi: sic victricem palmam de vobis ipsis, de propudiosa voluptate, déque tota ejus molliore panoplia referte, & plures mundus stupebit, ac venerabitur Aquinates.

CHRIA IX.

Pythagoras legem dedit suis discipulis, ut per quinquennium tacerent, sícque loqui addiscerent.

Sidonius lib 40.

EXORDIUM. NUlli adeo hucusque noverca, infestáque fuit orbis climati rerum natura, quam ad ignobiles, fædásque ignorantiæ tenebras ità condemnāsset, ut nullus sapientiæ radius illud perstringere valuisset. Omnis regio, omnis provincia, omnísque mundi angulus sapientiæ lumen recipit in sui decus, ac splendorem. Quid quod reperire est orbis ter-aquei regna, ac imperia, quæ non duntaxat hospitam, & inquilinam petant sapientiam, sed jugem ei deferant incolatum, velut Reginæ, & moderatrici gentium, doctricique populorum.

Hoc olim in eam studio ferebatur, & affectu clarissima nomine suo Ægyptus, non jam infamis à tenebris per ditionem suam effusis, sed à luce sapientiæ, famæque jubare apud omnes illustris. Et verò hæc celeberrima Dearum principem sibi locum vendicavit apud populos sui perquam amantes, eáque dictavit Ægyptiis sapientiæ lemmata, quæ aliarum gentium capacitatem longissimè antecedunt. Nec in verbis, sed in rebus doctrinæ arcana collocavit. Hæc si referre universa animus mihi foret, dies me citiùs, ac vocis contentio deficeret; quam earum vel minimam partem queam recensere. Unicum duntaxat Ægypti Hieroglyphicum in rem præsentem adducere liceat, ex quo velut ex ungue leonem, de cæteris facere possimus conjecturam. Anserem alioquin gingrientem, & nunquam non gratitantem, ore gestantem lapillum depinxère Ægyptiorum sapientes, hoc pacto taciturnitatem, altúmque silentium indicantes. Nam cùm eos non lateret, quantum insit difficultatis, linguæ evagantis volubilitatem semper ad inanem loquendi profluentiam, & gerras pronam cohibere, idcirco erudire cives suos voluerunt, apponendum esse ori aliquod rationis pondus, quod linguam premeret nunquam non avidam inepti sermonis. Hanc mutuam ab Ægyptiis accepit sapientiam Magister sapientiæ Pythagoras, qui battologos, impendióque loquaciores discipulos, eo persecutus est odio, ut nullum in ludo suo literario tolerare decreverit, qui non egregii cultor foret silentii, Harpocratíque dixerit sacramentum. Quare omnibus, qui ejus se disciplinæ tradiderunt, lege cautum voluit, ut solido (ceu in annalibus veterum perhibetur) quinquennio statuâ taciturniores essent discipuli, priúsque discerent tacere, quàm verba facere, & idoneos cum impensè literatis miscere sermones.

PARAPHR. O factum perbene, & ad rerum publicarum utilitatem longè opportunius, quàm omnes insanis vocibus streperæ, & usque ad ravim clamosæ orbis totius Universitates. Plaudat sua in Academia sublimis ille Philosophorum apex, & culmen Plato, quem Cicero quasi quendam eorum Deum pronuntiat, suámque buccis cre-

crepantibus venditet sapientiam, & attonitos diviniore doctrinâ reddat Auditores. Habeat suum in omnibus propè literarum emporiis exaggeratum laudibus encomium sagacissimus rerum naturalium scrutator, solertissimúsque indagator Aristoteles; qui acie mentis rerum omnium vim, naturámque pervidit, quique nè Præceptori quidem suò Platoni parcendum esse duxit; ut veritatis causam tueretur. Habeat, inquam, immortalem apud omnes eruditione claros panegyrim, & in Lycæo suo omni vocis contentione naturæ mysteria explanet, & in Palladiam descendere arenam suos faciat discipulos, rebus de omnibus stentorio ritu disceptantes. Habeat suum Stoa Zenonen Principem Stoicorum, & in amænissima porticu, variisque picturis illustrata, de fato, fortunáque omnia clamoribus impleat, ipsásque adeò columnas vociferatione rumpat, & cum æmulis altercationem iniens, summo studio decertet. Habeant alia literarum Athenæa viros doctrinâ summos, omniúmque scientiarum fastigia tenentes, qui variis ultrò, citróque strepant vocibus, & de suo argumento differentes, lauro ardentie sint clamosiores: mihi Pythagoræ Gymnasium omnibus aliis jure optimo præferendum videtur, qui soli ludum aperuit silentio, nullúmque in diatribam accepit, qui non Acathone foret taciturnior, & in leges silentii per solidam olympiadem jurâsset.

CAUSA. Neque abs re gravissimis rationum momentis, hanc legem tulit suo in ludo inviolabiliter observandam, sapientiæ Magister Pythagoras, non ignarus, ante esse silendum, quàm loquendum; nè prius nos condemnet vox nostra, quàm absolvat aliena. Quis enim studium, profectúmque discentium eâ in Gymnade promovendum unquam possit arbitrari, in qua adolescentes ranâ, cicadáque sunt vocaliores, & diem vaniloquentiâ extrahunt, dilapidant, comburúntque? Solæ taciturnitatis leges arma sunt ignorantiæ expugnandæ accomodata. Obticentia mater est sapientissimorum cogitatuum, utilísque ad omne scientiarum genus condiscendum. Prima quippe regula est, bene, rectéque loquendi: priùs tacere,

quàm loqui. Nam per silentium vetatur animus liberiùs foras evagari, séque ipsum, ut par est, intimè contemplari, quídque agendum, omittendúmque sit, consulta ratione dispicere, ac circumspecte explorare condiscit. Ex quo fructum longè maximum, quotidianâ docti experientiâ, videmus emanare. Et quamquam homo animal sit sociabile, atque ideo vel ipsius naturæ ductu, ad miscendos cum aliis identidem sermones, & communicanda mutuò sensa invitetur: quia tamen ob contractum naturæ vitium, haud modicè ad captandam, è vana, & supervacua sermocinatione, voluptatem invitatur; meritò admodum cautû, providúmque esse oportet quemlibet, ut in Pythagoream concedat disciplinam; nè in vitia è linguæ abusu oriri solita præceps eat. Unde magna virtus est, ac singularis, immodicum loquendi appetitum freno rationis posse continere; nè terminos honestatis transiliat, quos locutulei, & blaterones nullo negotio transgrediuntur. Atque ità taciturnitas cum laude suscepta multarum est genitrix virtutum. An non enim illius præceptionibus ritè observatis, conscientia nullius criminis sibi conscia, in gratam transit serenitatem? An non pacis Alcyona regnant in animo, Angeronæ Deæ silentii consecrato? An non mutua hominum societas, & arctissimum necessitudinis vinculum, suo in nexu, ac integritate conservatur? An non denique fides in rebus creditis, consiliorum arcanè susceptorum tenacitas, insignis, ac incorrupta æquitas, aliarúmque virtutum decora, quæ longum esset recensere, suo manent in splendore, ac vigore? Ità sanè.

CONTRARIUM. At vero ubi æs Dodonæum jugiter strepit; ubi Tolenica linguæ echo dies, noctésque personat, ubi os infrene libertati innatæ nunquam non vacat, hominem virtute, sapientiáque inanem non tam arguit, quàm indice haud dubio abundè manifestum facit. Qui lingua non est continens, facilè ejus lubricatione in barathrum agitur vitiorum. Semper hæc in udo est, proclive est, ut labatur, ni silentii munimine fulciatur. Nunquam ab erratis longiùs abfuit multiloquentia. Hæc damna incurrit temporis, quietis, & sæpe etiam famæ jacturam. Quid

quod

quod ejusmodi Architæ crepitacula, corvíque Apollinis, habitus, affectionésque animi non uno produnt argumento, quos silentii velario citra suum dedecus obtegere potuissent. Dum quippe in muliercularum nænias, & in sermones intempestivos effunduntur, palàm faciunt vel pravum amorem in animo æstuantem, aut odii acerbitatem, vel iræ sævitiem, aliásque commotiones in pectore debacchantes, quæ illos non levi probro apud æquos rerum æstimatores exponunt. Quis enim egregias animi dotes possidere eos existimet, qui vitia duntaxat in lingua circumferunt, verbísque interiorem animi statum non rectè compositum affatim declarant? Quis eos amentiâ teneri ambigere valeat; qui verba præcipitanter ab ore devolvunt, eáque semper in ore habent; quæ vix mente capti effutirent. Quæ de virtute eorum ferri possit sententia, qui thrasonicè verba serunt, vocésque fastidii insolentiâ, & arrogantissimi Spiritûs plenas effundunt: quæ melior de iis concipi, formaríque queat opinio, qui omnibus obstrepunt, oblatrántque, & adversus ea fremunt, quæ sibi adversaria reputant vano arbitratu? Quâ demum virtutis laude ii sunt impertiendi, qui conviitiis in æmulos, dies, noctésque detonant, & satyricè nunquam non eos incessunt. Et verò, ceu Magistra edocet experientia, nullos magis huic vitio obnoxios est videre, quàm gerrones & ejusmodi lingulacas: nec ullum vaniloquentiæ suæ aptius censent argumentum, quàm de aliorum erratis fabulari, ac probos maledicentia sua vellicare. At verò Pythagoræ alumni ad leges silentii, virtutísque normam ritè conformati, sermone opportuno utentes, linguam in frenos agunt, nè luxuriet, ac multiloquio sibi aggreget peccata. Unde coërcent rationis ripâ profluentiam verborum, illúdque primis in curis habent, ut gravitas sit in sensu, in sermone pondus, atque opportunus in verbis modus.

SIMILE. Explanare dicta lubet non incongruis rerum diversarum imaginibus, quæ rei veritatem non obscurè adumbrabunt. Quemadmodum enim aucupandis intenibustus av, non ante in aëreum certamen manu mittit Falconem, donec natantem in nubibus conspiciat Ardeam: nec ferarum vastator sagaces, odorósque Ichnobates,

ac

ac Therones citiùs dimittit ; dum agitandæ occasionem feræ videat; haud secùs nec oris laxandum est capistrum, verbáque emittenda ; quoad usque tempus accommodum, & utile accedat opportuna loquendi. Ex nemore transitum ad urbem in rem præsentem faciamus. Ut enim in ea atrienses, & ostiarii, mercede non parva conducti, foribus repagula objiciunt, omnémque lavernionibus aditum præstruunt; nè beneficio noctis gazophylacia expilent, ac indigenas fortunis suis exturbent : ita quantò quisque majoribus virtutum opibus affluit, ac meritorum opulentia abundat: tantò majorem linguæ custodiam, silentiíque studium adhibet, nè quod malum per oris januam aut irruptionem faciat, aut quidquam moribus dissonum ingressum moliatur. Et nè ab urbe longiùs discedamus, gnavum rei domesticæ curatorem, aut ipsum patrem-familias parabolicè inducamus. Habeat is lælapem, aut molossum, vel canem pecuarium, qui tum in advenas, tum in ipsum adeò herum identidem figat dentes, morsúque petat obvios: an non illum aut caveæ includet, vel ad catenam nunquam exsolvendum condemnabit ? Et quisquam linguam, tot, tantáque mala inferentem, vel illaturam, inter geminas oris, ac dentium januas arctiùs concludere dubitabit ? Quis caballum sternacem, ac refractarium, & calcitronem ferro non edomet; ut eo tutè citráque detrimentum vehi possit ; Et nos moderari linguam rationis lupato, frenóque silentii cohibere ambigere ?

EXEMPLA. Hoc taciturnitatis capistrum ori suo in vaniloquentiam alioquin effuso imposuit Apollonius Thyanæus, vir omnibus disciplinis liberalibus nobilissimè excultus, qui ut linguæ cupiditatem frangeret, quinquennale Pythagoræ silentium sibi indixit, & adeò exactè observavit; ut Imperatori nescio quid sciscitanti, non voce sed scripto responsa daret. [a] Non impari religione silentii se se obstrinxit Laërtius Diogenes, perpetuúmque sibi loquendi usum interdixit ea potissimum de causa, quod ex sermone cum quibusdam minùs cautè habito, ge-

[a] *Suidas*

genitrici suæ malum gravissimum accidisset. Rumpere hoc taciturnitatis vinculum Hadrianus Imperator decrevit; severa capitis indicta pœna; ni verba redderet ad Cæsaris quæsita. Sed actum egit, retique ventos captavit. Quare cùm Philosophum ab adamantina dimovere non posset sententia, mentem quoque suam Hadrianus immutavit, porrectáque Diogeni tabella; ad quædam sibi respondere problemata manu voluit; quod non gravatè impetravit. [b) Hunc visus est æmulari Zeno Stoicorum Princeps nunquam non silentii custos, & amator. Forsan Antigoni Regis legatos, Athenas negotiorum causa missos, cum nonnullis è barbara Philosophorum turba, ad saliarem cœnam invitarat. [c] Vix mero incaluerant sapientiæ inanis propolæ, cùm sufflatis buccis mira quædam lemmata; ampullásque eruditionis sibi propinant, & littore Sarpedonio clamosiores, vocibus insanis inter se altercantes, sympossii locum adimplent. Cúmque omnes verborum multitudine doctrinam suam ostentarent; solus Doryphorematis ritu assidet geniali sigmati Zeno. Id cùm non incuriosi observarent legati, qui omnes præstare sapientia Philosophos non ignorabant Zenonem; ex eo silentii causam intrepidè percontantur. Quibus dignam sapientia sua reponit gnomam Zeno, inquiens: *longè difficilius est tenere quàm proferre sermonem*. Hic enim verò rebus omnibus silentium antepofuit cum Harpocrate, qui taciturnitatem summam esse virtutem docuit, atque ideo à Græcia honoribus Deorum cultus fuit. [d] Nec hìc Xenocrates, vel ut alii volunt Simonides, involvendus est silentio, qui cùm maledico obtrectatorum, famæque aliorum noxio sermoni interesset; linguam inter cancellos modestiæ, septaque obticentiæ ita continuit, quasi surda aure omnem aliorum subsannationem præterire voluisset. Cum verò unus aliquis ex obstrigillatoribus scitaretur, cur solus linguæ suæ comprimeret licentiam? hoc responsum quærenti dedit: *dixisse me aliquando quadam pœnituit.* ta-

[b) *Amantius* [c] *Laert. lib. 7. cap. 1.* [d] *Alex lib. 2. cap. 19.*

tacuisse nunquam. [e] At nè duntaxat Magistros sapientiæ Philosophos digitum labiis imponentes in medium attulisse videamur, in ætatis vere florentem adolescentiam taciturnitati deditam adducamus. Vixdum fortè ex ephæbis Cato Uticensis excesserat, adeò sermonis aviditatem compresserat; ut Pythagoræ disciplinam plenè creditus fuerit combibisse. Non defuerunt, qui Catoni facerent convitium, & intempestivam calumniis incesserent taciturnitatem. Nulla ei cum pari ætate consuetudo, nullo utebatur familiariùs, omnéque commercium sapiens sibi Cato declinabat. Nunquam diem cum aliquo posuit; nunquam ad ludum, animíque remissionem descendit; nunquam turbinem voluit torquere, aut quocunque demum puerili ludo corpus exercere. Nulla ei uberior lætitię copia, quàm Angeronę ministrare, silentióque otium, diémque consecrare; Criminabantut non pauci, ac convitiis proscindebant Catonis obticentiam, vitióque confinem palàm opprobrabant Quid ad hæc ætatis floridæ adolescens? quod ipsa sapientia reponere decrevisset. *Carpant taciturnitatem*, inquit, *qui volent, modò vitam probent.* Nec dicto hoc lemmate, annos juventutis excedente contentus fuit Cato, quin sensum suum ampliùs declararet, edicens: *tum demum abrumpam hoc meum silentium; cùm ea loqui potero, quæ sunt silentio indigna.* Non eguisse Catonem censeam Socratis Oratoris disciplinâ, qui à battologo quodam, & impendio loquaciore discipulo, duplex didactron, seu mercedem scholasticam postulavit, alteram ut loqui, alteram ut tacere illum edoceret. Neque Catoni necesse erat audire Socratis Philosophi doctrinam, qui discipulis suis author fuit, tria peculiariter semper observarent: in animo prudentiam; in vultu verecundiam, in lingua silentium. [f] Quid quod nec Catoni Gymnasium Pythagoræ opus fuerat adire; in quo cuidam discipulorum, inseri albo Sapientûm cupienti, hanc maximam dictavit: *Serva silentium, donec necessariũ tibi sit loqui. Si nihil dixeris, nisi quod bene sciveris si ges-*

(e) *Val. Max lib. 7. c. 2.* (f) *Bruson. lib. 9. c. 6.*

figesseris optima, & locutus fueris pauca, Sapientûm numero adscriberis. [g]

TESTIMON. Id ipsum luculento stabilit testimonio Romanus Sapiens, hoc salubre monitum suo dans per familiarem Epistolam Lucilio *Tardiloquum te esse jubeo,* [h] *Aut dic aliquid melius silentio, aut sile.* [i] Ita enim *natura ipsa jubet, quæ linguam nobis unam, aures verò duas dedit ut duplo plus audiamus, quàm loquamur.* Zeno apud Stob. [k] Imo dicere *fortasse, quæ sentias, non licet, tacere planè licet.* Cic. [l] *Sapiens loquitur tacens.* Eurip. [m] Quin. & *taciturnitas stulto homini pro sapientia est.* Publ. Syr. Rectè igitur *Pythagoras nihil priùs discipulos suos docuit, quàm tacere, primáque apud eum meditatio sapienti futuro, linguam coercere.* Apul. (n) *Difficile* enim *est tacere quum doleas* Cic. (o) *Et nullam difficiliorem, quàm silentii credo virtutem.* Quintil. (p) Nam tandem *tacere multis discitur vitæ malis.* Sen. (q) Unde *sermonem obsigna silentio, silentium occasione.* Solin. [r] apud Stob. *Aut tacere oportet, aut silentio meliora dicere.* Pytag. [s] *Noli loqui, nisi linguam in mente tinxeris.* Zeno apud Stob. [t] *Sermo velut equus undique videtur constringendus.* Plato. (u) *Et cùm potentiores adsunt., oportet tacere.* Epichar. [x] Hujus quoque tibi sum author: *alium silere quod voles, priùs sile.* Sen. [y] *Quæ verò facturus es, noli dicere.* Thales apud Stob. [z] Præsertim *quum plurimum in celando ad effectum spei habueris.* Lv. (aa) *Primum* enim *rerum gerendarum est silentium.* Polyb. [bb] Quare *non metus, non spes eliciat vocem, quâ prodantur occulta.* Curt. [cc] *Nec res magnæ sustineri ab eo possunt, cui tacere grave est.* Idem. (dd) Unde *primum omnium est, silere.* Polyb. (ee) His pro

(g) *Sidon. lib.* 40. (h) *epist.* 9. (i) *vet. jamb.* [k] *serm.* 34. (l) *lib.* 4. *epist.* 9. (m) *in Orest.* [n] *de Pythag. discipl.* [o] *pro Sylla* [p] *declam.* 19. (q) *in Thyest.* (r) *serm.* 3. [s] *apud Stob. serm.* 32. [t] *serm.* 1. [u] *lib.* 4. *de Leg.* [x] *apud Stob.* (y) *in Hippol.* (z) *serm.* 3. [aa] *lib.* 21. *cap.* 57. [bb] *lib.* 9. [cc] *lib.* 4. *cap.* 6. (dd) *ibid.* (ee) *lib.* 9.

pro colophone non ignobilem adnectimus Poëtam ità canentem:

Nobile lingua bonum, si fari in tempore novit:
Nobile lingua malum, si fari in tempore nescit.

EPILOGUS. Ex quibus universis id tandem conficitur, sapientissimam tulisse legem discipulis suis Pythagoram quà spatio annorum quinque, in silentii Gymnasio eos solerter exercuit, ut scitè; rectéque cùm aliis deinceps conferre sermones valerent. Ille quippe veraciter loqui novit; qui priùs bene tacere didicerit. Aliæ artes exercitando; hæc abstinendo discitur. Equidem hæc ars difficillima est; sed admodum quæstuosa. Nec quicquam æquè prodest, quàm perparum cum aliis loqui; plurimum cum semetipso Tempestiva taciturnitas sapientiæ est Magistra, longeque præstantior omni sermone. Nec quicquam juvat dicendi esse peritum, & tacendi imperitum. Nulli hucusque nocuit tacuisse, pluribus detrimento fuit esse locutos. Silentium cùm ubique culpâ vacet, tum vel maximè in aliorum conviciis; nescio quid egregium, Herculeúmque præfert: Qui sapit, ostiatium ante linguæ januam pervigilem statuit: nè virtus exeat, vitiúmque subintret: nè fama solum vertat, & ejus in vicem infamia succedat. Ubi præ foribus linguæ stationaria est taciturnitas, nullum vitia aditum habent in animi penetrale. Quamobrem in Pythagoream omnes concedamus disciplinam. Nè tamen quisquam me objurgare, carperéque, aut saltem in suspicionem vocare possit, velle me hodie capita sine lingua efformare, aut in mutos pisces, vel tantas Serapias, nova metamorphosi immutare: loquendi usum vobis lubens, volénsque indulgeo: cùm aut rei necessitas, aut proximi utilitas, aut muneris præsentis ratio suadet, suóque jure flagitat, & deposcit. Amyclas aliquando perdidit silentium. Charitas nonnunquam vincula rumpat taciturnitatis est necesse, cùm vel instruendi, vel corrigendi, & ad meliorem frugem ii sunt reducendi, qui facti sunt devii à virtute. Unde vel tempestivum silentium, aut oratio utilis est habenda, verba silentio, silentiúmque tempestivitate est clau-

claudendum. Quare dicenda ea deligantur, quæ utilia ſint futura & dicenti, & audienti. Quod fiet, ſi lingua à bona mente non diſcrepet, moréſque boni approbent verba.

CHRIA X.

Cornelius Scipio Patrem luminibus orbatum, ſcipionis inſtar regebat. Unde Scipionis cognomentum ſibi, totíque proſapiæ acquiſivit.
Marcrob. lib. 1. ſaturn. c. 6.

EXORDIVM. QUamquam Publius Scipio Æmilianus, toga, ſagóque omnem Romanæ gentis gloriam, ſua ætate longiſſimo poſt ſe reliquerit intervallo: quamquam ſibi coævos ingenii pernicitate, bellandíque peritiâ anteiverit, nihilque aut egerit, aut dixerit, ſenſerítve, quod non ſecundam populi admurmurationem jure promeritum fuiſſet: illud tamen nomini ejus ære perennius inſtruxit monumentum, atque immortalitati commendavit, quod illam urbium reginam Carthaginem, ter centum ac ſexaginta in ambitu ſuo complectentem ſtadia Romanæ fecerit poteſtatis. Tantum erat hæc Africæ metropolis fortitudinis prodigium, ſeu naturæ ſitum, ſeu artem polemicam nobis ante oculos ſtatuamus, ut infeſta quorumcunque hoſtium ſigna non tam riſu exciperet, ac ludificationi haberet, quàm citra pulverem, ac ſudorem à mœnibus, & vallis latiſſimè deductis arceret, prohiberet. Iis erat circumſepta, ac communita operibus hæc urbium validiſſima, ut ipſa adeò Roma gentium alioquin Domina de rebus ſuis diffideret, quoad uſque Carthaginis potentia ſuo perſiſteret in flore, ac vigore. Et tamen hoc portentoſum Africæ munimentum, ſuæ fecit gloriæ monimentum Scipio Africanus. Nam poſteaquam

à devicta Iberia murali, à domita Africæ feritate obsidionali corona donatus fuisset, labefactare Carthaginem cœpit, itáque machinis, ac catapultis verberare, ut invisam Romanæ genti urbem funditus everterit, solóque æquarit, solo nomine Carthaginis relicto. In magnam equidem gloriam, ac honorem facinus hoc martiale cessit Scipioni Africano, omnésque regionum, ac provinciarum angulos nominis ejus fama complevit. At omne hoc encomium, atque exaggerata illius panegyris inferior est Cornelio Scipione, seu abavo, seu tritavo, cujus virtus in illustri quadam specula jure optimo est collocanda, utpote quæ bellicæ rei gloriam, sæpius non tam Imperatori, quàm strenuo manu triario accensendam, virtute, ac observantia in Patrem adeò superavit; ut primas ei Scipio Æmilianus non injuria deferre possit. Quod ut luculentissimum evadat, factum Cornelii paraphrasi laconica in posterorum æmulationem tantisper liceat elucidare.

PARAPHR. Non latuit ùt equidem arbitror, hunc enutritum in Romanæ sapientiæ gremio virum, nihil esse tam honorificum filiis, quam bonis, honestísque progenitoribus natos fuisse, nihilque Patribus evenire gloriosius, quàm filios cultissimis, purissimísque moribus à primis unguiculis esse institutos. Ab hac proba genitoris sui informatione, ac gloria nè desciscceret in aviti sui generis dehonestamentum Cornelius, id primum cordi habuit ut Patrem suum jam ætate provectum, ea, qua par est reverentia coleret, ac observaret. Et verò non defuit muneri suo lege ipsa naturæ sancito, omnes explens numeros filii, quos grati animi ratio, acceptorúmque beneficiorum memoria jure suo efflagitat. Quod enim pietatis officium prætermisit in parentem? Quod obsequii genus per segnitiem unquam neglexisse visus est? nullum sanè. Probè quippe compertum habuit, primùm pietatis gradum esse, ut quos supremum Numen authores nobis esse voluit, honoribus comprimis augeamus, ornemúsque. Si verò amor à nato desideratur: an non ùt oculos suos, aut si quid illis dignius, aut charius esse potest, Patrem adamavit? Nihil illo antiquius habere decet, à quo id, quod

sumus,

sumus, habeamus, cuique primordia nostra in acceptis referre debemus. De obtemperandi studio quid dicam? Adeò progenitori suo morem gessit Cornelius, & ad ejus arbitrium, ac nutum se inflexit, ut nullum fuerit mandatum, quod non exhauserit, nullum imperium, quod abnuerit, ad jussa omnia promptus semper, & expeditus. Noverat enimverò marmor obstinatæ mentis in eo durescere, qui ei obsecundare nolit, cui ipsæ leges naturæ imperandi tribuunt facultatem. Nec solum ex arbitrio Patris totus pendebat, sed ejus commodis quàm maximè serviebat, nihilque non ejus causa egit, quod auxilio, & levamini potuit evenire. Ille rem familiarem Patris, licèt emancipatus, gnaviter accurare, eduliorum lautitiis nutricare, puriorem præbere potionem, eaque Patri munia persolvere, quæ vix, ac nè vix mediastini operæ pretio conducti præstarent. At hæc communia fortassè natorum in Patres officia quispiam reputârit. Sit ita. Verùm quod sequitur, attonito me reddit similem, ipsamque urbium Dominam admiratione suspendit. Erat jam Cornelii progenitor senex recoctus, ac capularis, propediem Charonti naulum soluturus. Ad hæc oculorum usu ità privatus, ut testudineo, & vacillante gradu haud valuerit solus gradum moliri. Huic natus scipionis in vicem futurus, per vicos, ac compita prodambulanti aderat, & sub oculis omnium gressum ejus dirigebat, non ducens sibi dedecori obire munus servuli extremæ sortis. O singulare officiũ nati in Patrem, fastis Romanorum jure meritissimo inserendum!

CAUSA. Nec abs gravissimo rationis momento ad hoc insolitæ dimissionis studium se abjecit Cornelius legum Patris in filium, filiique in Patrem haud ignarus. Non fugit sagacissimam ejus mentem ipsius naturæ præceptum, quæ non duntaxat ratione utentibus, sed ipsis adeò brutis animantibus, tenerum quendam erga progenitores indit amorem. Atque exinde prudenti dissertatione inferebat, partes ingenui esse filii, amore singulari complecti Patrem, nè infra conditionem brutorum à natura condemnetur. Naturæ quippe hostis est, qui eos

non amat, à quibus naturam, plurimáque bona accepit. Nec solùm lex naturæ, sed jus, & æquum flagitant debitam in progenitores observantiam, & honorem. Si enim incorruptus juris ordo suum cuique partiri præcipit, ecquid non præcipiat eis tribuendum, à quibus summa quæque collata in nos beneficia non ignoramus? Atqui nemo secundùm DEUM, majora, præstantioráque nobis contulit, ut non uno liquidissimè patet argumento: quî itaque omne genus officii non citra injuriæ notam eis denegare valeamus? Ut verò eorum benefactis nos admodùm obstrictos non ambigamus: dicite AA. quis primam nobis lucis usuram favit! Quis in hoc aspectabile mundi theatrum, scenámque deliciarum adduxit? An non progenitores nostri? Dicite, quis à primis actibus viræ, ætatísque tyrocinio, labore, sudoréque decumano ad annos pubertatis promovit? Quis idoneo, salubríque cibatu, ac potione nutricavit? Quis instituendos probis moribus, bonísque artibus combibendis, moderatoribus tradidit literarum? An non solertes progenitores nostri? Dicite, quis nos in oculis jugiter tulit, amanter fovit, in omnibus adjuvit, atque ut innumera alia silentii velario obvolvam, quis tandem ex asse hæredes scripsit, & amplioribus fortunis locupletavit? An non industrii progenitores nostri? Horum, atque plurium magnitudo, tum ex difficultate ipsius operis, tum ex bonæ mentis affectu, jugíque curâ, ac sollicitudine profecta, non tam magnam sui æstimationem, quàm mutuam relationem gratiarum jure maximo efflagitant. Quamobrem qui hæc parentum beneficia pro eo, ut par est, pensare volunt, memorémque eorum præstare animum, reddant pro ortu suo amoris munera, pro nutricatione observantiæ studia, pro recta institutione obsequentûm officia, pro jugi tutela, pro transcriptis amplioribus fortunis, debitæ protectionis, ac gratitudinis argumenta. Sic profectò ab ingrati animi vitio longissimè aberunt, & aliquatenus beneficiis progenitorum suorum respondebunt.

CONTRARIUM. Verum enim verò quæ temporum nostrorum est malignitas, ævo semper in deterius ruente, male

malè feriati complures filii non magnoperè laborant de reciproca grati animi vice parentibus redhibenda, quin illos juxtà ponunt, omnémque de illis curam abjiciunt; quasi nihil suâ interesset rependere iis officia, quibus ipso jure naturæ sunt obnoxii, ac devincti. O quot etiamnum reperire est acceptorum beneficiorum immemores filios, qui non duntaxat magnitudinem meritorum, ac progenitorum labores sui causâ exantlatos ventis tradunt, aut Lethæis immergunt aquis, sed & malevolentiâ pessimè de iis merentur. Ecquam AA. de ejusmodi natis tuleritis sententiam, qui parentibus molestias facessunt, dolore eos afficiunt, ira accendunt; stomachúmque eis commovent nunquam non illis graves, ac importuni? Qua dignos execratione censueritis filios, qui ad amplissimos dignitatis gradus sublimati ope parentum subsidiaria, principia felicitatis suæ in minimis habent, & nec quidem ea benigno respicere oculo dignantur, earúmque se habere dissimulant notionem? Quod in eos pœnæ fulmen contorseritis, qui non citra injuriam, nescio quæ mala progenitoribus suis comminantur, authoritatem illorum concidunt, plaustris cōvitiorum in eos invehuntur & non tam linguas in eos distringunt, quàm librata manu cædunt, fustémque quernum in eorum latus, ac caput impingunt? Quo demum cruciatu, quibúsve tormentis afficiendos definiveritis natos, qui unicè in votis gerunt, ut quantocyùs Patres (prò scelus immane, detestabile, execrandum!) de vitæ statione decedant, aut eos è medio tollere adnituntur, quò sinè mora hæreditatem adeant genióque suo pro arbitrio indulgere queant. An non atrocissimas ab eis pœnas continuò reposcetis. An non includi culeo jubebitis, præcipitari in aquas, aut alio graviori supplicio pro qualitate delicti disperire. Ita sinè. Occidant è Prienensis justitiæ sancito; qui vitæ suæ authores perdere adlaborant.

SIMILE. Quemadmodum enim malum seu Assyrium, aut Hesperium, seu Punicum, aut coroneum; vel erysomelum pessumeat est necesse, exitióque proximum caneviriatur, aut in tabem resolvitur, si ab felici arbore segregatur: haud secus liberi à progenitoribus velut stipite

 suopte

suopte vitio divulsi, in summum discrimen veniunt fortunarum, ac salutis, non sine dolore, ac mœrore totius prosapiæ, ac parentum. At verò ex adverso ut arborator omnibus lætitiis gestit, & mirifica redundat hilaritate; ubi generosas legit fruges ex arbore, quàm suis ipse manibus consevit; ita progenitores præ gaudiorum vehementia colliquescunt; cum singulari morum præstantiâ efflorescentes vident liberos? quos ipsi impigro labore, curáque non levi in autumnum ætatis perduxerunt, fruges maturas bono publico daturum. Sed ne ab arbustivo duntaxat loco parabolam petamus: terræ vaporibus in altum sublimatis persimiles esse velim institutos rectè filios, aut exoptem. Ut enim beneficio Solis hi æstuantis terræ halitus in editiorem aëris regionem sublati, & in pluviam resoluti, suavi suo illapsu terræ tribuunt fæcunditatem: pari ratione liberis convenire existimem; ut posteaquam ad fastigia honorum, ac dignitatum, cælo suffragante, evecti fuerint, ad ferendam progenitoribus suis opem de se dimittere non graventur, acceptáque ab eis naturæ, morúmque beneficia, si non cum fœnore, ad minus cum affectione debita remetiantur. Sed fortassis ab vilissima terræ, & aquarum exhalatione, reverentiam, & amorem in parentes nonnulli liberorum condiscere pudori sibi dicunt? Sit ita. At saltem à volucribus, in quas propensâ feruntur voluntate, officii, atque observantiæ desumant argumentum. In hac pennata avium republica primas sibi in parentes gratitudinis partes vendicant pelargi, quos vulgò ciconias appellamus. Ea est, ut rerum naturalium indagatores perhibent, ciconiarum in authores suos observantia; ut pietatem ratione utentium longè antecedant. Nam confecti senio patris artus, alarúmque remigio nudatos, circumstans soboles plumarum tegmine amanter fovet, & perfrigidam ab ejus vetulo corpore arcet tempestatem. Néque hìc innatus ciconiis amor terminatur? sed collatitio pascunt victu exinanita parentis viscera, reparantes dispendia naturæ. Quid quod hinc, atque illinc grandævum patrem sublevantes, fulcro alarum suarum ad volandum exercent, & de-

desueta jam ejus membra revocant in pristinos usus. Ità ab avibus, quod plenum est pietatis, neque onerosum, solvitur debito naturæ. Et compoti rationis filio, leges divinas juxta, humanásque apprimè callenti sit fastidio, graveque videatur, memorem beneficiorum præstare animum, omníque officiorum genere Patres prosequi, eorúmque necessitatibus subvenire? Prô pudor, æternáque infamiæ nota nullâ ætate obolenda!

EXEMPLA. Sed quid ego volucres in ideam observantiæ progenitoribus debitæ, altissima ratione præditis in animum induxi proponendas? Exempla filiorum clarissimo ortu prognatorum in æmulationem adducamus. Ac primus quidem sese offert observantissimus Patris Isacii Imperatoris Constant. filius nomine Alexius, qui progenitorem suum à fratre imperio, oculísque orbatum, armata suorum manu solio restituit, & in pristinam reposuit dignitatem. Et quamquam Alexium universa natio Imperatorem salutaret, ac regni insignia ei deferret, ipse tamen Patris reverentia ductus; nomen Imperantis in eum transtulit, ad omnem officii rationem progenitori debitam pulcherrimè se componens. (a) Quid hic Ferdinandum Regem Neapolitanum eloquar? qui tanto Parentis tenebatur desiderio, eóque prosequebatur venerationis studio, ut identidem illud ediceret, nihil mihi gravius evenire potest, quàm quod aliquando majorum rerum occupatione præpeditus, Patri adesse non possim. (b) Huic cum in virtute, tum in regno successit legitimo jure filius, nomine, ac re magnus Alphonsus Rex Aragonum, qui eam honoris vicem, quam Ferdinandus suo olim Patri rependit. Accipite specimen singularis observantiæ. Peregre forsan advenerat Pater Ferdinandus, ob imbecillitatem virium, ægrámque valetudinem hexaphoro deportatus. Id cum certis rumoribus accipit Alphonsus, continuò Patri obviam procedit, equo desilit, ejusque accedens lateri, pedibus comitatur. At Ferdinandus non tam filii; quàm Regis ductus ratione author est Alphonso, aliorum more Optimatum ascensum in

(a) *Fulgos. lib. 5. c. 4.* (b) *Pontan. lib. 5. de obedientia.*

in equum faciat, ponéque cabello vehatur. Sed studiosus paterni honoris filius reponit: aliis liberum sit agere, quod voluerint, ego nunquam adducar, qui Regem, Patrem, & eum ægrotum pedibus sequar (c) Nec prætereundum hìc existimem, quod in rem nostram, rerum à Romanis gestarum clarissimus scriptor literis consignavit Valerius Max. cujus ipsius verba sapientia obstetricante in lucem edita non piget me recitare. Decius, ait Valerius, Imperator, cùm ejusdem nominis filium suum diademate vellet redimire, renuit is; edicens: vereor, nè si fiam Imperator, dediscam esse filius. Malo non esse Imperator, sed humilis filius, quàm Imperator, & filius indevotus. Imperet Pater meus: meum Imperium sit parere humiliter imperanti. Nam parentis affectum exuit, qui mole superposita filium extinguit. Prius enim alendi, & nutriendi sunt pueri, & quum præcesserint, quos præmittere debent, invitè ascendant. Hæc Valer: de juniore Decio, in ambiguo relinquens: an filium pater, patrémve filius officio humanitatis superarit. Possem per plura ejusmodi exempla fusius divagari, sed nè æquo sim longior, silentio hic involvo primi Romanorum Principis Philippi rectè institutam sobolem, quæ è sententia Patris ad Imperantis gloriam evecta, hac gloriatione se se extulit: Patrem habeo, cui possim obsecundare non tantùm ùt filius, sed etiam ùt Imperator. (d) Missum hìc facio Atyn Cræsi Regis filium, qui licèt usu linguæ orbatus esset, ubi tamen hostilem gladium paterno jugulo imminentem vidit, solutis dentium claustris prorupit in verba, quibus filialem affectum erga Patrem non muto prodidit argumento. (e) Prætermitto Quintum Ciceronem Marci Ciceronis filium, qui Patrem ad necem quæsitum occuluit, neque ulla tormentorum immanitate adigi potuit ad manifestandam loci opportunitatem, quo remotus à discrimine pater degebat. (f) O admirabilem liberorum in progenitores suos amorem, atque observantiam, nulla satis verborum prædicatione efferendam.

TES-

(c) *Panorm. lib. 2. de rebus gest. Alphons.* (d) *Fulgos. lib. 5.* [e] *Justinus lib. 1.* (f) *Plut.*

TESTIMONIA. Et de hac [ut testibus omni exceptione majoribus utamur] ità Romanus sapiens: *nullâ vi verborum, nullâ ingenii facultate exprimi potest: quantum opus sit, quámque laudabile, quámque nunquam à memoria hominum exiturum, posse dicere: parentibus meis parùm cessi: ad hoc unum contumax fui, ut beneficiis cederem. Certate obsecro vos, & fusi quoque restituite aciem. Felices qui vicerint: felices qui vincentur. Quid eo adolescente præclarius, qui sibi ipse dicere potuit, parentem meum beneficiis vici? Quid eo fortunatius sene, qui omnibus ubique prædicabit, à filio suo se beneficiis victum?* Hæc ille. [g] At ex adverso *parentes negligere, nec DEUS, nec homo mentis compos ullus consulet.* Plato. (h) Nam *putare quisque debet omnia quæ possidet, eorum esse, qui genuerunt, & educârunt.* Idem [i] Huic suffragatur latinæ eloquentiæ princeps ità inquiens: *parentes carissimos habere debemus, quod ab his vita, patrimonium, civitas, libertas tradita est.* [k] Et è divini Platonis monito: *in verbis per totam vitam parentes venerari maximè decet; levium enim volatiliúmque verborum gravissima imminet pœna.* (l) Hęc, & plura alia in sua Peryctione complexus est Pythagoras in hęc verba disserens: *mali quidquam parentibus nec dicto, nec facto exhibere oportet, sed obedire, cujuscunque demum conditionis fuerint Item in quacúnque corporis, animæ, rerúmque externarum fortuna. In pace, in bello, in sanitate, morbo, divitiis, paupertate, gloria, infamia, sive privatis sive in magistratu constitutis parentibus adesse oportet, nec unquam deserendi sunt. Hæc enim sapienter, & rectè fieri à piis hominibus existimantur. Contemptus autem parentum peccati genus ejusmodi est, quod in vivis simul, atq; defunctis divinitus damnatur, ab hominibus odio habetur, & sub terra in loco impiorum, unà cum reliquis improbis punitur à Justitia, &c. Honestissima enim est, imò divina parentum facies, & aspectus, cultúsque eorũ tanti fieri debet, quanti nec Solis fit, nec omnium siderum, quæ gravissimas cœli choreas constituunt: aut si qua alia res istis major*

 à quo

[g] *lib.* 1. *de benefic* [h] *lib. de leg.* (i] *lib.* 11. *de leg.* (k] *pro Cluent.* (l] *lib.* 4. *de leg.*

à quoquam existimatur. Deos quidem arbitror, si contemni parentes viderint, haud quaquā id esse toleraturos. Quamobrem & vivos, & mortuos colere par, nec unquam eis contradicere. Verùm si quid ignorent morbi, aut animi vitio, consolari, atque docere oportet; odisse nunquam. Majus enim inter homines admitti peccatum nequit, quàm erga parentes impietas. Hæc Samii Philosophi sapientia ad rectam omnium liberorum institutionem. (m)

EPILOGUS. Illos proinde æquum est magni facere revereri, honore prosequi, eorum non tam imperata, quàm nutus, & consilia inquirere, factísque adimplere. Pietas in progenitores, quos maximoperè colere oportet, fundamentum est omnium virtutum. Hæc utique docet liberos cervicis duritiem inflectere, arrogantiæ supercilia deprimere, & reluctantem licèt verticem ad patris venerationem, & obsequelam inclinare. Hæc prosperum vitæ cursum secundúmque rebus in omnibus successum piis pollicetur filiis, & non duntaxat temporaneam, sed æternam quoque appromittit mercedem. At verò contumaces, & protervos, quíque non solùm non audiunt parentum imperia, sed insuper ea habent atrocissimæ manent pœnæ, non solùm persolvendæ in tempore, sed in sempiternam duraturæ infelicitatem. Et verò jure meretur omnibus adversis jactari, qui injurius factis in eos existiterit, quibus debet id, quod est, quódque habet. Cæcitatis luat supplicium, qui placidam vultûs serenitatem à progenitoribus avertit. Detrahatur ei de vitæ spatio, qui de parentum obsequio quicquam detraxerit. Justissima quippe vindicta parentum violatio est expianda. Non habent partem cum iis, à quibus malevolentia se divulserunt. Ut enim disjunctus à Sole radius non lucescit, rivus à fonte arescit, ramus ab arbore marcescit, membrum à corpore putrescit: itá segregatus à devotione paterna filius, jam nullatenùs hoc gaudet nomine, sed frater, & collega est eorum, qui à parte omnis malevolentiæ authore, summóque generis humani adversario procedunt. Di-

(m) *In Perystione Pythagorica ex lib. de mulier. harmonia.*

Discant proinde liberi mensuram debitæ pietatis implere, parentésque suos, ut jus, & æquum postulant, observare; qui eadem sibi decempeda, conferenda in filios beneficia cupiunt quondam remetiri.

CHRIA XI.

Lycurgus modestiæ præceptis animos Spartanorum juvenum imbuit. *Plutar. in Polit.*

EXORDIUM Non hodie pro Sparta, celebri Lacedæmoniorum urbe pectus in vicem murorum opponere lubet: nec meam quam hodie nactus sum dicendi provinciam aliter ornare vellm; quàm in præconium Lycurgi, Regis, ac Legislatoris scitissimi Spartiatarum. At quantum ego quidem existimo, texendo illius, ut par foret encomio, nulla vis, facultásque suffecerit: neque elucubrata ad lucernam Aristophanis oratio, tantis Lycurgi meritis vel in parte valet adæquari. Quis enim permiram ejus eloquentiam, divite quadam sententiarum, verborúmque copia exuberantem fando valeat explicare, qua animos suorum ad leges à se conditas summa religione observandas inflexit, induxítque? Quæ Musa licèt Attica robustam adeò Lycurgi facundiam verbis assequatur; qua inflatos tumore arrogantiæ spiritus compressit, qua inæqualitatem fortunarum sustulit, ac inter cives Spartanos æqua portione agrorum possessiones divisit, quà auri, argentíque usum, vel ut malorum irritamenta interdixit, ferreósque in vicem eorum nummos introduxit: Quis per acuto licèt, artísque pleno orationis genere ferat summam in spartiatas potestatem, qua symposiorum luxum attemperavit; frugalitatis leges præscripsit, atque ædium magnificentiam ex urbibus eliminavit; Quis inquam hæc, & id genus alia, salubriter

ab

ab hoc Principe instituta Tulliano quamvis eloquio possit explanare? Nemo profectò, etsi in exercitaione bene dicendi plurium annorum usu ritè fuerit efformatus. Quare cùm nemo facta Lycurgi sermone idoneo queat explanare: unicum duntaxat ejus sapiens factum vires tenuis facundiæ meæ non excedentem, latini sermonis candore paucis liceat declarare.

PARAPHRASIS. At ecquid tandem sapientiæ fama clarissimus, legúmque optimarum conditor Lycurgus posteris transmisit in æmulationem? Accipite AA. ac vos comprimis in ętatis vere florentes sęculi nostri adolescentes, ad formam honestatis, pulchrámque morum regulam effingendi. Non fugit providam sapientissimi Regis mentem, plurimum referre, quo graphio exarentur, quóve charactere primùm tabellæ inscribantur, aut quo succo recentes testæ imbuantur. Quapropter ut juventutem Spartanam non tam ad virtutum leges conformaret, quàm in Reipublicæ emolumentum adaptaret, normam quandam modestiæ juvenilibus annis partim commendavit, partim impetravit. Verùm quid ex legum pręscripto, imperióque facere Spartam teneriorem voluit Lycurgus? Primum quidem author fuit adolescentibus; ut dum per vicos, & urbis compita presso gradu iter agerent, statua taciturniores procederent: tum manus intra penulam continerent, nè quicquam adversus decorem actitarent: deinde nè emissitis oculis more ardelionum circumspectarent, at humi defixos tenerent: demum illis præcepit, eam modestiæ speciem pręseferrent in publico, quę obviis nunquam non grata acciderct, probatáque. O rectam sanè institutionem, corruptis, perditísque moribus juventutis nostrę meritò adaptandam.

CAUSA. Nec ab re hanc morum honestatem præcepisse Lycurgum existimate. AA. Compertum quippe apprimè habuit vir singulari prędiţus sapientia, habitum mentis è corporis statu elucere, animíque vocem esse ejusdem motus, & gestus. An non enim vultus ad leges modestiæ excultus, speculum est mentis haud obscurum, oculíque cancellis verecundiæ circumsepti, arcana cordis

ritè

ritè composita affatim eloquuntur ? Qualitas, bonitásque ædium in ipso vestibulo sui faciunt argumentum. Et quod objectum amœnius in oculos virorum cadit, quàm si videant in vernanti, floridáque ætate eum corporis, membrorúmque illius usum, quem præsens ratio à moderata flagitat juventute. Quid lectæ venustati proximius, quam modificatę, itáque attemperatæ universi corporis actiones, ut nec protervè asperentur; nec molliter dissolvantur; sed rigidam semper habeant dulcedinem, dulcémque rigorem. Quid ad elegantiam, & decorem magis accedere potest; quàm explicatæ frontis hilaritas, ac serenitas, ex virtute velut nativa procedens ? An non bene audient ab omnibus, pérque ora hominum volitabunt, qui linguam continenti silentio obarmatam gerunt, ut è Pythagoræ disciplina primùm exivisse videantur. Quis non eos in oculis ferat adolescentes, effusissiméque diligat, qui verba, faciunt sinè distorta manuum, ac digitorum extensione, qui procedunt in publicum sinè brachiorum ventilatione, sinè scapularum gesticulatione,&,ut innumera ejusmodi missa faciam,nihil difforme spectantium oculis exhibent in universa membrorum constitutione.

CONTRARIUM. At magna hodiedum solitudo est ab ejusmodi adolescentibus ritè ad modestiam conformatis, qui pro sæculi insolentia, omnem ab animo,corporéque excludunt cultum, quo maximopere hæc ætas redditur cõmendabilis. Videre est indies per urbis compita lepidos, joculares, & velut mimos, aut sanniones prodambulare adolescentes & gestu frivolo,molliq; omnes in partes versari,agitari. An non ejusmodi lasciviam spirare citra injuriam dixeritis ? Videtis non rarò effrenatos,protervos, dissolutos:an non impotentis animi, summæque levitatis è vero censueritis ? Videtis sæpe sæpius hìc lentulos, cunctatores, ac testudineo gradu procedentes: ibi concitos, impetúque cæco non tam ferri, quàm rapi ad votorum metam: an non his inconstantiæ notam, illis verò ignaviæ labem jure asperseritis? Videtis identidem nonnullorum vultum ad morosam gravitatem compositum, frontem eorum caperatam, contracta fœdum

dum in modum cilia, hirqua, aut defixa irretorto obtutu lumina, ductas in rugas nares, difformémque per omnia faciem: an non hos pravo aliquo, minúsque ordinato animi affectu laborare arbitremini? Quid hic referam gerrones, & aretalogos, balatrones, & lingulacas, ipsáque loquacitate loquaciores? Quid commemorem risu immodico diffluentes, cachinnos jugiter tollentes, omniáque vanis clamoribus adimplentes? Quid in medium adducam voces nonnullorum fastidii insolentia, & arrogantissimi spiritûs plenas nunquam non crepantes, denotantes: An non omni freno legum solutos, insaniæque proximos edicetis? Utinam hi thrasones in disciplinam Lycurgi sine mora concederent, legésque modestiæ continuò ab ejus præceptis acciperent; quò aliis præluceant exemplo, sibique nomen immortalis famæ nundinentur. Atque ità palam facerent universis, virtutem in animo eorum jugem habere incolatum. Corporis quippe status habitum mentis abundè palam facit.

SIMILE. Quemadmodum enim elaboratum affabre horologium, rotásque in ejus gremio ritè circumagi inferimus, cùm index, ac sonus illius certâ viâ, ac ratione procedunt: haud secùs non vano arbitratu de interiori hominis statu sententiam ferre licet, rectéque in affectibus suis esse comparatum inferri potest, si externa illius compositio talis sit, qualem esse è legibus morum oportet. Pupilla oculorum sit pro recto indice, lingua pro malleo opportuno tempore levando, labiorum eloquium pro sono, nunquam à sua temperie, nunquam ab ordine mentis desciscente. At hæc parilitas in sensum auditûs cecidit: liceat in medium adferre aliam quæ visûs tangit facultatem. Consulitis non rarò vitreũ oraculum, quo actionum vestrarum seriem disquisitione sedulâ indagatis. An non lucidissimum speculi æquor, cui propriùs comminúsque adestis, omnem motum, gestúmque vestri corporis, ceu simius ad vivũ refert? Nemo id negârit, nisi luminibus viduatus, ipsóque cæcior Thiresia. Speculum animi est conformata ad probas, vel pravas actiones corporis symmetria. Quod legitur in facie, id agitur in men-

mente, factáque membrorum sunt acta animorum. Sed ut quoque ab vi odorandi, gustandíque similitudinem ducamus: quemadmodum mites, ac jam maturæ fruges, suavem, ac perjucundum de se effundunt odorem, gratóque sapore palatum afficiunt: non aliter illi, qui in maturam excrevêre modestiam, suavissimum boni exempli spirant, dispergúntque per late patentem viciniam odorem.

EXEMPLA. Et hanc odoris fragrantiam à stacte, & casia hujus virtutis procedentem, nunquam non halabat, ac spirabat Divus Lucianus, sacra Martyrii corona donatus. Ea quippe, teste vitæ illius scriptore modestia claruisse fertur, ut barbaros etiam, & projectos in ferociam populos Orthodoxæ Fidei authorarit. Quod cùm certis authoribus accepisset remotus ab omni humanitate Maximianus, accitum pro sanginario tribunali Lucianum, veritus est liberiore oculo aspicere; nè luce ejus modestiæ perstrictus, vel abiret in mititatem, vel ab superstitiosa gentilitate ad Religionis Christianæ castra traduceretur. Quamobrem ut liberius in exosa sibi sacra detonaret, suámque exercere posset immanitatē, velamine crudelem obtexit vultum, atque ità decretoriam mortis sententiam in Lucianum fulminavit. [a] Huic proximè accedit D. Ephrem Syriæ gloria, ac ornamentum, qui ea morum temperie, præstantiáque effloruit, ut nulla facta oratione, at solo vultu, corporéque ad modestiæ leges composito, intuentes ad miserationem commoveret. Nullus in conspectum ejus venit adeò frontis perfrictæ homo, qui non pudore suffunderetur eum contuens, correctísque pravis moribus ab eo discederet, vitam deinceps ad morum regulas acturus [b] His non imparem vultu, corporéque præsetulit modestiam D. Romanus; qui solo aspectu suo, haud paucos effecit rerum cælestium amatores, eámque in animos spectatorum sola modestiæ parænesi induxit metamorphosim, ut nunquam porrò ad ingenium redirent, & in vetita prolaberentur. [c]

[a] *Euseb. lib.* 2. *c.* 13. [b] *S. Gregorius in ejus vita,* [c] *Surius in vita.*

TESTIMONIA. Ità nempe è testimonio veterum, *plura moribus, quàm viribus vincimus.* Quintil. (d) Et *mores dicentis, non verba persuadent.* Socrat. (e)

Multum est doctrinâ, virtute excellere multum.

Majus opus mores composuisse suos. Ovid. (f)

Sed nè prophana pluribus consecter, Orthodoxæ Fidei Proceres, sacrósque morum Magistros audiamus. Ac comprimis ità nos ad modestiæ leges conformat M. Aurelius inquiens: *in omnibus moribus nostris nihil fiat quod cujusquam offendat aspectum.* (g) Et ambrosia dulcior Ambrosius ità sermocinatur: *in ipso motu, gestu, incessu tenenda est verecundia. Habitus enim mentis in corporis statu cognoscitur. Hinc homo corporis nostri absconditus, aut lenior, aut jactantior, aut torpidior, aut congruior æstimatur.* (h) His suam addit symbolam in hæc verba Isidorus: *Sit in gestu tuo gravitas, in motu simplicitas, in incessu honestas. Nihil dedecoris, nihil lasciviæ, nihil petulantiæ, nihil insolentiæ, nihil levitatis in tuo incessu appareat. Animus enim in corporis gestu apparet, & species corporis simulacrum est mentis, figuráque probitatis.*

EPILOGUS. Quare cultissimi, purissimíque mores, quos non tam Lycurgus, quàm ipsa præcipit modestia, sint vobis adolescentes amori, nihílque sit antiquius, quàm ex ejusdem imperio vitæ cursum moderari. Nec quicquam tam idoneum est homini, adeóque congruum floridæ ætati, quàm varia morum honestate ac integritate esse præditam, ac insignem. Nulla sanè è re majorem auferre laudem potest, quàm si in disciplina tacendi, vivendi, seséque continendi ità habeat, ut linguæ suæ lubricitatem à loquacitate restingat, oculos à circumspectione cohibeat, cæteráque corporis membra in modestia, quietéque contineat. Atque ità species probarum actionum, parem deteget formam mentium, operúmque qualitas cor adolescentúm palam exhibebit. Omnes proinde actus, motúsque corporis ità ad modestiæ leges sint conformati, ut nihil sit in oculis, quod displiceat, nihil in ver-

(d) *declam.* 3. (e) *apud Stob.* (f) *lib* 1. *de art. am.* (g) *in regul.* (h) *de offic. lib.* 1. (i) *lib.* 2. *de summo bono.*

verbis,quod quiſpiam abhorreat, nihil in geſtu,quod cenſuram incurrat. Si tamen quidquam in natura eſt vitii, induſtria corrigat, & emendet, atque ipſa modeſtia,virtutum omnium genitrix, adoleſcentûm animos, dum tempus patitur, gnaviter, conſtanterque informet.

CHRIA XII.

D. Wenceslaus Rex Bohemiæ honorem regium parvi duxit.

Dubravius lib. 5.

EXORDIUM. EVolet in altum præpetibus alis Romani Imperii Aquila, & feſtivo clangore decantet laudes Imperatoris Lotharii, ſupremæ dignitatis faſcibus ultimum vale dicentis,ac protrita honoris pompâ,omníque gloriæ obnubilato ſplendore, obſcuritatem nominis deligentis. Plaudat Auſtraſia cum ſuo Carolomanno , tot rerum præclarè geſtarum memoriâ, orbe toto percelebri, ſed tandem longè celeberrimo ab exuta veſte purpurea,ab depoſitis regni inſignibus, ad humilem vitæ conditionem ſeſe alto animo abjiciente. Triumphos agat immortales tota, quà latè patet, Italia ob Regem Pipinum , ſceptri decus cum pedo agreſti commutantem. Efferat ſeſe præconiis, noménque ſuum orbe univerſo circumferat Arragonia cum Ramiro, Caſtella cum Veremundo, Anglia cum Sigiberto, aliáque florentiſſima mundi Imperia, vaſtiſſimíque terrarum dominatus cum laureatis Principum nominibus glorientur, qui ad vulgi myricam, & ſi quid vilius eſt humanâ opinione, ſeſe demiſerunt. Triumphent,inquam, hæ, atque aliæ orbis terraquei regiones cum ſuis Principibus, auguſtiſſimo, ſereniſſimóve honori vale facientibus: nominis quoque ſibi immortalitatem conciliat inclytum Bohemiæ regnum à D. Wenceslao, regni honores parvi, imo nihili ducente.

X Tanti

Tanti Principis virtutes sola duntaxat virtus affatim valeat explicare. Ego solùm hodie fastidium regii honoris, quod tanti mundus facit, in hoc magno Czechiæ indigete venerabor.

PARAPHRASIS. Postquàm Otto Im. cum septem virorum Collegio in Vormaciensi urbe conventum celebrasset; Wenceslao Bohemorum Duci, à virtutis gloria jam apprimè sibi cognito, perspectóque, eum habuit honorem, ut pro singulari in eum benevolentia optionē ei dederit, quidlibet à se, pro se, ac regno expetendi. Quid hic arbitramini AA. in votū efflagitâsse Principem ad leges moderationis jugiter conformatum? An fortè humanæ gloriæ æstu effervescens, honorísque cupiditate accensus, diademate regio caput suum redemiri optavit? Nunquam hac ambitione Dux Wenceslaus laboravit? An fortasse Imperii legibus exsolvi, immunitate donari, vectigalibus liberari, aliísque præmiis nominatim affici voluit morem aliàs in omnibus gerens Cæsari Princeps Bohemorum? Nunquam ad ejusmodi exemptiones animum lubuit inclinare. At quid, tandem erat, quod pro indulta sibi quidlibet petendi copia, modestissimus Principum postulavit? Adeste animis AA. & auribus factúmque ejus admiratione prosequamini. Lypsana D. Viti; glorioso affecti Martyrio, in Cæsaris gazophylacio reposita, dono sibi dari submisissimis precibus oravit, flagitavit. Attonitum reddidit hæc petitio Ottonem, qui alia omnia Ducem Bohemiæ petiturum opinabatur. Et verò descendit in ejus votum facilis Imperator: brachium D. Viti M. in munus obtulit Wenceslao, unáque regia dignitate, ac insigniis pleno jure utendis, pro merito eum decoravit. Equidem in beneficiis, gratiæque loco posuit hanc propensam in se voluntatem Cæsaris Wenceslaus, sed rerum humanarum inanitatem semper animo versans, nullo pacto caput suum cingi diademate, Regísque nomine sustinuit compellari. O singularem virtutis prærogativam super omnia, Regum fastigia jure efferendam.

CAUSA. Atque istud non præposterè, temeréve actum quisquam censuerit à tanto principe; qui rerum caducarum

du-

ducarum apprimè gnarum noverit, altioríque lumine legeritillustratum. Non erat, ut fateamur quod res est, non erat nescius, falsam, ac inanem esse universam terræ Principum gloriam, eámque suavem animæ hostem, blandum prædonem spiritûs, vermen virtutum, tineam meritorum, venenum melle illitum, & umbram duntaxat verâ luce honoris jugiter carentem. Quare ad lumen æviternum expers omnium tenebrarum levabat oculorum lumina; palatum ad nectar, & ambrosiam cælestem admovebat, merita nullis tineis absumenda ad superos dirigebat, blattas, ac teredines virtutum excutiebat, prædonem operum supra naturam positorum longissimè arcebat, animæ hostes pro virili devincebat, & falsam gloriæ imaginem cum veritatis iconismo cômutabat. Nec latuit hunc conspicuum sapientia Principem, omnem mundi pompam, auràmque popularem fumum esse subditò evanescentem, pulchramque Regum gloriam licèt principio arrideat, pœnitudinem afferre, & quod delectat ad modicum, productiore temporis spatio displicere. Neque ignorabat pertæsus rerum humanarum Wenceslaus, quos pungentes solicitudinum rubos animo ingerat regni moderamen. Pervidit clarissimè comitantes inseparabiliter timores, qui latus Principum ambiunt jugiter formidantium, nè sceptrum cum ligone, lacernam cum purpura, opinione citius cogantur immutare. Missa hìc facio innumera propè alia, quæ regnum circumstant mala à nullo, sanè, cui verioris sapientiæ illuxit radius, votis avidioribus expetenda.

CONTRARIUM. Et tamen plerique mortalium animalia sunt gloriæ, solam dignitatem spectant, falsique honoris umbras votis omnibus consectantur. At quid tandem est, cur eâ magni nominis cupiditate teneantur? Oggeret hìc fortasse nonnemo, asserétque gloriam annorum Matrem esse, bonum maximum à fonte bonorum omnium in mortales derivatum; ingenitum honestis animis esse gloriæ amorem, honorificum accedere morti comitem, & quæ brevitatem vitæ longæva posteritatis memoria consolatur. Hæc ille. At liceat mihi his

pauca reponere, & ignorantiæ fucum, aut velarium ab oculis malè fascinatis tantisper removere. Gloriam inquit annorum matrem esse: sed ajo ego in fatalem consurgere novercam, & plerumque perbreve illis esse vitæ curriculum, qui ad honoris metam citatis passibus contendunt. Et equidem honor ab Oceano summi boni promanans, at malè utentibus in noxia quæque evadit mala, ac sæpe interitum procurat sempiternum. Non diffiteor ingenitum honestis esse animis gloriæ amorem, sed unà non me fugit vatinianis insectari odiis in alto positos, & non rarò præcipites agi lugubrem in ruinam honoris sectatores. Demus honorem mortis esse comitem gloriosum: sed unà non inficias eamus, opprobrium, ac dedecus sæculorum nonnunquam honoratorum fata comitari. Verum consurget alius, & pro gloriæ partibus depugnans, nervis omnibus evincere adnitetur, peranguſti esse animi, abjectíque, honores, ac dignitates in minimis habere; lucémque, ac splendorem eorum ignobilibus nebulis obscurare. Quid? an non honor alterum est patrimonium, tutiórque omnibus fortunæ bonis? An non hæc efficit, ut absentes adsimus, vitáque functi in memoria hominum vitam agamus? An non denique, ut mittantur alia, veluti gradibus quibusdam per honorum successiones in cælos datur ascensus? Magna hæc sanè, sed non magnis Non negârim apud nonnullos demissi esse animi has bullas aspernari, vel exsufflare, sed quibus altior non est animus rebus humanis, ac caducis. Non rejecerim opinionem asserentium, honorem esse alterum patrimonium, sed cui nunquam non inhiant rapaces manus lavernionum, Neque eorum repugnârim sententiæ, qui arbitrantur, præsentes persæpe esse memoriâ honoris absentes, vivereque apud longam posteritatem, sed unâ affirmare ausim, multis satius futurum fuisse penitus abfuisse, quàm hoc pacto adesse, ac honorificentius nunquam vixisse, quam ab obitu vivere ignomiâ notatos. Sint demum honores gradus ad Superos, sed plurimis ad Tartara iter planant tritum, ac expeditum.

SIMI-

SIMILE. Nec quisquam existimet claro rationis lumine illustratus, honoris assecutione nescio quod leni men ægro fortassis animo adferendum. Quemadmodum enim qui cephalæâ, seu capitis, dolore laborant, mali acerbitatem non leniunt, recreántque sertis coronariis, sed magis caput aggravant, asperántque: haud secus honores, ceu flores suum latè dispergentes odorem, haud quicquam honorato capiti malagmatis adferunt, sed animo ejus jugibus curis exulcerato, magis officiunt, quam prosunt. Gerant licèt Principes aureum in vertice diadema, eóque reddantur mundo spectabiles: si tamen animi sensum verbis palam facerent, sine fucis, longísque edicerent, pergrave illis accidere pondus coronæ, mallėntque in aliud caput hoc onus transferre, quàm illud cum tanto cruciatu circumferre. Ità nempe sub hoc gemmeo, aureóque capitis ornamento, dolores, angores, mærores, ærumnæque invisibiles stabulantur, & in Principum animos crudelem exercent dominatum. Unde sapientiæ luce illustres viri longissimè absunt à fame, sitíque gloriæ, & honoris, nulláque dignitatis regiæ cupiditate ducuntur, probè gnari, nihil in iis reperiri, quod veram animo satietatem adferre possit. Ut enim coquinæ nidor ex opiparis licèt eduliis procedens, nullum subministrat famelico nutrimentum, sed vim odoram duntaxat recreat, ac demulcet: haud aliter cum honoris aura evenire usu quotidiano edocemur, quæ animum minimè alit, nutricátque, sed orexim solùm excitat, nullum veræ gloriæ pabulum animo submittens. Possem hanc veritatem plurimis adumbratæ gloriæ imaginibus cõprobare, at nè brevitatis limites transgredi videar, silentii nube vani quoque honoris typo non invitus obtego, ac involvo.

EXEMPLA. Hujus gloriæ inanitatem perspexerunt intimè quamvis in alto honoris fastigio constituti veteres, eámque in minimis posuêre. Testem hujus veritatis appello Themistoclem maximi nominis Principem, omnia humana, ac præsertim regni decus infra se ducentem. Forsan certis rumoribus acceperat, nescio quem ad al-

altiora dignitatum subsellia flagrantibus votis aspirare, rerúmque omnium antiquissimam illi esse gloriam, atque ideo blanditiis, assentationibus, ac profusis largitionibus Optimates, ac imperitam multitudinem sibi devincire. Hæc cùm, inquam, fama, atque auditione sapientissimus Principum Themistocles accepisset, ad præsentem sibi Procerem dixisse fertur: si mihi duas ostenderis vias, quarum una ad sepulchrum, altera ad tribunal duceret: mulò libentius priorem ingrederer. Adeò ingloria erat apud Principem gloriosum gloria, ut prælegerit in conditorio Regum degere, quàm in sublimi honoris fastigio sedere. [a] Ab hujus mente non ablusit Rex Seleucus illud non rarò dictitans: paucis notum est regnum, ac neminem, qui illud noverit, inventum iri, qui diadema humi projectum tolleret. [b] Tanti erat apud hunc Principem regni gloria, ut nè vitiosâ quidem nuce illud censuerit comparandum. Parem de hoc apparente regnantium decore mentem gessit Antigonus. Nam cùm in Regem inauguratus diademate invitus redimeretur; hoc exclamasse perhibetur: ô nobilem magis, quàm felicem pannum! [c] Sentiebat nempe acerbum à fortuna vulnus illud caput accipere, in quod aurea licèt impingeret corona.

TESTIMONIA. Non est proinde in honore regnantis summum bonum. Nam honor etiam amplissimus bonum est alienum. *Non enim tam est honorati, quàm honorantis* teste Principe Philosophorum. [d] *Nec tantum est bonum existimatio hominum: dubia semper est, & in utramque partem dividitur.* Sen. [e] *Quis verò neget, eximiam quoque gloriam sæpius fortunæ, quam virtutis beneficium esse?* Curt. [f] Nam *gloria etiam invitos comitatur.* Sen. (g) *Aliquando ante nos est, visendámque se præbet, aliquando in averso.* Idem (h) *An non igitur gloria vanum est, & volatile quiddam, auráque mobilius?* Idem. (i) Quid quod ex ejusdem Romani Sapientis testimonio, *fallax bonum est* *honor*

[a] *Ælian. lib. 6. var. hist.* (b) *Erasmus in apophth.* (c) *Ælian. lib. 2. var. hist.* [d] *lib. 1. Ethic. c. 5.* (e) *epist. 26.* (f) *lib. 8.* [g] *epist. 79.* [h] *ibid.* [i] *epist. 123.*

honor. Quosdam cùm in summum ambitionis eniterentur, inter prima luctantes ætas reliquit: quosdam cùm in consumatione dignitatis per mille indignitates erepsissent, misera subiit cogitatio, illos laborasse in titulum sepulchri. [k] *At honoribus functus es?* quærit idem. *Nunquid aut tam magnis, aut tam insperatis, aut tam universis, quàm Sejanus? Quo illum die senatus deduxerat, populus in frusta divisit. In quem, quidquid congeri poterat, Dii, hominésque contulerant, in eo nihil superfuit, quod carnifex traheret.* (l) *De trecentis statuis Demetrii Phalarei, nullam corrupit ærugo, aut situs: omnes ipso vivente subversæ sunt.* Plut. [m] Ita *honores, & injuriæ vulgi in promiscuo.* Sen. (n) Unde *quū videris celebre in foro nomen non invideris: ista vitæ dāno parantur.* Idem (o) Et *quidquid aut ambitio jussit, ut opibus extruxit, citò subruitur.* Idem. (p)

EPILOGUS. Et hæc honoris fastigia semper facili ruinæ proxima, nunquam despexit D. Wenceslaus, suam in culmine duntaxat virtutis locans felicitatem. Honor quippe verus est virtutis habitus, in animi penetralibus residens, qui hominem solùm reddit honoratum, omnémque subruendi honoris formidinem longissimè removet, ac propellit. Cætera gloriæ theatra, quæ sibi ambitio exstruit, casui sunt obnoxia, eáque temerario ausu scandentibus vertiginem inducunt. Arduus, ac difficilis est trames, & confragosa in fastigium honoris via. Multis satiùs fuisset non ascendisse, quàm lapsu graviore in æviternum dedecus proruisse. Virtus ad summa per planum procedit, nihílque tam arduum, ac sublime natura constituit; quò non possit virtus eniti. Eò illa est eminentior, quò status ejus inferior, abjectiórque reputatur. Hac abjectione levatur in altum gloriæ, & in veri honoris transit possessionem, quam nullus invidiæ unguis carpere, nullúsque rivalis eripere valebit. Quamobrem in sola virtute rectè gloriemur, quam honor, atque gloria sequitur immortalis.

X 4 *CHRIA*

(k) *de const. sap. c.* 19. (l) *de tranquil. ani. c.* 11. [m] *pracep. gerend. reip.* (n) *de brevit. vit. c.* 19. (o) *ibid. c.* 15. (p) *ibi.*

CHRIA XIII.

Plato juvenem ob lusum alearum acriter reprehendit, *Laertius in Platone.*

EXORDIVM. NUnquam veræ sapientiæ sidera mundo oriuntur, quæ non mortales in sui admirationem rapiant, eorúmque animos splendore eximio perstringant. Nemo non adorat solem orientem, nisi qui lucem fugit. Nullus illustrissimum sapientiæ decus non veneratur, cui horrori sunt tenebræ animi ignorantis Hac olim veneratione solem Philosophorum; maximúmque sapientiæ lumen Platonem, Dionysius tyrannus est prosecutus, cùm posita omni immanitate, singulari humanitatis, ac benevolentiæ studio illum excepit. Ac comprimis quidem vittatam navem è portu Syracusano ei misit obviam; tum ex illa egredientem miro urbanitatis officio coluit, albísque exceptum quadrigis, ipse essedarii vicem obiens, triumphantis more in urbem invexit.] O eximium sane honorem sapientiæ exhibitum! O decus admirabile, soli Platoni attributum, postque homines natos inauditum! Et verò hanc honoris prærogativam è merito ei accidisse nemo diffiteri poterit, qui Aristoteli suffragari velit de Platone affirmanti: *nulla ferent talem sæcla futura virum*, quémque Tullius quasi quendam Deum Philosophorum pronuntiavit. Hujus prodigiosa, ac divina propè monumenta, rerum publicarum incolumitati perquam accommoda, regnorúmque fascibus dirigendis admodùm idonea, nolim hodie fusiore eloquentia pertractare; sed unum duntaxat habitum, nescio quo cum adolescente, negotium paucis declarare.

PARAPHR. Forsan Plato virtutis, ac sapientiæ magiste-

gister juvenem quendam in pejora euntem haud sinè dolore conspexit, ac non tam de re nummaria, quam de bonis moribus aleam jacientem vidit, & ingemuit, atque ideo ad orbitam recti satagebat reducere, nè porrò hæc tenerior ætas iter malorum tereret, ac in barathrum vitiorum præceps iret. Quare è re juvenis futurum censuit, acriori eum sale perfundere, notare illius improbitatem, asperéque non in hominem, sed in vitium invehi, illúdque vehementiùs insectari. Atque, ut ego quidem existimo, his sanè, aut similibus verbis eum orsus est objurgare. Quid agis, quid moliris, bipedum nequissime? An ludis diem, noctémque conteres? Ità neqverò. Liceat mihi, pace tua, divine Plato, acriorem parænesim, quam animo volvis, tantisper interpellare, & illud ex te sciscitari: ecquid succendes floridæ ætati, longioribus fortè, implicatioribúsque studiis delassatæ, si quandoque honestum, ac liberalem ludum eis intermisceat, animúmque hoc pacto levet, reficiat, ac relaxet: Non hanc carpere, & sugillare est mihi animus, reponit sapientissimus virorum; cùm non ea laborem ignorantia, interponenda nonnunquam esse curis literariis gaudia, alternáque Musas amare. Sed hunc vetitum, sanísque cautum legibus jubeor ludum objurgare, jam longo temporis intervallo plus nimio productum. Quis enim ferat, quis patiatur, cui instituendæ juventutis ratio incumbit, ut ea noctes, diésque jactui aleæ vacet, aut nunquam à manibus vetitas dimittat chartas, aut semper moveat fritillum: Si ità se res habeat, non possum non probare sapientissimum animi tui decretum divine Plato, justissimámque objurgationem plenis modiis augeri percuperem; quò non duntaxat adolescentem, quem insectaris, sed & plures alios ab hoc pravo usu ludendi absterreas, & ad frugem meliorem, quod multorum est votum, reducas.

CAUSA. Unde non injuria id factum esse à Platone existimate, gravissimóque rationis pondere inclinatum fuisse scitote velim; cùm hunc sapientissimum virorum non fugerit, quantorum malorum ilias ex immodico, vetitóque lusu, oriatur. Vix quippe, ac nè vix reperire

est

est opus quodpiam, cui pravitas consuevit hominum, ex quo tot tantorúmque succrescat malorum seminarium, ac ex ludo præsertim tesserarum. Quod enim in iis videritis puncta totidem ab iis scelera, unúmque gravius altero procedere conspicietis. Quod nè verbis inanibus à me dici arbitrari valeatis; ponite vobis ante titulos mentis ternos, quaternósve aleones, lucri causâ in alveum lusorium talos jacientes. Cadat primo felici jactu multiplicatus senio: an non alii in præcordiis ira effervescent, atráque bile intumescent? Jaciat alter in abacum lusorium cyclopem, seu monadem; an non infausto omine, atque inauspicato bubone ludum se accessisse proclamabit, suíque impotens continuò stomachabitur? Non cadat aliis è sententia in pyrgum tessera; An non Diis adversis, genióque, sinistro natos se esse ingemiscent, fatúmque malignius non tam incusabunt, quàm in apertam Cælitûm calumniam linguam solvent, ac maledictis eos proscindent, ipsúmque adeò supremum Numen sacrilego ore lacessent infames, perditíque obstrigillatores? Neque hìc eorum sistit improbitas, & vesania, sed ipsi aleones convitiis in se detonant, suámque alternatim concîdunt authoritatem. Quid quod à verbis verberibus se multant, pugnis, & calcibus petunt; scipiones in caput incutiunt; fœdum in modum se cruentant, & nonnunquam è vitæ statione exturbant.

CONTRARIUM. Quæ mala ut declinent alii, quibus salus, famæque integritas est amori; ludum tesserarum, & alios, quos per leges versare non licet, cane pejus, & angue detestantur. Quod si tamen feriis literariis, & cùm Alcedonia sunt in Gymnasiis, ad ludum, remissionémque animi descendendum è licito esse censuerint, honestis vacant lusibus, & ab omni pravitate longè alienis. Et verò quis archididascalus adeò severum induat supercilium; ut omni interdicat ludo florentiori ætati, suapte natura perquàm proclivi ad tempus otio, ludisque fallendum? Ecquis Gymnasiarcha tam severis legibus adstringat juventutem; qui vetet sphœris ligneis interdum evertat conos, aut in sphœristerio expulsim, & datatim pilari lusu se exer-

exerceat, aut verbere impellat turbinem; vel abstragalis, talísque puerilibus se distrahat, vel alio quocunque, demum licito genere ludorum laxet animum, releveтque. At verò ut spe lucri allectus juvenis, non tam à fortunis suis devolvatur, nec tam sua, quàm se perdat: id enim verò nemo præferendum esse censuerit; qui moderandæ juventuti, probísque moribus instituendæ est præfectus. Ex ludo quippe nonnunquam in plures horas protracto fit rei pecuniariæ irreparabilis jactura; temporis pretiosi usura in ventos abit, fama, æstimatióque fædum in modum denigratur, omnis virtus cogitur solúm vertere, ipsáque adeò anima, gazis omnibus jure maximo præferenda, miserandè deperditur, æternáque sibi apud inferos supplicia in lucrum refert. Hìc enim, sicubi aliàs, inter accessiones plurimum sibi adnumerat stygius Alastor.

SIMILE. Quemadmodum enim summus ille rerum omnium Monarcha, & Mundi totius opifex DEUS invenit literas componendo sacro codici deservituras, quibus rerum divinarum monumenta, & arcana sanctæ Religionis cōprehenduntur. Ità humani generis capitalis adversarius cacodæmon, noxium commentus est volumen, aut satius Album pravorum sodalium è tesseris eburneis constans, in quo literarum vicem plurima nigra subeunt puncta; quæ ubi sæpius manibus volvuntur, in gravia quæque scelera aleones involvunt. Ab his quippe simultates, & jurgia oriuntur: furta, & rapinæ invalescunt, execrationes, subsannationes, aliáque linguæ procacitas enascitur, perperam juratur, fides frangitur, impudentissimè mendacia evomuntur, innumeráque succrescunt vitiorum lolia, & persæpe in desperationis barathrum præceps fit descensus. At oggeret fortasse nonnemo de infami censu aleonum: ludus in rem meam est, quæstúmque ex eo facio non pœnitendum? Sed sciat ejusmodi velim, tam raros esse corvos candidioribus plumis in vestitos, quàm rari sunt aleones, qui per ludum vel minimam rebus suis faciant accessionem. Quin imò non tot Apulia muscas alit, quod reperire est taxillis de-

deditos omnibus fortunis vacuos, summáque cum egestate conflictari. Ità nimirum ad summam perveniunt lineam, qui in punctis tesserarum suam locant spem, suàmque ponunt felicitatem.

EXEMPLA. Quam obrem apud gentes boni publici satagentes, gravissimis legibus cautum fuerat, nè quisquam ludis infamibus, adeóque noxiis operam daret; nî sævissimas dare pœnas non perhorresceret. Testes hujus veritatis habeo Agarenos, licèt Mahometis superstitiosis ritibus dicatos; qui aleones, & alios ejusmodi vetitis lusibus deditos, primùm infamia notarunt, tum pœnas ab iis gravissimas sumpserunt, mortísque supplicio affecerunt. [a] Ante hos multo temporum, ac sæculorum intervallo Philosophorum Princeps Aristoteles, ludum tesserarum, atque chartarum deformem, atque inhonestum censuit, & quæstum inde comparatum homine indignum affirmavit, pœnáque mulctandos decrevit inhibitis lusibus plùs æquo immersos. (b) Nec impuniti abeunt aleones, ut luculento docent exemplo rerum gestarum scriptores. Forsan aliquando terni adolescentes non tam genere insignes, quàm vitiis nobiles, ludo tesserarum noctes diésque comburebant. Et en tibi, dum desultoria levitate nescio quæ scelera, flagitiáque taxillis admiscent, permissu altiori se coràm sistit terribili forma aspectabilis genius infernalis, eísque summam incutit formidinem, ac horrorem. Nec umbra satis habuit timore percellere aleones; sed adeò illos exsternavit, ut uni eorum tota defluxerit cæsaries, alter miserandam oppetierit mortem, tertius denique metu impellente, se exedito conclavi præcipitem egerit, elisáque cervice infausto exitu vitam terminarit. (c) Aliud lugubre in rem nostram exemplum recenset Merula de Cæsar. Claudius Luganus, sextus supra tricesimum Romanorum Imperator, unicū duntaxat habebat filium, sed qui plures exæquavit cùm eximiis ingenii dotibus, tum forma perquàm scita, ac liberali. Quis non in spes maximas crescere nobilem adeò surculum opinatus fuisset? Et verò altis-

[a] *Dion. Cass.* [b] *lib. 4. Ethic. cap. 1.* [c] *Osorius lib. 6.*

altissimum Imperii fastigium conscendisset à Patris obitu, nî in vetitos se se ludos totum abjecisset. Noctes, diésque cum auliciis thrasonibus tesserario lusu conterebat. Cùm autem res numaria eum deficeret; furto nonnulla subducere è Patris gazophylacio decrevit. Inter alia clàm è medio removet torquem aureum, summíque pretii monile æri lusorio deserviturum. Conscius hujus furti erat moderator adolescentis, non tamen castigator. Sic quandoque connivent ad scelera humanis ducti obtentibus præceptores. Hæc cùm ad aures Claudii pervenissent, gravioribus pœnis in eos animadvertit. Nam filium exhæredem scripsit; Magistrum securi percuti jussit, & universos nati collusores exilio mulctavit. Ità nempe plurimorum est origo malorum ludus tesserarum.

TESTIMONIA. Atque ideo quid est cur miremur à D. Cypriano vocari *aleam mali alveum*. (d) à D. Bernardino *multarum stultitiarum ludibrium singulare, fomitem iniquitatis, & cupiditatis, cunctorúmque vitiorum seminarium.* (e) Pluribus verò alibi taxillos confodit inquiens: *ludus est domestica prædatio, usuraria labes, mendaciorum, atque nugarum sedula mater, fons divinæ negationis crudelis blasphemiæ pater, corruptio populorum scandalum proximorum, pervicáxque in obedientiæ filius, amissio temporis, discordiarum, & homicidiorum multorum origo, immane desperationis barathrum, iners segnities, otii nutrimentum, titulus diffamationis.* Hæc ille (f) Ab hujus, aliorúmque mente non dissentit Petrarcha ità aleones percontans: *quis quaso ingenuus, seu quis homo, & non potiùs trux bellua, delectari queat ludi nomine abundante nequitia, atq; impietate fædissima? Ubi præter hominum vultus nihil humani fit vultusq; ipsi iracũdiã, atque mærore obsiti, confusisque clamoribus esserati, nec jam sint humani? Ubi non decor morum, modestia sit verborum, nec amor erga homines, neo erga DEUM reverentia, sed gurgia, & rancores, & doli, & perjuria, & rapinæ,* vul-

[d] *Di aleat* [e) *tom. 4. p. 1. surm. 37.* (f] *tom. 2. ser. 16. a. 3. c. 2.*

vulnera ad extremum , & homicidia. Taxillorum eventus nullus prosper , mali omnes, & miseri : nam & qui perdit, affligitur, & qui vincit; illicitur, inque insidias protrahitur. (g] His subscribit D. Antonius inquiens : *non est quasi aliquod vitium, quod reddat homines ità infames, & abominabiles , sicut ludus. Nullus confidit de lusore, nec vult eum in socium alicujus artis, quia semper timet, nè furetur.* (h]

EPILOGUS. Etiamnum erunt, qui mensam exponant fortunæ, sive per tesseras, sive per chartas, unáque se extradant tot malis hactenus enumeratis ? Eruntne qui manus crudeles, & ad discrimen suũ armatas in lusum exporrigant; quibus hæreditaria bona, ac opes avorum sudore decumano collectas, non sinè rei familiaris jactura; & ignominiæ probro dilapident ? Non equidem existimo, quemquam fore adeò temerarium; qui noxios, infamésque hosce ludos animo, manibúsque deinceps amplectatur, in sui , rerúmque suarum dispendium, ac dehonestamentum. Nè tamen omnem omninò ludum vetare videamur florentiori præsertim ætati, animi levamen identidem flagitanti, lubentes, volentésque eum concedimus , at qui virtutem Eutrapellæ in se comprehendat, rationísque limites non excedat. Animum studiorum perpetuitate fatigatum ludendo restaurare, nemo est qui inhibeat; si præsertim brevi fiat tempore, modestiæ legibus sit conformis, & ab omni culpa , & vitio longissimè sit remotus. Liceat hìc ad extremum verbis Tullii in rem nostram accommodis progymnasma hoc consignare , quæ ità habent: *pueris non omnem licentiam ludendi damus, sed eam, quæ ab honestis actionibus non sit aliena.*

CHRIA

* * * * *
* * * *
* * *
* *
*

(g) *de remed. Fort. dialog. 27.* (g) *part. 2. cap. 27. lib. 6.*

CHRIA XIV.

Phocion Dux Atheniensium centum auri talenta ab Alexandro M. sibi transmissa repudiavit.

Sabell. lib 8. c. 5.

EXORDIUM. Liceat mihi hodie pace vestra AA. humanæ sapientiæ emporium Athenas, sedem, ac domicilium Musarum, omniúmque disciplinarum arcem tantisper invisere, in eâque urbe animo commorari, de cujus nomine in posteras ætates duraturo, ipsa contentionem suscepit Pallas cum Neptuno. Accipite commentum ab ingenio Græciæ, ipsa obstetricante sapientiâ, in lucem publicam effusum. Postquàm Deus maris cum dea omnium bonarum artium prælium verborum invisisset? uter nomen Athenis daret, nec controversia altercatione mutuâ finem sortiri posset, à sapiente deorum senatu decretoria emanavit sententia; ei hæc prærogativa tribuatur, qui opus producturus esset melius, magísque accommodum generi humano. Accingit se igitur continuò operi Minerva: accingitur & Neptunus. Hic equum, illa oleam producit. Placuit deorum coronæ stare secundùm Palladem eíque copiam facere nominis indendi celeberrimæ urbi. Et verò hæc à nomine suo [quod græcis nomenclatoribus ἀθηνα vocatur] urbem Athenas voluit compellare. Nec solùm nomine suo dotavit; sed & genetricem omnium artium, & scientiarum, effecit, quæ eos in lucem eduxit viros; quorum sapientia orbe toto hodiedum celebratur. Hos inter non postremas tulit partes Phocion Dux Atheniensium, eloquentiæ famâ inclytus, sempérque, ut chronici libri græcorum memorant, oratione pressus, & acutus. Quod si verò alia ejus encomia strictim accipere lubet: quadragies quinquies cum imperio præfuit, eáque prudentiæ laude fasces reipublicæ gessit, ut humanum, & clementem omnis natio suspexerit

nor-

normámque ejus gubernii nemo non suspexerit, & approbarit. At singulare præconium retulit à frugalitate, contemptúque opum admirabili, ut paucis in præsentiarum sum edocturus.

PARAPHRASIS. Forsan Alexander ille Macedo, amicitiæ ergô Phocioni dono misit ex Asia centum auri talenta. O munificentiam tanto animo commensuratam? Hanc ingentem auri vim dum sui Principis nomine ablegati deferrent Atheniensium Duci tali nil præstolanti, nec optanti: primùm ille admiratione teneri, tum ex ministris quærere, eccur adeò beneficas in se manus protenderet Alexander? Illi quæstioni huic satisfacturi, reposuerunt: quia te virum existimat perquàm bonum, honestique amantem. Sin ità habet, inquit Phocion sinat, me talis habear, sim. Atque ità Macedonis dona intra modestiæ terminos repudiat. Sed nuntii auro graves, officii ritè persolvendi memores, visâ ejus frugalitate, & re angustâ domi, magìs magísque insistere, munus nè aspernetur, dicereque propè stomachabundi, minimè tanti Regis amico convenire, ut cum egestate confli-ctetur. Aderat tum fortè fortunâ senex capularis inopia pressus; ut ex obsoleta penula affatim patebat. Hoc viso Phocion, in rem suam idoneè ablegatos Alexandri rogare: num eo se deteriorem arbitrarentur? Bona verba, inquiunt, illi Atqui hic infit Phocion, ex re minore vivit, suáque sorte agit contentus? Tum subjungit: brevì, aut si minùs utar pecunia hac, nequicquam tantum auri possidebo: aut si utar, me ipsum juxta, atque illum in contumeliam ad populum conjiciam. Quo accepto nuntii actum agere se videntes, littoríque verba facere, onusti auri pondere, in Asiam pedem retulerunt; visa, auditaque Principi suo maximo relaturi. An non hic orbi testatum reliquit Phocion, locupletiorem dante esse non indigentem?

CAUSA. Verùm ecquid causæ erat, quod amplas hasce facultates, opésque bono publico forsan servituras, obfirmata adeò mente repudiarit; quas aurum immodicè sitiens animo perquàm grato suscepisset, manúque utra-

utraque avidissimè prehendisset ? Noverit enim verò sapientissimus virorum, aggestas opes speciosa esse supplicia; quæ possessorem immaniter cruciant, dirísque afficiunt tormentis. Nam opulentum jugis formido incessit, nè dum se potentiorem conspicit, experiatur raptorem: aut dum fortunis inferiorem videt, sentiat depeculatorem. Atque adeò tanta interdum perpeti cogitur locuples, quanta se passurum die, noctéque pertimescit. Quid quod ultrò, citròque quasi quibusdam fluctibus volvitur, & jam in adversis sperat prospera, jam in prosperis metuit adversa: jam non habita concupiscit, ut habeat: jam de habitis cura æstuat: ne minùs autumans, omnia, vel maximam partem deperdat. Præterea, an non ejusmodi Euclio nes opibus duntaxat inhiantes, tenaces sunt in proprio, Effusissimi in alieno? An non gulam evacuant, ut arcam impleant? An non corpus macie extenuant: ut dextram in quæstum extendant, sempérque sunt parati ad colligendum, nunquam prompti ad largiendum? Quid quod immodica divitiarum fames, vicinis facultatibus struit insidias, nectit fallacias, infert violentias, & ut missa faciamus alia, leges divinas juxtà, ac humanas cupiditati suæ nunquam non postponit. Et his tot, tantísque perversitatibus sapientia Phocionis se involvat? Averruncent hoc superi. Abeat in malam crucem philargiria; seu opum immoderata cupido, quæ ex sapientûm mente auriga est malitiæ, nocendi magistra; virtutum pestis, patriæ proditio, seditionum origo, omniúmque caput, & fons malorum. Ità secum, ut non vanè auguror Phocion, ità omnes, qui fortunas suas, opésque in stabili locant virtute.

CONTRAR. Ut verò ex opposito auri contemptores, eorúmque felicitatem aliquatenùs adumbremus, scitote velim AA. nil opulentius spontaneâ rerum inopiâ reperiri. Hæc enimverò magistra est scientiarum, manuductrix in via ad felicem patriam, portus tranquillitate gaudens, vitiorum exinanitio, virtutum aggregatio, omniúmque bonorum proma conda. Ita nempe, quibus bene cum ultronea egestate convenit, non duntaxat in

syllabum veniunt opulentorum, sed & in sinu felicitatis conquiescunt. Nec ullibi virtus perlubentius hospitatur, quàm apud eos, qui cupiditatibus opum, ut par est, noverint moderari. Et verò quem videbitis fortunis licet tenuioribus affatim contentum, aliena clam de medio tollere, rapinas exercere, aut opima spolia aggregare? Quis eorum arma movebit, collatis signis depugnabit, ac pro rebus suis acriùs decertabit, qui eis viduari in deliciis habet? Quis iniquæ negotiationi se extradet? quis rei fœnebri studebit? quis opes corrogabit, ac facultates suas augere studebit, qui sua virtute satìs, supérque est sibi opulentus? Quis demum veteratorias artes exercebit, pacta infringet, jusjurandum revellet, testes corrumpet, judiciorúmque ordinem pervertet, qui nullo auri tangitur amore? Neminem sanè existimarim.

SIMILE. Novit enimverò sapiens, virtutísque studiosus, qui parvi, aut nihili rem nummariam ducit, difficilem esse accessum ad rubos, & senticeta, longéque difficilius, plenúmque discrimine iter esse per divitias ad metam probitatis, & vix quemquam citra animæ periculum cum iis posse versari. Et nè à rubeto longiùs abeamus, spinæ aculeis suis obarmatæ, cùm manibus, aliisque artubus configuntur dolore immani afficiunt, comprimis verò dum altiùs membris insident aut violentâ egent revulsione. Quid aliud cum opibus evenire videmus, quæ tum acquisitæ, tum possessæ, maximè verò amissæ dirissimum adferunt cruciatum. Vepres, & dumi perquam sævam exercent tyrannidem partibus in extremis: divitiæ in ultima possessione, seu in confinio vitæ, ac mortis acerbissimè fodicant, & velut infestissimis mucronibus animam petunt, compungúntque. Demum si laxa apertáque manu teneantur, minimè sunt noxiæ, at si contractis manibus, & in pugnum coactis versentur, vim suam exerunt, & crudelitatem. Pari ratione si divitiæ explicatâ manu in egenos effundantur, utique nullum adferunt nocumentum, at verò parciùs ùt par est, detentæ compresśisque manibus possessæ, ingentem sufficiunt materiam doloris. Dicite jam AA. ecquis ultroneè, nisi

men-

mente sit captus, in hoc vepretum se conjiciat, & miseram, doloribúsque refertam degere ætatem velit? Et tamen innumeri propè mortalium in senticeto divitiarum jugem sibi calamitatem, maláque malorum maxima accersunt.

EXEMPLA. Atque indè nulla me tenet admiratio, Principem quendam sibi persuasisse, tantum mali in se continere auri cupiditatem, ut cùm improbos quosdam è subditis, molestiâ in pœnam delicti afficere vellet, amplas, & copiosas opes in eos effuderit, existimans cum divitiis pergravem curarum sarcinam se illis impositurum. Hanc ut à lacertis suis averteret Lucius Paulus Æmilius, auri fulgorem longissimè ab oculis suis jussit arceri. Nam cùm devicto hoste, vim ingentem obrizi ex direptis gazophylacii thesauris, coràm statuissent manus militares, nè oculis quidem illam delibare voluit, non ignarus, facilè ab obtutu cor ei adjici, & in vetita quæque rapi hominem opum irritamento. (a) Eam ob rem Magnus ille Sfortia divitias semper in minimis habuit, & ità quidem, ut à signatæ pecuniæ notis lumina semper declinaret, eósque vituperio insectaretur, qui diro ejus conspectu, & venenatâ libidine gauderent. (b) Et verò nil dedecorosum magis est Principi, quàm charybdim esse opum, aurique fame laborare. Hanc ignominiæ notam nè sibi inureret Maximilianus Imperator, delatam ad se non rarò magnam pecuniæ sartaginem Præfectis ærarii continuò extradi jussit, sæpe sæpius illud edicens: se regendis hominibus constitutum, non auri custodiam sibi demandatam. Quo si quis semel capiatur, mox è Rege servum futurum. (c) Hanc servitutem malo suo expertus est Caliphas Rex Babylonis, qui turrim auro, argentóque refertam unicè in amoribus habebat. Forsan hoc auri mancipium strictâ obsidione premebatur; & quamvis aperto regni sui gazophylacio, militares copias facili negotio in sui defensionem evocare potuisset: prælegit tamen sui interitum, quàm ut opes in ergastulo gementes emitteret in Babylonis tutelam.

 Unde

(a) *Sabel. lib. 8.* (b) *Jovius in ejus vita.* (c) *Cuspinian.*

Unde ab hostili manu interceptus, eidémque turri inclusus, fame est enectus cum hac objurgatione: nunc, & famem depelle thesauris tuis, quas tam avidè sitisti. (d) Par fatum subiit Cyrus Rex Persarum, cui Tomyris Scytharum Regina bellum indixit, collatísque in prælio signis, non tam gloriosè devicit, quàm captivum à suis immaniter trucidari jussit. Cum verò sitientissimum fuisse auri Principem non ignoraret, aurum ignibus liquatum in os cæsi copiosè infundi præcepit cum dicto: aurum sitisti, aurum bibe. (e) Hic est fatalis exitus Principum, qui inexplebili auri cupiditate laborant. Et tamen quot etiamnum hodie inhiante semper avaritiâ opes aggregant, eámque capiunt ex iis voluptatem, ut cum opprobrio Imperantûm Caligula suis in thesauris si non corpore, animo certè diu, noctúque se volutent.

TESTIMON. At sciant velim hi citra commentum amentes divitiarum Tantali, *beatum non eum esse, ad quem pecunia magna confluxit sed illum cui omne bonum in animo est, erectum & excelsum, & mirabilia calcantem.* Sen. (f) *Abstrahunt* enim *à recto divitiæ & cætera, quæ opinione nostrâ cara sunt, pretio suo vilia.* Idem [g] *Nihil* sanè *habent magnificum quo mentes nostras in se trahant, præter hoc, quod mirari illa consuevimus.* Idē [h] *Equidem sunt in bonore divitiæ, sed tantùm fortunæ bonum sunt. Qualia ista bona sunt, quæ qui hab t, miserrimus esse possit?* Cic. (i) *Et quæ sunt divitiæ, quas non egestas, & fames, & mendicitas à tergo sequantur?* Sen. [k] Ad hæc *nunquam exp'etur, nec satiatur cupiditatis sitis: neque ea solùm, quæ habent, libidine augendi cruciantur, sed etiam amittendi metu.* Cic. (l) *Nemo* enim *est cui felicitas sua, etiamsi casu venit, satisfaciat.* Sen. [m] Prô pudor!

Copia nulla famem relevat. Ovid. (n)

Neminem, inquam, *pecunia divitem fecit: imò contra nulli non majorem sui cupiditatem incussit*: Sen. (o) Id Solon, olim

[d] *Sabinus lib.* 7. (e) *Herodot. lib.* 2. (f) *epist.* 45. (g) *epist.* 81. [h] *ibid.* (i) *lib.* 5. *tuscul. q.* (k) *de tranquil. ani. c.* 11. [l] *in Paradox.* (m) *epist.* 115. (n) *lib.* 11. *Met.* [o] *epist.* 119.

olim questus est, cùm dixit: *divitiarum homini non ullus finis est datus.* Plutar. (p) *Quid refert* igitur *quantum illi in arca, quantum in horreis jaceat, si alieno imminet, si non acquisita, sed acquirenda computet?* Sed (q) imò *deprehendes, divites à mendicis nihil differre, imò meliores esse: illi enim exigui, hi multo egent.* Idem (r) Quis verò illud ignorat:

Opes irritamenta malorum Ovid. (s)

Oneri quoque sunt. *Uti enim vestes oblongæ corpus, ità divitiæ immodicæ animam impediunt.* Democr. [t] *Ecce magno animo Demetrius divitias projecit, onus illas bonæ mentis existimans.* Sen. (u) *Nam lapides, aurum, argentum terrena sunt pondera, quæ non potest amare sincerus animus.* Idem (x) *Pone me igitur in opulentissima domo, pone ubi aurum, argentúmque in promiscuo usu sit: non suspiciam me ob ista, quæ etiam apud me, tamen extra me sunt.* Idem (y) Illud intolerabile malum: *neque in civitate, neque in domo divite virtutem habitare posse.* Diogen (z) Certum enim est: *si quis dives, is aliquo laborat affectu.* Sotad. apud Stob. [aa]

EPILOGUS. His pravis affectibus nè liberam animæ facultatem involveret Phocion, non possessioni studuit augendæ, sed cupiditati minuendæ. Reliquit auri cupidinem, ut dulcem inveniret requiem, abjecit grave pondus metalli, ut onere curarum solutus ageret: dimisit opes ut se inveniret, omnibúsque carere voluit, quæ cruciant possessa. Nec fugit hunc virorum sapientissimum, divitias magis esse vitii ministras, quàm virtutis, longissiméque abesse opulentos ab æquitatis, honestíque ratione. Equidem cæcus sit oportet causarum arbiter, mentis tamen lumine non agat expers, quod fulgidæ auri laminæ plerúmque excæcant. Pecunia, & opes nunquam non scelera ad possessoris ædes invitant, aut saltem virtutum decora non admittunt. An non enim opulentia arrogantiæ locum favet? An non litium, ac discordiarum est nu-

[p] *de cupid. divid.* [q] *epist.* 2. (r) *de const. sap. c.* 15. (s) *lib.* 1. *Met.* [t] *apud Stob. serm.* 91. (u) *de Provid. c.* 6 (x) *consol. ad Helv. c.* 11. [y] *de vit. beat. c.* 25. (z) *apud Stob. ser.* 91. (aa) *ser.* 96.

nutrix, mater ærumnarum, ac laborum, jugę discrimen possidentium, omnísque malitiæ palæstra? Quapropter divitias, quæ vomitus sunt fortunæ sapientibus, nemo canis more sorbeat, nec vera esse bona existimet, quæ hæc commentitia dea egerit, sed virtutes divitias esse reputet, quas animus possidet, lætus semper agens præsentibus, securúsque futuris. Hæc enim verò lavernionum ungues non pertimescunt, nec tineam, aut æruginem reformidant. Quod si tamen præsens rerum status efflagitet, résque domi angusta peculium exposcat, sic illud possideas velim, nè ab illo possidearis: sic tene, nè vitiosè tenearis. Cæterum divitem illum existima, cui cælo, terráque frui non est interdictū. Sit demum nummus instrumentum necessitatis, non additamentum cupiditatis. Utere, non abutere.

CHRIA XV.

Alcibiades ex doctrina Socratis, in sui cognitionem devenit.

Ælianus lib. 1.

EXORDIUM. ALcibiadem eloquentissimum Athenarum Ducem, invictúmque armis Principem, nec silentio hodie præterire velim, nec idoneâ panegyri integrum mihi est per imbecilles facundiæ vires celebrare, celsa ejus virtus transcendit facultatem dicendi, bellorúmque magnitudo, quæ gessit, Pumilum Oratorē in demissi animi officio jubent commorari. Quis enim fando explicet tot laureas, quas in campo martio demessuit, tot trophæa, quæ ex manubiis hostium erexit, tantámque multitudinem triumphorum, quos retulit de fusis, fugatísque hostibus, non sinè fama nominis sui immortali? Hic enim verò Numidas, & Lacones artibus bellicis implicuit; & devicit, Syracusanos fumosâ nube excitatâ debellavit; Agrigentum, aliásque urbes non vulgares suæ fecit potestatis. Quis, inquam, hæc, & complura alia Du-

cis hujus facinora, quæ non sine laude veterum referunt annales, altâ dicendi majestate, Tulliique, aut Nestoris eloquio valeat explanare? Quare, cùm hæc verborum, sententiarúmque nitore, claráque elogii luce illustrare nequeo, solam ejus virtutem, quâ in cognitionem sui descendit, paucis lubet commemorare.

PARAPHR. Forsan Alcibiadem fortuna reddidit plùs æquo insolentiorem, rebúsque secundis altiùs se se efferentem, cùm speciosos agrorum limites maximámque bonorum myrmecinam, & opum suorum copiam non rarò intueretur. Id cum non fugeret Socratem, morum Athenis, ac præcipuè Alcibiadis magistrum, ad officium demissioris animi revocaturus docilem, promptíque ingenii discipulum, hoc pacto illius elationem animi depressit. Adduxit tumidum facultatibus suis Principem ad tabulam Geographicam, ambitum terræ complectentem. Quàm cùm Alcibiades cursoriis oculis percurrit, rogat Philosophus, Atticæ regionem inquirat. Hanc cùm haud ignarus rerum digito protenso Alcibiades indicaret; petit Socrates, latè patentem agrorum planitiem, suásque ditiones, quarum possessione fastu turgebat, indice monstraret. Sed cùm Princeps neutiquam tabulæ insertas ediceret, gnavi in eum Philosophus oratione invehitur, altúmq; increpat spiritum, ob nullam fere, exilémve terræ partem cristas attollentem. Indè edocet nihil inter herum & famulum spectata conditione humana interesse, opúmque inanitatem multo sermone ostendit. Hæc ubi attonito similis excipit Alcibiades; in se ipsum primum descendere, séque, ut par est, perrôsse, tum in uberes effundi lacrymas, demum virtutis studium decernere, animúmque ponere tumescentem. Tantum nempe juvat cognitio sui ad virtutum prosecutionem.

CAUSA. Et verò omnium disciplinarum est pulcherrima, maximáque. Multæ equidem sunt scientiæ, quibus eruditorum natio gloriatur; sed omnes longo post se relinquit intervallo ea, qua homo sui ipsius notionem indipiscitur. Hæc enim verò mentem, de qua, ceu fonte, omnis emanat rerum intelligentia, puriorem reddit, hæc

affectiones animi moderatur, actiones ad normam rationis dirigit, mores ad decempedam honestatis metitur, vitæ institutum ad exemplar probitatis componit, & divinarum juxtà, ac humanarum rerum scientiam procurat. Atque ità efficit, ut hac sapientiæ luce illustratus mortalis, clarâ in luce videat, ecquid sit ipsius, quid intrà, quid extrà, quid infrà, quid suprà, quid jam, quídve postea sit futurus. Noverit licèt quispiam magnalia omnia vires naturæ excedentia: nihil eum fugiat, quod terræ ambitu continetur: percurrat mentis, corporísque oculo alta cælorum: immergat se cogitatione in imum Oceani, ac totius universi scientia præstet: si notione sui expers fuerit, erit architectus sinè fundamento structuram faciens, nunquam non fatali proximam ruinæ, Quamcunque enim homo extra se molitur fabricam, congestus duntaxat est pulvis, ventorum semper furiis obnoxius, adversæque tempestati. Nemo itaque in censum venire potest sapientûm, qui sibi non est sapiens, quíque de fonte putei sui primus non bibit.

CONTRARIUM. Verùm ô vilis humanæ conditionis indignitas! O indigna vilitatis humanæ conditio! quæ per alia duntaxat vagatur, nunquam sua, at semper aliena. Ecquid juverit Theosophiæ scientiam plenis buccis crepare, & sui ignorantiâ laborare? Quid emolumenti feret utriusque juris cognitione clarus, quamquam omnes nodos, legúmque ænigmata scitè calleat resolvere si iniquus rerum suarum sit æstimator? Quid utilitatis habebit archiater, medendíque peritissimus; licèt omnia valetudinis præsidia ægrotis admoveat, si curationem sui non recipiat, morborúmque animi, quibus tenetur, nesciat panaceam? Ecquis in facultatis Philosophicæ syllabum eum referat, qui vel plenâ rerum naturalium excellit cognitione, vel omnia argumentationum tela in adversarium novit intorquere, si nequeat se ipsum argumentorum pondere ad virtutis studium inclinare? Ecquid juverit sapientem cum Archimede siderum cursum altissimâ contemplatione indagare, & neutiquam ima animi sui investigare? Quis dicendi gloriâ

præ

præstantem arbitretur, quamvis Tullii abundet opulentia, Cæsaris in dicendo ardeat calore, Cælii mitescat lenitate, Pyrrhi feratur impetu, Catonis differat gravitate, Hortensii floreat distributione, si nequeat sibi ipsi salutaria persuadere? Quis demum Poëtices doctum existimarit, & si calleat apprimè omnes Poëtæ Sulmonensis metamorphoses, si de nulla sui in meliorem frugem immutatione curam adhibeat? Ità nempe omnis inanitati subjecta est scientia, bonarúmque artium studia in noxam abeunt; quæ à cognitione sui ipsius longiùs discedunt.

SIMILE. Quamobrem patrem familias æmulentur oportet scientiarum gnavi sectatores. Quemadmodum enim solers rei domesticæ curator assiduè indagat sua, non pensi habens, quid contiguus ædi suæ herus moliatur: haud secùs homo rationis particeps si quidquam sapit, animi sui domicilium, ejúsque ordinem gnaviter accurat. Et velut nemo non illum patrem familias reprehensione dignum existimat; qui rei suæ memoriam abjiciens, unicè indagat quid in vicinis ædibus actitetur: ità sanè merita objurgatione etiam sapientiæ studiis dediti sunt impetendi, qui diu, noctúque in subtilissimarum rerum cognitionem immersi, nullam sui habent rationem, nullúmque de semetipsis volvunt cogitatum. Non abs re foret, si sphœram, aut circuculum omnibus numeris absolutum jugiter sibi ob oculos ponerent, sempérque in principio, & fine sui versarent. Atque ità evenîret, ut non duntaxat se, sed & primum sui principium, finémque ultimum assequi valerent. Accipite hoc assertum in simili haud incongruo. Ut enim oculi in furvum, piceúmque colorem defixi, vigorem ab atro colore, teste experientia, capiunt, quò lucis splendorem, ac corpora lumine circumfusa citra læsionem intueri valeant, pari ratione mentis oculi in atrum propriæ imbecillitatis sunt persæpe dimittendi, ut hoc pacto roborati ad Solem Justitiæ, cælestiúmque lucem possint converti. Et velut oculus corporeus, quantumvis nullo malo sit vitiatus, nequicquam potest cernere, nî candore lucis adjuvetur: haud

absimiliter homo, quibuscunque demum clareat scientiarum, artiúmque luminibus, rectam vitæ instituendæ normam minimè pervidet, nisi altiori luce fuerit collustratus. Et hoc lumine aspergit hominem lumen æviternum, si in profundam sui cognitionem oculos sæpe sæpius non immergat, & in nihili sui abyssum crebriùs descendat.

EXEMPLA. Possem hanc veritatem plurimis in Divorum immortalium cætum relatis comprobare; sed hos ad forum aliud remittens, unum, alterúmque ex monumentis veterum exemplar sufficerit delibare. Et primus quidem se se offert Philippus Macedonum Rex, sui cognitione inter magnos orbis Principes maximi ducendus. Devicerat hic Marte secundo ad Chæroneam Athenjensium populos, eámque ob rem altos spiritus aliquanto temporis spatio gerebat. Sed cùm fortunæ vicissitudinem sana mente nonnunquam secum pensitaret, minimè sibi, aliísque terræ moderatoribus factum convenire censens, elatum plùs æquo animum hoc pacto demisit. Præcepit cuidam suorum familiarum, dum se manè somnus relinqueret, his verbis affaretur: surge Rex, & hominem te esse cogita. [a] Huic te in regno, ità in sui cognitione successit filius Alexander. Laboravit hic orbis domitor gravi, ac diutinâ ægritudine, propè ad vitæ, mortísque confinia deductus. At cùm peritiâ, & dexteritate archiatri pristinæ valetudini redditus fuisset, in hæc verba erupisse fertur; admonuit nos ægritudo, nè utpote mortales altùm saperemus. (b) Atque ità hac sana cognitione sui præditus, non se porrò Jovis filium jactitabat, at subjectum imbecillitati humanæ mortalem crebriùs agnoscebat. Hanc quoque sui notionem serius licèt accepit magni nominis Pausanias. Aderat geniali cujusdam Optimatis symposio hic tumidus thraso; quo pariter exceptus fuit Simonides, vir sapientiæ non vulgaris. Rogatus fuit hic Philosophus à convivatore; aliquid è penu sapientiæ suæ depromeret, quod salares epulas condiret, animósque præsentium recrearet. Hic non

(a) Stob. serm. 21. ex Æliano. (b) Idem ibid.

non moratus Simonides, præter alia sapientiæ lemmata,quæ inter calices effudit, ad Pausaniam conversus, dixisse fertur: memento te hominem esse. Non pensi habuit hanc parænesim arrogantiæ vento inflatus Pausanias, seu jam vino à rectæ rationis sede depulsus: seu nimio fastu præoccupatus ob familiarem usum, qui ei cum Rege intercedat. Sed brevi salubre effatum Simonidis, altius pectori fastoso insidebit Evenit, ut non multò post fortuna iniquiore usus, ab hostibus interceptus fuerit, & in vincula conjectus diro carceri manciparetur. In hoc ergastulo cum fame luctatus ad sanam mentem rediit, altósque spiritus posuit, jam dimissior sui cognitione. Dum verò jam calamitosissimam omnium mortem ante oculos cerneret,recurrit ei in mentem Simonidis dictum, magnáque voce exclamavit; O Cee hospes [erat quippe origine Ceus) Magnum quiddam in tuo sermone inerat. Ego verò inani persuasione sum inductus, ut eum nullius momenti putarem. [c] Sic nonnulli seriùs cum Phrygibus sapiunt, tandémque cognitionem sui acquirunt.

TESTIMONIA. Atque ideo non inficetè dixit Romanus sapiens: *hoc nos pessimos facit, quod nemo vitam suam respicit. Deprehendas te oportet, antequam emendes.* [d] Aliàs verò ita de cognitione sui exclamat: *ô egregiam artem? Scis rotunda metiri, in quadratum redigis quamcunque formam acceperis:intervalla siderum discis:nihil est, quod in mentem tuam non cadat. Si artifex es, metire hominis animum, dic quàm magnus sit, quàm pusillus. Scis quæ sit recta linea Quid tibi prodest, si quid in vita rectum sit ignoras.* [e] Hæc ille. Verùm quid alii sapientiæ luce clari veteres de re præsenti pronuntiarunt? Multa sanè, nos pauca damus. Præeat agmen sapientûm divinus Plato; qui ignorantiam sui vocat *genus improbitatis universæ. Nôsse autem seipsum, est absolutè sapere, ab eo omnis vita sapientia, justitiáque pendet. Nec putemus bonum, aut felicem esse posse, qui se ipsum non probè noverit* (f)

[c] *Ælian. lib. 9. variar. histor.* [d] *epist.* 23. (e) *epist.* 18.

(f) Huic suffragatur Aristoteles inquiens: *difficillimum est seipsum cognoscere, sed suavissimum* (g) Hujus mentem proximè assecutus est Thales dicens: *difficile est se ipsum nôsse, sed beatum. Et hæc est secundùm naturam vita.* [h] Amplius quiddam asserit Xenophon: *is qui se ipsum ignorat, neque ad regimen sui, neque ad familiæ, neque ad reipublicæ gubernationem idoneus est.* (i] Plura de hoc genere veteris sapientiæ effata equidem suppetunt, sed nè Orthodoxæ Fidei Proceres missos facere videamur, audiamus unum saltem melle fluentem Bernardum, qui super cognitione sui ipsius ad Eugenium Pontificem Maximum ità scripsit: *à te tua consideratio incipiat: non solùm autem, sed & in te finiatur. Quocunque vageris, ad te revocaveris eam cum salutis fructu: tu primus, tu ultimus tibi. Sume exemplum de summo omnium Patre, VERBUM suum & emittente, & retinente. Verbum tuum consideratio tua sic procedat, ut non recedat, sic progrediatur, ut non egrediatur: sic exeat, ut non deserat.* Tandemque subjungit: *nemo absque cognitione sui salvatur. Unde præstantius est, hac cognitione duce, sui curam gerere, quàm sinè illa maxima miracula edere. Sibi itaque consulat, sua omnia consideret, ac diligenter expendat, qui sui rationem redditurus est.* Hæc Bernardus. (k) Magni quoque cognitionem sui fecerunt Poëtæ. Unde canit Juvenalis.

è Cœlo descendit γνῶθι σεαυτὸν,
Figendum, & memori tractandum pectore rebus
In summis, minimisque. [l]

Jon vero Chius Poëtices peritus hos de illa senarios edidit:

Hæc; nosce te ipsum, dictio quidem est brevis.
Sed tanta res, quam Jupiter solus sciat. (m]
Et tamen in se nemo descendere tentat,
Sed præcedenti spectatur mantica tergo. Pers. [n)

EPI-

[f] *in Philebo* (g) *cap. 2. magnor. mor.* [h) *apud Stob.* (i) *lib. 4.* [k] *lib. 2. de consid. c. 3.* (l] *Satyra 11.* [m] *in tragicis.* (n) *lib. 4.*

EPILOGUS. Quare in penitiores animi sui recessus oculorum aciem dirigat, qui semetipsum nôsse exoptat. Ille enimverò prudentiæ laudem meretur, cui non pigrum est vestigare semetipsum, ut clarè perspiciat, quid vel superfluat in se mali; aut quid virtutis, rectæque actionis desideretur. Unde velut navus agricolator solum animæ suæ excolat aratro quodam sapientiæ, & si quippiam luxuriet, aut sarculo stirpitus evellat, aut falce industriæ continnò recidat. Qui verò plenissimam sui notionem habere satagit, qualísque sit scire ex integro flagitat, unà indagat, qualis non sit; & ex forma boni se metiatur, quàm ea posthabita sit malignus. Lucem namque oportet aspiciat, qui ferre judicium de tenebris velit. Lumen intelligentiæ cognitio sui accendit; quod sapientia plus æquo sibi sapiens præstinguit. At fortè quisquam sciscitabitur: quínam abstrusa animi valeat perscrutari,& ut par est,subducta sensibus pernôsse? Id animo potest. Nam ut oculorum peracuta licèt acies se ipsam nequid pervidere, sed adminiculo vitri specularis: ità sanè animus se ipsum videt quodam reflexu, seséque sibi affectúsque suos perspicua in luce repræsentat. Hoc pacto qui se inspexerit,discet ex spiritu suo, se ratione prædicam esse creaturam atque adeò vitam rationi conformem ducere adnitetur, solúmque se beatum fore judicabit ex sequela virtutis. Hujus ostium est cognitio sui; per hanc probitas in animum facilem accessum habet. Nec aliter mens levatur ad summa, nisi priùs sui ipsius perspiciat ima. Quamobrem cùm homines simus, id necesse est, ut jugiter interrogemus, & ità semper erimus homines, atque in summum sapientiæ culmen, pertingemus.

***

CHRIS

Unde ab hostili manu interceptus, eidémque turri inclusus, fame est enectus cum hac objurgatione: nunc, & famem depelle thesauris tuis, quas tam avidè sitisti. (d) Par fatum subiit Cyrus Rex Persarum, cui Tomyris Scytharum Regina bellum indixit, collatísque in prælio signis, non tam gloriosè devicit, quàm captivum à suis immaniter trucidari jussit. Cum verò sitientissimum fuisse auri Principem non ignoraret, aurum ignibus liquatum in os cæsi copiosè infundi præcepit cum dicto: aurum sitisti, aurum bibe. (e) Hic est fatalis exitus Principum, qui inexplebili auri cupiditate laborant. Et tamen quot etiamnum hodie inhiante semper avaritiâ opes aggregant, eámque capiunt ex iis voluptatem, ut cum opprobrio Imperantûm Caligula suis in thesauris si non corpore, animo certè diu, noctúque se volutent.

TESTIMON. At sciant velim hi citra commentum amentes divitiarum Tantali, *beatum non eum esse, ad quem pecunia magna confluxit sed illum cui omne bonum in animo est, erectum & excelsum, & mirabilia calcantem.* Sen. (f) *Abstrabunt* enim *à recto divitiæ & cætera, quæ opinione nostrâ cara sunt, pretio suo vilia.* Idem [g] *Nihil* sanè *habent magnificum quo mentes nostras in se trahant, præter hoc, quod mirari illa consuevimus.* Idē (h) *Equidem sunt in honore divitiæ, sed tantùm fortunæ bonum sunt. Qualia ista bona sunt, quæ qui habet, miserrimus esse possit?* Cic. (i) *Et quæ sunt divitiæ, quas non egestas, & fames, & mendicitas à tergo sequantur?* Sen. [k] Ad hæc *nunquam expletur, nec satiatur cupiditatis sitis: neque ea solùm, quæ habent, libidine augendi cruciantur, sed etiam amittendi metu.* Cic. (l) *Nemo* enim *est cui felicitas sua, etiamsi casu venit, satisfaciat.* Sen. [m] Prô pudor!

Copia nulla famem relevat. Ovid. (n)

Neminem, inquam, *pecunia divitem facit: imò contra nulli non majorem sui cupiditatem incussit:* Sen. (o) Id Solon, olim

[d] *Sabinus lib. 7.* (e) *Herodot. lib. 2.* (f) *epist. 45.* (g) *epist. 81.* [h] *ibid.* (i) *lib. 5. tuscul. q.* (k) *de tranquil. ani. c. 11.* [l] *in Paradox.* (m) *epist. 115.* (n) *lib. 11. Met.* [o] *epist. 119.*

olim questus est, cùm dixit: *divitiarum homini non ullus finis est datus.* Plutar. (p) *Quid refert* igitur *quantum illi in arca, quantum in horreis jaceat, si alieno imminet, si non acquisita, sed acquirenda computet?* Sed (q) imò *deprehendes, divites à mendicis nihil differre, imò meliores esse: illi enim exiguo, hi multo egent.* Idem (r) Quis verò illud ignorat:

Opes irritamenta malorum Ovid. (s)

Oneri quoque sunt. *Uti enim vestes oblongæ corpus, ità divitiæ immodicæ animam impediunt.* Democr. [t] *Ecce magno animo Demetrius divitias projecit, onus illas bonæ mentis existimans.* Sen. (u) *Nam lapides, aurum, argentum terrena sunt pondera, quæ non potest amare sincerus animus.* Idem (x) *Pone me igitur in opulentissima domo, pone ubi aurum, argentúmque in promiscue usu sit: non suspiciam me ob ista, quæ etiam apud me, tamen extra me sunt.* Idem (y) Illud intolerabile malum: *neque in civitate, neque in domo divite virtutem habitare posse.* Diogen (z) Certum enim est: *si quis dives, is aliquo laborat affectu.* Sotad. apud Stob. [aa]

EPILOGUS. His pravis affectibus nè liberam animæ facultatem involveret Phocion, non possessioni studuit augendæ, sed cupiditati minuendæ. Reliquit auri cupidinem, ut dulcem inveniret requiem, abjecit grave pondus metalli, ut onere curarum solutus ageret: dimisit opes ut se inveniret, omnibúsque carere voluit, quæ cruciant possessa. Nec fugit hunc virorum sapientissimum, divitias magis esse vitii ministras, quàm virtutis, longissiméque abesse opulentos ab æquitatis, honestíque ratione. Equidem cæcus sit oportet causarum arbiter, mentis tamen lumine non agat expers, quod fulgidæ auri laminæ plerúmque excæcant. Pecunia, & opes nunquam non scelera ad possessoris ædes invitant, aut saltem virtutum decora non admittunt. An non enim opulentia arrogantiæ locum favet? An non litium, ac discordiarum est nu-

[p] *de cupid. divid.* [q] *epist. 2.* (r) *de const. sap. c. 15.* (s) *lib. 1. Met.* [t] *apud Stob. serm. 91.* (u) *de Provid. c. 6* (x) *consol. ad Helv. c. 11.* [y] *de vit. beat. c. 25.* (z) *apud Stob. ser. 91.* (aa) *ser. 96.*

nutrix, mater ærumnarum, ac laborum, juge discrimen possidentium, omnísque malitiæ palæstra? Quapropter divitias, quæ vomitus sunt fortunæ sapientibus, nemo canis more sorbeat, nec vera esse bona existimet, quæ hæc commentitia dea egerit, sed virtutes divitias esse reputet, quas animus possidet, lætus semper agens præsentibus, securúsque futuris. Hæc enim verò lavernionum ungues non pertimescunt, nec tineam, aut æruginem reformidant. Quod si tamen præsens rerum status efflagitet, résque domi angusta peculium exposcat, sic illud possideas velim, nè ab illo possidearis: sic tene, nè vitiosè tenearis. Cæterum divitem illum existima, cui cælo, terráque frui non est interdictū. Sit demum nummus instrumentum necessitatis, non additamentum cupiditatis. Utere, non abutere.

CHRIA XV.

Alcibiades ex doctrina Socratis, in sui cognitionem devenit.

Ælianus lib. 1.

EXORDIUM. Alcibiadem eloquentissimum Athenarum Ducem, invictúmque armis Principem, nec silentio hodie præterire velim, nec idoneâ panegyri integrum mihi est per imbecilles facundiæ vires celebrare, celsa ejus virtus transcendit facultatem dicendi, bellorúmque magnitudo, quæ gessit, Pumilum Oratorē in demissi animi officio jubent commorari. Quis enim fando explicet tot laureas, quas in campo martio demessuit, tot trophæa, quæ ex manubiis hostium erexit, tantámque multitudinem triumphorum, quos retulit de fusis, fugatísque hostibus, non sinè fama nominis sui immortali? Hic enim verò Numidas, & Lacones artibus bellicis implicuit; & devicit, Syracusanos fumosâ nube excitatâ debellavit; Agrigentum, aliásque urbes non vulgares suæ fecit potestatis. Quis, inquam, hæc, & complura alia Du-

cis hujus facinora, quæ non sine laude veterum referunt annales, altâ dicendi majestate, Tulliique, aut Nestoris eloquio valeat explanare? Quare, cùm hæc verborum, sententiarúmque nitore, claráque elogii luce illustrare nequeo, solam ejus virtutem, quâ in cognitionem sui descendit, paucis lubet commemorare.

PARAPHR. Forsan Alcibiadem fortuna reddidit plùs æquo insolentiorem, rebúsque secundis altiùs se se efferentem, cùm speciosos agrorum limites maximámque bonorum myrmecinam, & opum suorum copiam non raro intueretur. Id cum non fugeret Socratem, morum Athenis, ac præcipuè Alcibiadis magistrum, ad officium demissioris animi revocaturus docilem, promptique ingenii discipulum, hoc pacto illius elationem animi depressit. Adduxit tumidum facultatibus suis Principem ad tabulam Geographicam, ambitum terræ complectentem. Quàm cùm Alcibiades cursoriis oculis percurrit, rogat Philosophus, Atticæ regionem inquirat. Hanc cùm haud ignarus rerum digito protenso Alcibiades indicaret; petit Socrates, latè patentem agrorum planitiem, suásque ditiones, quarum possessione fastu turgebat, indice monstraret. Sed cùm Princeps neutiquam tabulæ insertas edisceret, gnavi in eum Philosophus oratione invehitur, altúmq; increpat spiritum, ob nullam fere, exilémve terræ partem cristas attollentem. Indè edocet nihil inter herum & famulum spectata conditione humana interesse, opúmque inanitatem multo sermone ostendit. Hæc ubi attonito similis excipit Alcibiades; in se ipsum primum descendere, séque; ut par est, perrôsse, tum in uberes effundi lacrymas, demum virtutis studium decernere, animúmque ponere tumescentem. Tantum nempe juvat cognitio sui ad virtutum prosecutionem.

CAUSA. Et verò omnium disciplinarum est pulcherrima, maximáque. Multæ equidem sunt scientiæ, quibus eruditorum natio gloriatur; sed omnes longo post se relinquit intervallo ea, qua homo sui ipsius notionem indipiscitur. Hæc enim verò mentem, de qua, ceu fonte, omnis emanat rerum intelligentia, puriorem reddit, hæc

affectiones animi moderatur, actiones ad normam rationis dirigit, mores ad decempedam honestatis metitur, vitæ institutum ad exemplar probitatis componit, & divinarum juxtà, ac humanarum rerum scientiam procurat. Atque itá efficit, ut hac sapientiæ luce illustratus mortalis, clarâ in luce videat, ecquid sit ipsius, quid intrà, quid extrà, quid infrà, quid suprà, quid jam, quídve postea sit futurus. Noverit licèt quispiam magnalia omnia vires naturæ excedentia: nihil eum fugiat, quod terræ ambitu continetur: percurrat mentis, corporísque oculo alta cælorum: immergat se cogitatione in imum Oceani, ac totius universi scientia præstet: si notione sui expers fuerit, erit architectus sinè fundamento structuram faciens, nunquam non fatali proximam ruinæ. Quamcunque enim homo extra se molitur fabricam, congestus duntaxat est pulvis, ventorum semper furiis obnoxius, adversæque tempestati. Nemo itaque in censum venire potest sapientûm, qui sibi non est sapiens, quíque de fonte putei sui primus non bibit.

CONTRARIUM. Verùm ô vilis humanæ conditionis indignitas! O indigna vilitatis humanæ conditio! quæ per alia duntaxat vagatur, nunquam sua, at semper aliena. Ecquid juverit Theosophiæ scientiam plenis buccis crepare, & sui ignorantiâ laborare? Quid emolumenti feret utriusque juris cognitione clarus, quamquam omnes nodos, legúmque ænigmata scitè calleat resolvere si iniquus rerum suarum sit æstimator? Quid utilitatis habebit archiater, medendíque peritissimus; licèt omnia valetudinis præsidia ægrotis admoveat, si curationem sui non recipiat, morborúmque animi, quibus tenetur, nesciat panaceam? Ecquis in facultatis Philosophicæ syllabum eum referat, qui vel plenâ rerum naturalium excellit cognitione, vel omnia argumentationum tela in adversarium novit intorquere, si nequeat se ipsum argumentorum pondere ad virtutis studium inclinare? Ecquid juverit sapientem cum Archimede siderum cursum altissimâ contemplatione indagare, & neutiquam ima animi sui investigare? Quis dicendi gloriâ

præ

præstantem arbitretur ; quamvis Tullii abundet opulentia, Cæsaris in dicendo ardeat calore, Cælii mitescat lenitate, Pyrrhi feratur impetu, Catonis differat gravitate, Hortensii floreat distributione, si nequeat sibi ipsi salutaria persuadere? Quis demum Poetices doctum existimarit, & si calleat apprimè omnes Poetæ Sulmonensis metamorphoses, si de nulla sui in meliorem frugem immutatione curam adhibeat? Ità nempe omnis inanitati subjecta est scientia, bonarúmque artium studia in noxam abeunt; quæ à cognitione sui ipsius longiùs discedunt.

SIMILE. Quamobrem patrem familias æmulentur oportet scientiarum gnavi sectatores. Quemadmodum enim solers rei domesticæ curator assiduè indagat sua, non pensi habens, quid contiguus ædi suæ herus moliatur: haud secùs homo rationis particeps si quidquam sapit, animi sui domicilium, ejúsque ordinem gnaviter accurat. Et velut nemo non illum patrem familias reprehensione dignum existimat; qui rei suæ memoriam abjiciens, unicè indagat quid in vicinis ædibus actitetur: ità sanè merita objurgatione etiam sapientiæ studiis dediti sunt impetendi, qui diu, noctúque in subtilissimarum rerum cognitionem immersi, nullam sui habent rationem, nullúmque de semetipsis volvunt cogitatum. Non abs re foret, si sphœram, aut circuculum omnibus numeris absolutum jugiter sibi ob oculos ponerent, sempérque in principio, & fine sui versarent. Atque ità eveniret, ut non duntaxat se, sed & primum sui principium, finémque ultimum assequi valerent. Accipite hoc assertum in simili haud incongruo. Ut enim oculi in furvum, piceúmque colorem defixi, vigorem ab atro colore, teste experientia, capiunt, quò lucis splendorem, ac corpora lumine circumfusa citra læsionem intueri valeant, pari ratione mentis oculi in atrum propriæ imbecillitatis sunt persæpe dimittendi, ut hoc pacto roborati ad Solem Justitiæ, cælestiúmque lucem possint converti. Et velut oculus corporeus, quantumvis nullo malo sit vitiatus, nequicquam potest cernere, ni candore lucis adjuvetur: haud

absimiliter homo, quibuscunque demum clareat scientiarum, artiúmque luminibus, rectam vitæ instituendæ normam minimè pervidet, nisi altiori luce fuerit collustratus. Et hoc lumine aspergit hominem lumen æviternum, si in profundam sui cognitionem oculos sæpe sæpius non immergat, & in nihili sui abyssum crebrius descendat.

EXEMPLA. Possem hanc veritatem plurimis in Divorum immortalium cætum relatis comprobare; sed hos ad forum aliud remittens, unum, alterúmque ex monumentis veterum exemplar sufficerit delibare. Et primus quidem se se offert Philippus Macedonum Rex, sui cognitione inter magnos orbis Principes maximi ducendus. Devicerat hic Marte secundo ad Chæroneam Athenjensium populos, eámque ob rem altos spiritus aliquanto temporis spatio gerebat. Sed cùm fortunæ vicissitudinem sana mente nonnunquam secum pensitaret, minimè sibi, aliisque terræ moderatoribus factum convenire censens, elatum plùs æquo animum hoc pacto demisit. Præcepit cuidam suorum familiarum, dum se manè somnus relinqueret, his verbis affaretur: surge Rex, & hominem te esse cogita. [a] Huic te in regno, ità in sui cognitione successit filius Alexander. Laboravit hic orbis domitor gravi, ac diutinâ ægritudine, propè ad vitæ, mortísque confinia deductus. At cùm peritiâ, & dexteritate archiatri pristinæ valetudini redditus fuisset, in hæc verba erupisse fertur; admonuit nos ægritudo, nè utpote mortales altùm saperemus. (b) Atque ità hac sana cognitione sui præditus, non se porrò Jovis filium jactitabat, at subjectum imbecillitati humanæ mortalem crebrius agnoscebat, Hanc quoque sui notionem serius licèt accepit magni nominis Pausanias. Aderat geniali cujusdam Optimatis symposio hic tumidus thraso; quo pariter exceptus fuit Simonides, vir sapientiæ non vulgaris. Rogatus fuit hic Philosophus à convivatore, aliquid è penu sapientiæ suæ depromeret, quod salares epulas condiret, animósque præsentium recrearet. Hic non

(a) Stob. serm. 21. ex Æliano. (b) Idem ibid.

non moratus Simonides, præter alia sapientiæ lemmata, quæ inter calices effudit, ad Pausaniam conversus, dixisse fertur: memento te hominem esse. Non pensi habuit hanc paræ nesim arrogantiæ vento inflatus Pausanias, seu jam vino à rectæ rationis sede depulsus: seu nimio fastu præoccupatus ob familiarem usum, qui ei cum Rege intercedat. Sed brevi salubre effatum Simonidis, altius pectori fastoso insidebit Evenit, ut non multò post fortuna iniquiore usus, ab hostibus interceptus fuerit, & in vincula conjectus diro carceri manciparetur. In hoc ergastulo cum fame luctatus ad sanam mentem rediit, altósque spiritus posuit, jam dimissior sui cognitione. Dum verò jam calamitosissimam omnium mortem ante oculos cerneret, recurrit ei in mentem Simonidis dictum, magnáque voce exclamavit; O Cee hospes [erat quippe origine Ceus) Magnum quiddam in tuo sermone inerat. Ego verò inani persuasione sum inductus, ut eum nullius momenti putarem. [c] Sic nonnulli seriùs cum Phrygibus sapiunt, tandémque cognitionem sui acquirunt.

TESTIMONIA. Atque ideo non inficetè dixit Romanus sapiens; *hoc nos pessimos facit, quod nemo vitam suam respicit. Deprehendas te oportet, antequam emendes.* [d] Aliàs verò ita de cognitione sui exclamat: *ô egregiam artem? Scis rotunda metiri, in quadratum redigis, quamcunque formam acceperis: intervalla siderum discis: nihil est, quod in mentem tuam non cadat. Si artifex es, metire hominis animum, dic quàm magnus sit, quàm pusillus. Scis quæ sit recta linea. Quid tibi prodest, si quid in vita rectum sit ignoras.* [e] Hæc ille. Verùm quid alii sapientiæ luce clari veteres de re præsenti pronuntiarunt? Multa sanè, nos pauca damus. Præeat agmen sapientûm divinus Plato; qui ignorantiam sui vocat *genus improbitatis universæ. Nôsse autem seipsum, est absolutè sapere, ab eo omnis vita sapientia, justitiáque pendet. Nec putemus bonum, aut felicem esse posse, qui se ipsum non probè noverit*

(f)

[c] *Ælian. lib. 9. variar. histor.* [d] *epist.* 23. (e) *epist.* 88.

[f] Huic suffragatur Aristoteles inquiens: *difficillimum est seipsum cognoscere, sed suavissimum* (g) Hujus mentem proximè assecutus est Thales dicens: *difficile est se ipsum nôsse, sed beatum. Et hæc est secundùm naturam vita.* [h] Amplius quiddam asserit Xenophon: *is qui se ipsum ignorat, neque ad regimen sui, neque ad familiæ, neque ad reipublicæ gubernationem idoneus est.* (i] Plura de hoc genere veteris sapientiæ effata equidem suppetunt, sed nè Orthodoxæ Fidei Proceres missos facere videamur, audiamus unum saltem melle fluentem Bernardum, qui super cognitione sui ipsius ad Eugenium Pontificem Maximum ità scripsit: *à te tua consideratio incipiat: non solùm autem, sed & in te finiatur. Quocunque vageris, ad te revocaveris eam cum salutis fructu: tu primus, tu ultimus tibi. Sume exemplum de summo omnium Patre, VERBUM suum & emittente, & retinente. Verbum tuum consideratio tua sic procedat, ut non recedat; sic progrediatur, ut non egrediatur: sic exeat, ut non deserat.* Tandemque subjungit: *nemo absque cognitione sui salvatur. Unde præstantius est, hac cognitione duce, sui curam gerere, quàm sinè illa maxima miracula edere. Sibi itaque consulat, sua omnia consideret, ac diligenter expendat, qui sui rationem redditurus est.* Hæc Bernardus. (k). Magni quoque cognitionem sui fecerunt Poëtæ. Unde canit Juvenalis.

è Cœlo descendit γνῶθι σεαυτόν,
Figendum, & memori tractandum pectore rebus
In summis, minimisque. [l)

Jon; verò Chius Poëtices peritus hos de illa senarios edidit:

Hæc; nosce te ipsum, dictio quidem est brevis.
Sed tanta res, quam Jupiter solus sciat. (m]
Et tamen in se nemo descendere tentat,
Sed præcedenti spectatur mantica tergo. Pers. [n)

EPI-

[f] *in Philæbo* (g) *cap. 2. magnor. mor.* [h) *apud Stob.* (i) *lib. 4.* [k] *lib. 2. de consid. c. 3.* (l] *Satyra 11.* [m] *in tragicis.* (n) *lib. 4.*

EPILOGUS. Quare in penitiores animi sui recessus oculorum aciem dirigat, qui semetipsum nôsse exoptat. Ille enimverò prudentiæ laudem meretur, cui non pigrum est vestigare semetipsum, ut clarè perspiciat, quid vel superfluat in se mali; aut quid virtutis, rectæque actionis desideretur. Unde velut navus agricolator solum animæ suæ excolat aratro quodam sapientiæ, & si quippiam luxuriet, aut sarculo stirpitus evellat, aut falce industriæ continuò recidat. Qui verò plenissimam sui notionem habere satagit, qualisque sit scire ex integro flagitat, unà indagat, qualis non sit; & ex forma boni se metiatur, quàm ea posthabita sit malignus. Lucem namque oportet aspiciat, qui ferre judicium de tenebris velit. Lumen intelligentiæ cognitio sui accendit; quod sapientia plus æquo sibi sapiens præstinguit. At fortè quisquam sciscitabitur: quinam abstrusa animi valeat perscrutari,& ut par est,subducta sensibus pernôsse? Id animo potest. Nam ut oculorum peracuta licèt acies se ipsam nequid pervidere, sed adminiculo vitri specularis: ità sanè animus se ipsum videt quodam reflexu, seséque sibi affectúsque suos perspicua in luce repræsentat. Hoc pacto qui se inspexerit,discet ex spiritu suo, se ratione præditam esse creaturam atque adeò vitam rationi conformem ducere adnitetur, solúmque se beatum fore judicabit ex sequela virtutis. Hujus ostium est cognitio sui; per hanc probitas in animum facilem accessum habet. Nec aliter mens levatur ad summa, nisi priùs sui ipsius perspiciat ima. Quamobrem cùm homines simus, id necesse est, ut jugiter interrogemus, & ità semper erimus homines, atque in summum sapientiæ culmen, pertingemus.

***
**
*

CHRIS

CHRIÆ
MIXTÆ.

Scylurus Rex Scytharum morti proximior, octoginta quos habebat filios, ad fatalem lectulum acciri jussit, singulisque fascem jaculorum porrexit, quem frangerent. Id cùm nullus viribus naturæ valeret; singula dedit, eáque facile confringentibus, edixit: si concordes eritis, validi, invictique manebitis: si contra, de facili frangemini.

Stob. serm. 82.

LAUDATIVUM.

Desine tandem aliquando tuis cum rudelibus, moléque obsoleta fastosa plaudere antiquitas desine incassum tuos jactare heroës, qui vel sapientiæ suffragio vel bellicæ rei gloria, immortale nomen ab interitu, & oblivione sibi vendicârunt. Desine, inquam, tandem aliquando exaggeratam plùs nimio fortitudinem, tot clarorum armis virorum, tot scientiarum laude illustrium, superemetienti encomio in fastis tuis disertissimè celebrare, dum alios æterno dignos præconio, levi duntaxat perstringis graphio, & illustrissimum eorum nomen ac gesta immortali fama jure decantanda, non tam ornare, quàm obliterare videris. Quid erat, quod Scylurum Regem, quantumvis Scytham, sapientiæ dotibus cumulatum

latum, Martísque gloriâ Latiis Imperatoribus haud inferiorem, prolixiore ad posteros calamo non tam transmiseris? An non ea fuit ejus vitæ ratio, ea in rem publicam merita, eáque rei militaris peritia? ut majus, excelsiúsque laudis præmium invidiosa vetustas impertiret? Non equidem diffiteor virorum fortissimè, exstare nonnulla nominis tui monumenta, sed minora tantis meritis, minora dignitate, & angustiora fortasse; quàm ut sapientiæ tuæ vastitatem, rerùmque gestarum gloriam, aut capere valeant, aut exæquare. Apage proinde cum tuo laudum breviario, haud satis æqua Scyluro veterum ephemeris, prodiga in alios, parca in hunc Regem Scytharum. Ego hodie pace vestra AA, non infimum subsellia inter Principum, ac sapientum, locum ei statuo; cujus non tam factum, quàm dictum longè sapientissimum, omnem Imperatorum gloriam, eorúmque mentes eruditas, non parvo antecedit intervallo. Efferant alii ad ipsos usque cœlos Julium Cæsarem, & omnes terrarum angulos nominis ejus famâ compleant; nihil tamen debitæ Scyluro gloriæ derogabant. Non equidem inficias eo, Julium Cæsarem collatis quinquagies signis, fortiter semper, ac gloriosè dimicasse, & undecies centena, & nonaginta duo hominum millia internecioni dedisse, tantàque illum gessisse celeritate bellandi incredibili; quanta audire vix hominis, perficere penè nullius, nisi Deorum foret. At gloria hæc effuso tot hominum sanguine parta, gloriæ quidem nomen habet, sed cruentum, sed infame, quod summus de carnariorum, & laniorum tribu sibi posset arrogare. Efficiant alii, ut nulla sequens ætas de laudibus Pompeii M. conticescat, decantet pleno ore fama ejus bella triginta annorum spatio, fausto, felicíque eventu perfecta: enarret fusos, fugatósque hostes propè innumeros, ac in deditionem accepta hominum vicies semel centena octoginta tria millia, depressas, aut captas naves sex supra octingentas, & quadraginta. Deprædicet, Romanæ illum subjecisse potestati plùs quàm mille quingenta; ac triginta cum castellis oppida; sed hoc omne, vulgantis famæ præconium, intestinis animi prælíis tandem in apricum erumpen-

pentibus fœdavit, violavit. Celebrent denique elucubratis laudibus historiographi, immortales Fabios, Scipiones, Mariones, Perdiceas, Lucios dentatos, sexcentósque alios de Romuli, vel Martis propagine Heroës, profuso tot mortalium cruore, sanguinarium nomen ad posteros transmisisse: mihi hodie in meritæ laudis pennam venit Scylurus Rex Scytharum, gloriam sibi non bello, sed pace, non jugi cum aliis gentibus dissidio, sed voluntatum, ac studiorum consensione, gloriam inquam sibi pariens apud universos. Factum ejus, dictúmque benevolè, ut soletis, pacis sectatores accipite.

PARAPHRASIS Scylurus Regum facilè sapientissimus, & vero lumine rationis apprimè illustratus, ut liberis sui ma ibus, quorum octoginta numerabat, supremis tabulis non tam regnum, quàm rectè vivendi rationem transcriberet, accitis ad fatalem lectulum omnibus hæc, aut his similia ad eos verba fecit. Perchari nobis filii. Non mediocri animi gaudio, licèt ægri corpore, afficimur, dum vos hìc incolumes, sempérque Patri morem gerentes, adstare videmus. Vos enimvero estis avitæ virtutis hæredes, jam futuri æquissimo jure regnorum possessores, quæ seu legali successione, seu armorum viribus Scythicæ subdidimus coronæ. Nos in confinio vitæ, mortísque constituti, jam jámque ad plures abituri, supremum vobis vale facimus, bene singulis precantes, ac universis. Fuisse vos semper nobis amori, ac etiamnum esse nemo vestrûm est, ut opinamur, qui ambigat. Sed ut quoque à funere nostro, avis, atavísque honori sitis, vestrûm erit pro virili satagere, & adniti. Regnum, quod vobis tradimus legitimo jure gubernandum, cura, ac solicitudine vestra sartum, tectúmque stare, ac perennare ultima voluntate exposcimus; nè hostili furore discerpatur, quod in nostrum, vestrúmque dedecus cessurum non ignoratis. Nemo ex vobis in palæstra Martis minùs exercitum, instructúmque se valet diffiteri. Calletis perbellè cum omni genere hostium acriter, fortitérque dimicare, ut non unum armorum experimentum satìs supérque testatum fecit. Agite proinde, ut ratio status vest i flagitat, & regnum Scythiæ suo in flore,

ac

ac vigore conservate, omnésque adversariorum minas, à finibus Imperii unanimi robore propulsare. His aliísque pluribus, quæ missa facimus, prolatis, deprompto sagittarum fasce, totidem, quot erant filii, jacula complectente, tremulis manibus præsentibus offert, præcipiens, ut pro corporis valore, ac viribus, constrictum vinculo fascem diffringerent, spargeréntque in frusta. Quod cùm nullus reapse præstare posset, resolvi fasciculum imperat, & singula singulis jacula extradi jubens, author est filiis, ea confringant. Id cum singuli nullo negotio præstitissent, hanc dignam omnium memoriâ doctrinam eis dedisse fertur. Quemadmodum cum hoc fasce ità vobiscum se res habet, filii nobis plurimùm dilecti. Quousque unione animorum juncti fueritis, intè. que vos convenerit, scitote vos semper invictos fore. At si discrepantiâ opinionum, in sectas, belláque intestina abieritis, imbecilles evadetis, facilè ab hostibus debellandi. Hoc dicto ad plures abiit, victurus in animis posterorum. Dicite jam, amabò AA. quid ad morum institutionem salubrius, quid in hoc turbulentissimo rerum statu, in his dissidiorum procellis consultius à quoquam dici potuit, aut cogitari? Ea enimverò concordiæ est natura, ut sine ea nec regnum ullum ritè gubernari, nec ulla urbium rectè ordinari, nec domus ulla valeat, ceu par est, administrari. Quis enim ea laborat ignorantiâ, quis ea obseptus est mentis caligine, qui non clarissimè perspiciat, hanc mutuam animorum consensionem in humana republica vigentem, florentémque, vinculum esse omni auro pretiosius, omni adamante solidius, omni præsidio validius, omníque adversario, unde demum prorumpenti, formidandum. Exulet à regnis, ab urbibus, à domibus hæc fortior ipsa fortitudine unanimitas, DEUM immortalem! in quod fædum chaos pulcherrima rerum publicarum facies resolvetur. Jubeatur solum vertere consentiens in humano consortio voluntas; florentissima interibunt regna, celeberrimæ exscindentur urbes; clarissimæ prosapiæ extinguentur, compilabuntur domus, diripientur templa, opprimentur leges, pessumibunt artes, corrumpentur disciplinæ, humana juxta ac divina confundentur.

CAUSA. Ego sanè sic existimo, singulari præditum sapientia Scylurum Regem nullam aliam ob rationem, relictos à morte liberos, ad eam animorum unionem supremâ voluntate sociare satagisse, quàm ut Provinciarum bono, urbium utilitati, civiúmque saluti consultum iret. Vidit quippe è specula non tam solii, quam sapientiæ, mortales unâ mente viventes longè evadere fortiores, adversanti fortunæ facilius resistere, ac malevolorum injurias conspirantibus armis propulsare. At verò ubi alitur gravis offensionum acerbitas, odiisque homines dissident, imbecilliora reddi vidit omnia, ac nullo negotio aut frangi, aut infirmari. Pervidit sapientiæ nutritus gremio Princeps, concordiâ mutuum foveri amorem; alternum populis admoveri auxilium, stabiliri Imperii basim, pacem vigere in urbibus, familias inter se cum emolumento uniri nihilque non esse, quod virium, animorúmque conjunctione in amplitudinem, decus, ac utilitatem reipublicæ non eveniat salutare. Quid enim incumbentem hostium furorem avertit à mœnibus? avertit concordia. Quid Imperatoribus belli victoriosas parit laureas? parit concordia Quid ad gloriosos ausus provocat animos, ac dextras militum? provocat concordia. Quid firmat regna, stabilit respublicas, conservat in flore, & vigore urbes? firmat, stabilit, conservat, unica; soláque concordia, ac consensio voluntatum.

CONTRARIUM. Ità profectò se res habet AA. Ex adverso vero quid regnis, ac Imperiis magis noxium, quid rerumpublicarum excidio propinquius, quid urbibus, ac domibus perniciosius discordiâ, & præliis animorum? Pensitemus nonnihil egregiæ scilicet rerum humanarum moderatricis diffidentiæ emolumenta. Exigamus animo, quæ, quantáque urbibus, regnis, ac Imperiis procuret commoda. quæ disperdit. Indagemus, quantum roboris commissuro prælia militi superaddat. quem enervat. Disquiramus, quàm insignes belli Ducibus adferat triumphos, quas invitis, mærentibúsque eripit. Perscrutemur, quem metum hostibus incutiat, quibus ad augendum stimulos, ac vires adjicit. Exploremus,

qu

qui ferrum à civium jugulis arcet ; quos in prælia, in vulnera, & sanguinarias neces impellit. Videamus, qui in aurea constitutis libertate faveat, quos sub ferreæ servitutis jugum barbara non raro immanitate mittit. Spectemus, quo pacto à mœnibus, ab urbibus, à domibus avertat ruinas, quæ evertit. Inquiramus, quinam legum vigorem, jurísque ordinem perennare faciat, quem præposterè depravat. Excutiamus demum, qui ruituram, labantémque rempublicam suffulciat, quam funditus it perditum, unicéque satagit demolire. Quid memorem alia tum corporis tum animæ detrimenta, quæ ex discordia, tanquam pestilentissimo fonte jugi scaturigine dimanant? Quid referam, profligari ab animis honestatem, intercidere motum pravitatem; sacrorum authoritatem disperire? Mitto hic, unius dissensionis malignitate expilari Provincias, solo æquari urbes, exhauriri æraria, incendi vicos, incinerari domos, regnaque florentissima miserandum in modum dissipari. Prætereo denique hujus noxii vitii interventu concidere omnia, perire, interire. O Cæli sine mora perdant hanc grassantem opinionum discrepantiam per regna, per urbes: atque animos mortalium, & tot, tantorúmque malorum emporium, tot vitiorum seminarium, vitæque civilis pestem, ac interitum continuo eliminent, ejiciant, exturbent. At verò voluntatum, & studiorum consensionem, urbium decus, ac firmamentum, stabilimentum regnorum, ac reipublicæ fulcrum, aureis invectam quadrigis, apparatu basilico, pompâ exquisitissimâ, omníque benevolentiæ significatione, in Provincias, in urbes, in domos devehere adnitantur. Sic profectò firmabatur Provinciarum incolumitas, sic stabit rerumpublicarum dignitas, morum honestas efflorebit, jura æquo procedent ordine; pacis olea indies germinabit, cives optatam tranquillitatem obtinebunt, quam sinè animorum unione perturbari est necesse.

SIMILE. Hujus enuntiatæ veritatis non contemnenda sese offert similitudo, quæ planiora reddat argumenta. Nam quemadmodum è Scyro Insula Tyrrhenus

lapis, ut Plinius, naturæ oculus observavit, integer, ac solidus in superficie aquarum fluctuat, ac natat, comminutus verò, ac diffractus in profundum agitur: haud secus reipublicæ navis, licèt inter fluctuantes rerum adversarum procellas, ac sævam hostium undequaque frementium tempestatem, integra, inviolatáque progreditur, concordia clavum dirigente, quæ dissidio, æstúque seditionum calamitosè jactatur, felicitate illius syrtes inter, & brevia naufragante. Non starent unquam inconcussa Regum augustalia, non ingentes urbium moles suo in statu æternarent, nisi mutua inter se compage unita marmora casui, ac ruinæ obviarent. Et stare poterunt rerum publicarum structuræ, augustáque Imperantium fastigia in partes, sectásque divisa? Nunquam triremes, aut onusta pretiosis mercibus navigia, inter rixantia cæli, marísque jurgia, per altum tuta, securáque provehentur, si hiante tabularum ordine pondus aquarum recipiant. Et regna, ac imperia inter sævientes hostium Aquilones ultrò, citróque jactata, felicitatis portum attingere valeant, animis in contraria studia abeuntibus? Nunquam dispersa, dissipatáque ventorum furiis arenarum, pulverúmque congeries in excelsos assurgit montes. Et distracta, divisáque altercatione respublica in gloriæ culmen ascensum moliatur? nihil minus. Is enim est perniciosus discordiæ genius, ut concitatis in bella intestina populis florentissimas regiones, ac urbes exscindat, pessumdétque.

EXEMPLA. Testor, annalium veritate suffragante, clarissimam illam Africæ urbem, Romæque viribus formidabilem Numantiam, à Scipione debellatam, dissidio civium exitium ministrante. Testor Chium, Megaram, Athenas, aliásque portentosæ fortitudinis urbes, hostium alioquin minas irridentes, animorum diversitate prolapsas esse in ruinam, nullâ ætate deinceps restaurandam. Testor arcem omnium gentium, clarissimum Imperii domicilium, caput orbis, ac urbium Romam, quæ eò usque immota, invictáque perstitit, vim omnem adversariorum elisit, impetum fregit, furorem retudit,

au-

audaciam compressit, nunquam non hostium victrix quoad omnes omnium sententiæ, ac voluntates unitati studuêre. Verum enim verò posteaquam opinionum dissimilitudo invaluit, jactáque est discordiæ sementis, malorum seges pullulare, legum ordo deflorescere, iniquitas germinare, susque déque verti universa. Nec jam triumphales palmæ, sed cupressi inter funera succrescere, furor sub doloso cinere gliscere, temeritas indies animari, seditiones partium magis, magísque ali, in perfidiam, & neces suas orbis Domini abire. Ita nempe discrepantibus eorum animis, nobilissimus ille reipublicæ Romanæ status intercidit, factúsque est hostibus præda, ac cavillus, quibus antehac frena injecerat, ac terrore concussit. Utinam sub ea tempera imperturbatum illum Latii ordinem accessisset germanus sapientiæ pullus, magnus ille Aragonum Rex Alphonsus, mirus concordiæ fautor, ac amator, næ ille discordantium animorum turbas felicissimè compressisset. Dictitabat sæpenumerò hic Principum facilè sapientissimus: *Si Romanorum ætate vitam mihi vivere obvenisset, templum Jovi Positorio, præter Capitolinum contruxissem.* Quid ita? rogabat nonnemo familiarium: dignum ore Palladis responsum dedit Alphonsus, inquiens: *delubrum Pacificatori Jovi posuissem, ut Romani de rebus Imperii sui acturi, in eo primum convenirent omnémque ad aras deponerent simultatem, animorúmque discrepantiam, pestem, atque perniciem rerum agendarum* [a] Nec ablusit à mente Alphonsi in Divorum apotheosim relatus Ludovicus Francorum Rex, qui non indigenas duntaxat, sed & Principes exteros, dissidium inter se alentes; ad concordiæ studium revocare identidem satagebat. Erant nihilo secius palatini canes in virtutem regiam dentati, quíque eam à pacificandi studio avertere nitebantur, asserentes: in alienam discordiæ messem, haud esse falcem Gallicam immittendam. At Princeps sanctioribus vivendi legibus instructus, pacíque publicæ solerter vacans, gravi verborum fulmine thrasones aulicos palpum obtrudentes perculit,

[a] *Panorm. lib.* 1. *de reb. gest. Alphonsi.*

inquiens; quid si externi Principes me vidente ac conniven- te, armis, animísque dissideant? An non per summam mali- tiam, Regem Francorum id sustinere, æqui rerum æstimato- res reputabunt, & in me, ac regnum meum exitium volent machinari? An non divinæ iræ in me accensendæ sim proxi- mus, si Principes in perniciem Christianitatis dissidentes componere; uniréque in fœdus pacis omittam? Quos DEI favores sperandos habeam, si partibus regii muneris desim? Qui consortio filiorum DEI accenseri valeam, pacificis dun- taxat appromisso? (b) Hæc & plura tranquillitatis publicæ sectator, & amator Ludovicus. Nec soli Christiani Prin- cipes redintegrandæ paci, animorúmque unioni operam posuerunt: sed ipsi adeò gentium Domini veri Numi- nis cognitione carentes, quos temporis angustia vetat re- censere, concordiam in suas ditiones invehere labora- bant, apprimè gnari, non aliâ magis ratione urbes, ac Impe- ria hostibus reddi formidanda, quam si depositis simultatibus magnâ animi conspiratione, in unius reipublicæ consentiant utilitatem.

TESTIMON. Quod veritati congruere, ut liquidè pa- tescat, sapientiâ fœtas veterum parœmias accipite, in concor- diæ nexum unanimi sensu convenientes. Et primus quidem in testimonii Provinciam veniat Agesilaus Spartanorum Rex bellorum famâ inclytus, multísque victoriarum laureis redi- mitus. Forsan unus aliquis Principi huic usu, & consuetudine familiari devinctus, ex eo percontari cœpit, quam ob rem Sparta mœnibus non incingeretur? Agesilaus prætenso di- gito; armatos, sibíque consentientes ostendit cives, inqui- ens: *hi sunt Spartæ civitatis mœnia,* (c) indicaturus: scis- citanti urbes nullo munimento tutiores esse, quam laudabili unione civium, nullúmque murum inexpugnabiliorem esse concordiâ. Nec à sententia Agesilai discessêre Lacedæ- monii, viri fortitudine bellica præstantes, qui dum de me- tropoli sua muris firmanda consilia agitâssent, Isæus So- phista recitavit illud Homeri: *Scutum hastis scuto, galea galea*

(b) *Æmilius lib. 7.* (c) *Plutar. in apoph.*

galea, atque viro vir. Sic stare Lacedamonii, & muris cincti sumus. (d) De qua animorum unione eruditè Gusspius Salustius, laudatus à nervis, & gravitate historicus, asserere non dubitavit: *concordiâ res parvas crescere, discordiâ maximas dilabi.* [e] Cujus maximam quidam è purpuratorum senatu commentario illustrans, edixit: *civium, urbiumque felicitas non solùm è concordia nascitur, sed etiam quasi quodam pabulo nutritur. Porrò, duo sunt concordia vincula, beneficium nempe, atque gratia. Quorum alterum benevolentiam parit accipientium; alterum largientium amorem, ac studium stabili charitate confirmat.* Sed nè silentio præterire videamur Tacitum, historicorum facilè Principem, ad imperia, urbésque erudiendas fictum, factúmque, quid de animorum conjunctione sensûs habuerit, ex verbis ejus Laconicis conjicere datur, dum victos etiam, prostratósque, unione armorum, & pectorum ad victoriæ decus resurgere posse ità ajebat: *In ipsis etiam victis in consensu levamen.* (f) Libeat hic unà aures dare non ignobili Musæ in rem præsentem sequentes modulos canenti.

Publica nam requies, privatis jure, foroque
Constat amicitiis: scissura domestica turbat
Rem populi, titubátque foris, quod diffidet intus.
Ergo cavete viri, nè sit sententia discors
Sensibus in vestris, nè secta exotica, tectis
Nascatur conflata odiis, quia fissa voluntas
Confundit variis arcana biformia fibris.
Quod sapimus, conjungat amor, quod vivimus, uno
Conspiret studio: nil dissociabile firmum est.

Ut verò discordiæ malum ex animis, & urbibus proscribamus, fœdam, & exhorrescendam ejus imaginem, penicula doctiore Petronii adumbratam, oculis vestris subjicimus,

Intremuêre tuba, ac scisso discordia crine,
Extulit ad superos stygium caput: hujus in ore.

[d] *Philostrat. in Sot histis.* (e) *in Jugurt.* (f) *lib. 3. annal.*

Concretus sanguis, contusáque lumina flebant,
Stabant irati scabrâ rubigine dentes:
Tabo lingua fluens, obsessa draconibus ora,
Atque intra toto laceratam pectore vestem
Sanguineam tremulâ quatiebat lampada dextrâ.

Proh horridum visu ostentum! At nè omnis elegantiæ consummatum exemplar Tullium, de reipublicæ concordia scribentem, à veridico teste exclusisse videamur, æquiparationem unionis animorum cum musico concentu audiamus. *Ut in fidibus* inquit, *atque cantu ipso, & vocibus, contentus est quidam tenendus ex distinctis sonis, isque concentus ex dissimillimarum vocum moderatione, unus tamen efficitur, & congruens: sic summis, infimis, & mediis interjectis ordinibus, ùt sonis, moderata natura civitatis concentu dissimillimorum consistit. Et quæ harmonia à musicis dicitur in cantu, ea est in civitate concordia.* Hæc linguæ latinæ antistes. (g) Sed quid profanis tantopere veritatem hanc stabilire nitimur? Æterni VERBI nec fallere, nec falli sustinentis accipiamus oraculū, *Omne regnum in se ipsum divisum desolabitur.* [h] Id ipsum alio in loco sacrarum literarum corroborat per divinæ sapientiæ interpretem, ac ministrum Salomonem. *Frater* inquit, *qui adjuvatur à fratre, quasi civitas firma, & judicia, quasi vectes urbium.* (i) Videlicet fratrum, dixerim & ego civium concordia, est instar urbis munitissimæ, nullísque hostium machinis expugnandæ: judicia, verò id est lites, & dissidia, sunt quasi vectes urbium, seu fores, quæ facilè hostibus reserantur, præbéntque aditum iræ, odiis, jurgiis, cædibus, malísque universis.

EPILOGUS. Quæ cum humanâ juxtà, ac divinâ veritate stabilita sint, neminem adeò à ratione malè paratum existimem, qui factum, dictúmque Regis Scyluri non ratum habeat, dignúmque immortali memoriâ non censeat ejus apophtegma. O si, quod unicè in votis gerimus, omnes omnium consequentium sæculorum respublicæ, eliminatâ ex urbibus discordiâ, voluntatum, & studio-

(g) *lib. de amic.* (h) *Math.* 12. (i) *proverb.* 18.

diorum summam revocent consensionem. Probatur vobis, ut minimè ambigo, dictum, factúmque Scyluri, omniúmque memoriæ penitùs insidere, in regnorum, ac urbium utilitatem exoptatis. Verùm ut non duntaxat sapientia Scyluri perennet in ore, ac animis posterorum; sed opere ipso elucescat, toto studio in almam pacis nutricem concordiam, regnis, ac urbibus inducendam necesse est incumbatis si publicam tranquillitatem, bonorum omnium auctricem, jugem apud rempublicam figere avetis incolatum. Quid citra omne dubium vos acturos confidimus, si fœdum discordiæ Monstrum vobis iterum iterúmque ante oculos mentis statuamus. Quam si vivis eloquentiæ pigmentis, velut in tabula exprimere valerem; depingerem sanè visu horridam, oculis distortam, ore inflatam, labris lividam, recentibus semper infusam lacrymis, capite supinam, manibus rapacē, bellorum avidam, funera duntaxat, & strages anhelantem, non urbibus, ac domibus, sed conditoriis, ac defunctorum tumulis recipiendam. Et hoc portentum usque adeò execrabile: in urbibus, ac pectoribus nostris stabulari patiemur? Apage ostentum formidabile, ad barbara pacique infesta Getarum regna continuò ablegandum, amandum. Agite proinde AA. profligata, eliminatáque discordia animorum unionem, omnium bonorum architectam, almam pacis altricem, publicæ quietis administram, regnorū, urbiúmque conservatricem, summa benevolentiæ significatione, pulchróque urbanitatis officio accipite, & ex ejus placitis, & legibus Mundum felicissimè in pace, ac tranquillitate regite, & gubernate.

* * *

CHRIA

CHRIA II.

Antigonus Diis sacrificans precabatur ut se à simulatis servarent amicis At cùm quispiam ex eo percontaretur, cur hoc peteret? reposuit: quia hostes cùm cognosco caveo.

Laert. lib. 7.

EXORDIUM. ETsi verear A A. de Antigoni Græciæ Principis divina propè sapientia verba facere, cùm eidem pro merito explanandæ vix par foret aurea Demosthenis facundia: plenum tamen animis me esse jubet viri ipsius delaudandi magnitudo, quæ eam ab omnibus evictura est benevolentiam, quam imbecillus adeò orator minimè sperandam haberet. Nec eget adscititio eloquentiæ lumine collustrari, quod se ipso est illustre. Ecquis ornatum dictionis sollicitè requirat, ubi pulcherrimorum facinorum decora superfluunt, ac ornamenta? Magnus equidem fuit Antigonus industria armorum, celeritate bellandi, altitudine cogitationum, patientia periculorum, aliísque regiis dotibus in tantum præcellens, ut magno illi Alexandro cognatione sibi juncto, vix palmam in rebus bello gestis concessisse videatur. At si virtutum amplitudinem ad trutinam exigere jubet, magnum illum Macedonem, in vitiorum barathrum fædè tandem prolapsum, longo post se reliquit intervallo. Quis enim in veræ, ac immortalis gloriæ censum referat per strages gentium bacchari, hostium acies fundere; in campo martio palmas, & lauros metere, purpuram inimico sanguine irrigare, regni auctionem facere, victorem terrarum, orbísque totius Monarcham per ora populorum circumferri, si unum virtute non devicerit Princeps se ipsum? Quam ob rem moderatores orbis, nominis

sui famam transmissuri posteris, virtute excolant animum, pietate floreant, religione præstent, justitia emineant, eruditione inclarescant. His careant mundi Principes inani plaudunt nomine, populis ignominiâ appetendi. Ab hoc Imperantûm opprobrio nominis sui gloriam vindicavit Antigonus Rex Græciæ, summa, atque singulari virtutis excellentia clarissimus. Nec una duntaxat virtute stipatum, ac circumseptum, sed omni virtutum genere instructum fuisse, veterum referunt monimenta. Quas si mihi animus esset singulas, pro eo, ac par foret, recensere, spiritus me citiùs deficeret, quàm ad debitam eorum commendationem assurgere eloquentiæ annisu valerem. Unam proinde solùm Antigoni conjunctam religioni prudentiam, aut satiùs dixerim providentiam, non tam ad clavum Imperii sedentibus, quàm omnibus veræ sapientiæ studiosis coràm statuam imitandam.

PARAPHR. Viderat fortasse illimi sapientiæ oculo perspicacissimus Antigoni animus, hominum commercia usúmque, ac consuetudinem familiarium, logis, fucísque non raro adulterari, & sub pulcherrimo amicitiæ schemate strophas cudi, ac insidias, in perniciem etiam capitum coronatorum. Quare, ut ab hac noxia generi humano peste sese immunem redderet, sibíque, ac regni bono prospectum iret: cùm Diis Græciæ sacra pro more faceret, supplicibus votis ab iis exposcebat: à veteratoria arte, & tortuosis suorum ingeniis, palliatóque benevolentiæ studio liberari. Præstare enim verò reputabat Principum facilè sapientissimus, cum hoste odia publica profitente manus conserere, victoriæque palmam patenti adversario aut cedere, aut referre, quàm clandestinas familiarium machinas palpum obtrudentes experiri; quorum imposturis, utpote opertis haud facile datur obviare. Etenim qui iniquiore sunt erga te animo; qui capitali propalàm insectantur odio, grandésque exercent inimicitias, nullo negotio caveri possunt, animum suum indicio hostilitatis manifestum facientes. At verò qui officia humanitatis, inter offucias deferunt; benevolentiam simulatis artibus declarant, ferre se in

oculis achatem mentiuntur, arctissimum necessitudinis vinculum vatrè pollicentur, interim verò sub fallaci amicitiæ nexu, laqueos nectunt ad ruinam, sub ridente oculorum iride coquunt irarum tempestatem, sub coloratæ frontis techna exitium proximi moliuntur, sub erudito simulationis artificio neces fabricant, & sub fucati ampris sipario machinantur jacturam vitæ, famæ, ac fortunarum hos, inquam, fraudum Dædalos ex omni vafritie consutos ægre admodum devitaris.

CAUSA. Atque hac de causa vota fecisse Diis immortalibus existimem sapientiæ luce illustrem Antigonum; ut nimirum à tendiculis, & dolosarum artium Labyrinthis se se expideret. Verùm enim verò ut eruditi hujus Principis mentem, vera cognitione rerum pollentem, magis magisque compertam, exploratámque habeamus, veræ, falsæque amicitiæ genium, ac discrimen perspicuis signis declaremus. Illum, enutritus in sapientiæ gremio Antigonus, recto amicitiæ fœdere, ac nexu indissolubili devinctum esse censuit, qui benevolentiam non in labrorum superficie, sed in affectu gerat, quíque amicum propter amicum, non ob bona, utilitatémque sibi propriam diligat, & complectatur. Quippe si amicitiæ jura ad fructum nostrum referamus, non vero ad commodum amici, non is amicitiæ usus est, at proximus improbitati mercatus. Pratorum, arvorumque ubertas nec non greges, & armenta pecudum, hac ratione in amoribus habentur; quod fructus ex eis capiantur; hominum charitas, & amicitia gratuita sit oportet. Verus Pylades omni tempore suum deamat Orestem. Sive enim ferociens, sive blandiens circumstet amicum fortuna, jugis ejus lateri adhæret. Verus Nisus, aut Euryalus non cedit periculis, non frangitur tormentis, labore non lassatur adversis non minuitur, egestate non arcetur, nullis immutatur malis, ac ærumnis, semper idem, semper immobilis, nunquam non constans in rebus, & affectu. Illum ego arctissimo amicitiæ vinculo innexum mihi existimem; ad quem animum meum jugiter adjungere possim, itaque miscere, ut unum fiat è duobus. Ille apud me primum

mum amicitiæ locum tenet; cui me tanquam alteri mihi possim committere, pectus totum aperire, arcana tutò communicare, nihilque habere, quod ab eo reformidem. Illa, illa vera est amicitiæ sanctimonia, & integritas, quæ in prosperis gratulatur, in adversis compatitur, solatur afflictum, consilio adjuvat, calamitatis in se partem suscipit, labores reddit leviores; omnia paratus amici causa ferre potiùs, ac perferre, quàm fidem initæ consuetudinis, nexúmque solvere, dissuere, aut immutare. Illum denique observantissimum mei censeam, & in amicitiæ jura admittendum; qui nequaquam clausum duntaxat voluntate amoris sensum tenet; sed pro virili, ubi ubi demum se se facultas, ac occasio tulerit, eundem reapse, fidáque operis exhibitione probare nititur, ac declarare: Quid enim juvet bene velle, nisi adsit & benefacere: siquidem voluntas sola cadaver est, verbis non factis animata. Ideò tibi paras amicum, ut habeas, pro quo vitam possis ponere: ut habeas, quem in exilium sequare, cujus te morti opponas, & impendas. Quid multis? cum eo societas, ac necessitudo ineunda est, qui suo incommodo, fortunarúmque suarum jactura tuetur amicum, qui collata beneficia non opprobrat, sed indies familiarem iis auget pro rei præsentis exigentia; non sua, sed achatis duntaxat bona inquirens. Nunquam etenim vectigalis est amicitia; sed plena decoris, & gratiæ: nec licitatione pretiorum, sed concertatione benevolentiæ comprobatur. Nec novit, quid sit verum amicitiæ fœdus, qui aliam vult esse mercedem, quàm ipsam.

CONTRARIUM. Sed respiciamus nunc ex adverso præclaram scilicet necessitudinis mutuæ conservatricem, versutam amici juris simulationem. Heu? quàm blandè agit cum familiari; sed ut noxiè illi imponat: ut mella & se sanum loquitur, ut ficto arridet vultu, frontem explicat, operam pollicetur, voluntati achatis lenocinatur: cæterùm non plus ejus causa præstat, quàm Garamantis, & indis, quos nunquam oculis usurpavit. Plurimúm (si Diis placet) emolumenti adfert urbibus, plurimùm Provinciis, regnis, & Imperantibus plurimum,

mùm. O Dii, Deæue omnes deperdant has benevolentiæ præstigias, hoc eruditum simulationis artificium. Illius enim veteratoriis artibus, ac imposturis intercidunt commercia, dispereunt societates, fœdera violantur, vincula amicitiæ solvuntur, voluntatum consensio eliditur, enervantur Provinciæ, intereunt regna, mala omnia in humanam rempublicam invehuntur. Non sim tibi author, eum in familiarium syllabum accensas; qui in fortuna tibi iniquiore, ad secundiorem alius deflectit; qui communionem laborum subterfugit, calamitatibus humeros subtrahit, consilio non tibi, at sibi studet, tuámque prosperitatem non tàm veneratur, quàm in suam utilitatem venatur. Erras, longissiméque erras, eum in necessitudinis jura accersendo, qui malefactis tuis adstipulatur; qui ficta tibi assentatur benevolentia, ut bonorum tuorum efficiatur particeps, ærumenámque tuam emulgeat, ac excantet. Nolim eum vero reputes amici obstringi sacramento, qui arcana pectoris tui in alienam refundit aurem; vitia tua palàm facit, virtutibus derogat, atque in id unum incumbit, ut illustre nomen tuum ignominiæ tenebris sepeliat, ac probri labe defædet, nulla temporum longinquitate diluenda. Amicitiæ vinculum discidisse eum noris, qui alieno amore distinetur, tuis frangitur adversis, periculis terretur, cedit egestate, & amicitiæ duntaxat fucum habet, varius, multiplex; versatilis, ad omne ingenium fraudis comparatus. Ecquid te juverint illecebræ, ac blandimenta à fronte, si à tergo in tuum sæviant exitium? Quid tecta per versutam demissionem obsequia, si animo superbè tibi dominentur? Quid facies liberalis, læti, renidentésque oculi. dulciora nectare labia, civilis, urbanúsque sermonis lepos, omnísque ratio humanitatis, & officii, tibi adfert emolumenti, si veterator, genio immani perfidiæ adversum te fremat in pectore, & de statu, ac conditione tua, opinione citiùs te exturbet? Eliminentur, jubeantúrque ædibus procul facessere vafri sycophantæ, qui fores tuas matutini salutatores obsident, qui licèt insidias animo struant, urbanitatis munera deferunt, mon-

ten-

sentem lenocinio verborum demulcent ; ærumnis tuis dolosè ingemiscunt ? lacrymulas amoris ficti testes fundunt, suaviantur, amplexantur, & interim supplicia, milléque mortes in perniciem tuam machinantur. O quàm satiùs foret cum vipera, aut hyæna, quàm cum ejuscemodi simulato familiari sub eodem tecto agere, commorari.

SIMILE. Sed ut veræ, falsæque amicitiæ iconismum clariùs adumbremus, utriúsque lubet adferre parabolas, quæ veritatem hucusque dictorum reddant illustriorem. Et comprimis quidem fucatæ similitudinem amicitiæ ab garrula Chelidone, seu Hirundine accipite. Nam quemadmodum hæc nota omnibus volucris, haud ingrata alioquin Veris prænuntia, durante tepidioris auræ clementia, æstivam nobiscum agit stationem: at ubi sole recedende rigidioris anni ingruit tempestas, vale nobis dicto, ad calidiores avolat regiones: haud aliter simulandi, fallendíque gnarus, in aurea felicitatis serenitate, dum omnia è voto fluunt, cadúntque è sententia, dúmque fortuna benignior aspirat, officiis amici colit, & sequitur amicum. Verùm ubi fortunæ hyemem apud achatem suum senserit, ubi adversitatum procellas incongruere viderit? discessionem continuò facit ab amico, infestæque sorti illum derelinquit. An non quoque rectè hos impostores cannis paluftribus compararim; quorum si opem in re afflicta expectas, pollicitóque favori inniti velis, in casum te agent, & ruinam. Et velut hydrargiris, seu argentum vivum, licèt auri glebæ sit arctissimè copulatum, nativam cum eo deserit unionem, ubi fuerit ignibus probatum; ita non rarò, qui indissolubili amicitiæ nexu obstrictum se amico profitebatur, laxaríque non posse necessitudinis vinculum asserebat; ubi adversitatis ignibus exerceri videt familiarem, longius digreditur, nè forsan unà alas suæ fortunæ adurat. At verò qui nulla simulatione tectum gerit animum, nulláque arte coloratum, in omni fortunæ varietate semper sibi constat, ac firmissimis amicitiæ præsidiis mu-

munitus, sortis vicissitudinem; ejúsque inclementiam intrepidè subit cum amico. Talis, ejúsque similes, ad cervorum naturam propius accedere videntur. Hi enim dum per fluvium aquis redundantem iter natando faciunt, capita arboreis cornibus gravia tergo antecedentium imponunt, sese invicem sublevantes. Id symbolum est eorum, quorum benevolentia, animorúmque conjunctio ad summum pervenit. Illi quippe, ut commodius, tutiusque per tempestuosum sortis adversæ pelagus transitum faciant, onera præsentis vitæ mutuis imponunt humeris, omnem gravioris fortunæ molem vera, germanáque fide invicē sue collantes. Quid multis? gemini sunt oculi, qui se non fictè in oculis ferunt, Quò alterum oculorum converteris, alterum vertas est necesse. Quò alter spectarit amicorum, spectet alter oportet, pari voluntatum consensione, pari studio, paríque affectu.

EXEMPLA. At nè rem suapte naturâ claram pluribus illustratam eamus, ad ectypa veritatis hujus confirmandæ ergo gradum faciamus. Et primum quidem veræ amicitiæ exemplum nobis exhibet virtute, ac genere celeberrimus eques anonymus, Garziæ non uno lustro fidei constantia probatissimus. Fortè inter Ferdinandum Hispaniæ, & Garziam Navarræ Reges, fatale bellum exarserat, non nisi partium sanguine restinguendum. In hac periculosa belli alea, Garziam opportuno sermone fidissimus eques obsecrat, à prælio, vitæ fortunarúmque discrimini obnoxio, tantisper abstineat. Apprimè enim compertum habuit rei bellicæ gnarus, inferiorem viribus adversarii esse Navarram, & Regem à suis, apud quos male audierat, haud dubiè in conflictu esse deserendum. At Garzias suis copiis temerè fretus, insuper habet equitis monita, æstuánsque intempestivo bellandi consilio prælio sese adornat. Hic iterum spectatæ fidei miles instat, urget, ac propè lacrymis perorat, hostili campo suam nè credat fortunam, nì ultima velit experiri. Sed littori verba facit, actumque agit. Quare de salute Principis conclamatum esse videns, in hæc prorumpit, ducto è fideli pectore suspirio: eheu? statutum video, ut interficiaris. Cui

rei

rei cùm nihil opis adferre queam ; id enitar saltèm, nè te vel mortuum, vel devinctum cogar intueri. Quo dicto, sagum aliáque Martis insignia exutus, solo ense, hastáque instructus, in confertissimos cuneos irruit, amplius non rediturus. Maluit quippe mortem oppetere, quàm superstes videre eum immaniter trucidatum, aut cum decore victum, quem vero amici jure hucusque secutus fuit. (a) O præclarum inconcussæ fidei argumentum! Et nè ab Iberia longiùs abeamus, alterum haud fucatæ amicitiæ exemplum damus in Ferdinando Ximenio, altissimi sanguinis Hispano adolescente. Solverat is è portu Hesperiæ cum germano, vela faciens in citeriores partes Indorum. Interim exortâ tempestate, maríque fervescente, navis ultrò, citróque jactatur, omnésque in fluctus & procellas erat effusura, ni lembum adhærentem continuò petiissent. Verùm quia linter citrà periculum naufragii omnes ferre non valuit, sancitum est à navis Præfecto, jactâ aleâ, nonnullos in undas præcipites agi oportere. Quæ sors cum Gasparem Ximenium, Ferdinandi fratrem natu majorem tetigisset, hic amorem in Germanum testaturus, vices ejus subire enixè petijt, obtinuítque, nequicquam altero reluctante. (b) O Benevolentiam, & amorem, non inani verborum profluvio, sed opere demonstratum! Neque hìc prætereundum existimem rarum amicæ fidei exemplar in Triumfara Rege Cocinensi. Confugerant subinde ad eum velut asylum, Lusitani, quos populi barbaries internecioni dare laborabat, pacem fœdúsque amicitiæ cum hoc Rege orientalis Indiæ paciscentes. Sed mox in gentis Lusitanæ excidium, summatum, civiúmque ortâ conspiratione, Principem suum accedunt, eíque sunt authores, quia adurgent, Lusitanos, quos suæ fidei creditos acceperat traderet sinè mora enecandos. Illi verò obniti, palàm negare, decerereque: omnia se potiùs, quàm fidem amissurum. Vitæ enim, ajebat, spatium breve, ac definitum: perfidiæ macula sempiterna. Quam ob rem cum fovere

(a) *Roderic. Toled. lib. 6. rer. Hispan. c. 10.* (b) *Sabell. lib. 3. c. 7.*

pergeret invisam suis gentem, eáque de causa grave bellum ei indiceret Zamerinus Calecutanus Rex: Lusitanísque dimitti postularent, nè eorum præsentiâ ea armorum potestas oriatur, bono animo vos esse jubeo, inquit Triumfara: divinæ Providentiæ fidite, quæ bonas causas, dum in potissimum discrimem sunt adductæ, sublevare consuevit. Neque enim permissurum me scitote, ut ii quos semel in tutelam, atque amicitiam recepi, me vivo, & consentiente ad alienam opem supplices, ac vagi confugiant. Sed victus tandem, pulsúsque regno fuit. Cùm verò denuo, ut vicissitudini subjecta sunt mortalium ingenia, priorem ei fortunæ statum deferrent populi, hac tamen lege, si fœdus pacis cum Lusitanis initium, missum faceret, abnuit edicens; sceptrum, & vita eripi potest, fides non potest. (c) Noverat enim verò sapientiæ dogmata probè callens Rex Triumfara: fidem sanctissimum esse pectoris humani bonum, quod nulla necessitate ad fallendum cogitur, nulláque prece, aut pretio corrumpi velit. O hominem, gente quidem, & solo, at non animo, & sensu barbarum, dignum, qui in ideam Christiani orbis Principibus imitandam proponatur. Huc denique facit magnum illud lumen Angliæ Thomas Morus, veræ amicitiæ nunquam non fautor, ac protector, etiam in adverso vitæ cursu constitutus. Cùm fortè quispiam decretoriam mortis sententiam, eámque qualis in latrones ferri solet, à benignitate, & clementia Regis mitigatam viro de republica optimè merito assereret: reposuit virtutis, ac sapientiæ famâ illustris Morus in hæc verba: ejusmodi regiam benignitatem avertat DEus ab omnibus mihi quacunque necessitudine devinctis. (d) Atque ita jus amicitiæ ne quidem inter fata deserendum esse, virorum sapientissimus judicabat.

TESTIMONIA. Sed quid ego multis de amicitiæ jure dissero? non pigeat ea accipere, quæ de hac virtute transmisit posteris latinæ facundiæ pater. *Est* inquit ille, *amicitia nihil aliud, nisi omnium divinarum, humanarúmque rerum*

[c] *Just. Lipsius Monit. Polit. lib.* 2. *c.* 12. [d] *Eras. Roder in ejus vita.*

rerum cum benevolentia, & charitate summa consensio: quâ quidem haud scio, an exceptâ sapientiâ, quicquam melius homini sit à Diis immortalibus datum. Principio, cui potest esse vita vitalis, ùt ait Ennius, qui non in amici mutua benevolentia conquiescat? Quid dulcius, quam habere, qui cum omnia audeat sic loqui, ut tecū? Quis esset tantus fructus in prosperis rebus, nisi haberes, qui illis æquè, ac tu ipse gauderet? Adversas verò res ferre difficile esset sinè eo, qui illas graviùs etiam quàm tu ferret. Denique cæteræ res quæ expetuntur opportunæ sunt singulæ rebus ferè singulis: divitiæ, ut utare, opes, ut colare, honores, ut laudare, voluptates, ut gaudeas, valetudo, ut dolore careas, & muneribus fungare corporis: amicitia res plurimas continet: quòquò te verteris, præsto est, nullo loco excluditur, nunquam molesta est. Nam & secundas res splendidiores facit, & adversas partiens, communicánsque leviores, [e] Hæc de amicitia flumen eloquentiæ. Nec menti ejus refragatur Romanus sapiens, ità de eadem disserens: *Nihil æquè ægrum reficit, quàm amicorum affectus. Non judico me mori, cùm illos superstites reliquero, puta, inquam, me victurum non cum illis, sed per illos.* (f) Et quid aliud sensisse censeam clarissimum rerum gestarum scriptorem Salustium, cum illud monimentis suis inseruit: *non exercitus. neque thesauri præsidia regni sunt, sed amici. Quos neque armis cogere, neque auro parare queas, officio, & fide parantur.* [g] Audite quid in eandem sententiam dicendi gloria præstans Quintilianus memoriæ posterorum transmiserit. *Non reperio,* inquit, *quid in rebus humanis excogitarit natura præstantius amicitiâ. Nam primum induit nostris pectoribus quandam societatem, quæ mutuo gaudere congressu, contrahere populos, condere urbes edocuit, & cùm mentibus nostris varios impoluerit motus, nullum profectò meliorem benevolentiâ tribuit affectum. Quid enim foret humano generi felicius, si omnes possent esse amici? Non bella, seditiones, latrocinia, lites, cæteráque mala, quæ hominibus ex se ipsis nata sunt, accessissent.* Et tamen, ut inquit Symmachus, *plerumque officiis simulatur affectio. Amicitiæ autem sinceritas*

(e) *De amicit.* (f) *epist.* 79. (g) *in Jugurt.*

pectoris magis fidem postulat, *quàm delinimenta sermonis.* Unde monet amicum inquiens: *ergo parce verbis lenocinantibus, & fuco oblitis, & ad gratiam comparatis.* [h] Non incongruè fucatæ consuetudinis iconismum adumbrat, quidam rei poeticæ non ignarus sequentibus metris.

Hunc quem vina tibi, quem mensa pararit amicum,
Esse putas fidæ pectus amicitiæ?
Vinum amat, & cyathos, & sumina, & ostrea, non te.
Sublato vino nullus amicus erit. [i]

Adeo nemo est ita amans amici, ut ait quidam veterum; *qui non malit sibi bene esse, quam alteri. Sed maximè noxia eorum est amicitia, maximéque fugienda, qui sub amicitiæ specie lædunt, longéque deterior iis, qui se apertè inimicos profitentur.* Quare lumen illud sapientiæ Boëtius asserere non dubitavit: *Nullum pestem esse efficaciorem ad nocendum, quàm familiarem amicum* (k)

EPILOGUS. Fateamur itáque est necesse AA. nihil Antigonum à Dijs immortalibus, magis providentiæ humanæ conveniens flagitare potuisse, quàm ab simulatis familiaribus præservari. Quapropter qui rectè sapitis, delectum quendam amicorum habendum esse scitote, morúmque comprimis parilitatem ad libellam rationis exigite, cùm non facilè disparia in amicitiam coalescant. Neque intermittendum est, sagacius perquirere, ac videre, quinam veteres suos familiares coluerit, habuerítque, cujus expetimus consvetudinem. Optimè tamen omnium veri amici, indolem exploràtis in rei familiaris angustia, rebúsque in adversis, & vacillantibus Felicium enim multi sunt amici. Sed eos præsertim incorruptos familiares judicato, qui te non lucri causâ diligunt, sed propter ipsam amicitiæ virtutem. Alia quippe amicitiæ species, quæ tempori servit, non tam amicitia, quam negotiatio quædam, & mercatus est censenda. Nè verò in delectu familiarium unquam fallare, genuinæ tibi amicitiæ imaginem rudi licèt eloquentiæ penicillo lubet effingere, quã jugiter

(h) *declam.6.* (i) *Mart.lib.2.* (k) *de consol.*

ter contemplere. Juvenem, inquam, haud fucato verborum pigmento exprimo, vernante ætate floridum, operto capite, viliore tunicâ amictum, in cujus ora exaratum sit diverbium: vita, & mors. In explicata frontis area hyems, & æstas suam figit stationem. Patula est lateris officina, digitus verò cordi intentus cū epigraphe; longè, & propè. Illustro has Lycophrontis tenebras. Florentissima vultûs juvenilis gratia, denotat amicitiam florentem semper, vigentémque esse oportere. At quid opertum caput? ut pateat jugiter animi fides, nec aliud fronte simulet, aliud pectore tegat. Quid rude amiculum? solertiam laborum in amico postulat, útque duram etiam pauperiem pati, si rerum status flagitat, sit paratus. Quid mortis, & vitæ titulus in vestimenti lacinia? perpetuam significat societatem, ad vitæ usque terminum continuandam. Quid in eburnea frontis planitie discurrens æstas, & hyems? firmum quovis tempore prospera inter, & adversa amorem deposcit. Apertum verò pectus, candoris, & simplicatis typum exhibet: digitus autem cordi intentus, convenientem illi, consonantémque linguam esse debere luculenter demonstrat. Ad extremum inarata cordi epigraphe: longè, & propè, perpetui est amoris symbolum, ut seu præsens, seu absens nunquam non adsis ei, quem arctiori consuetudinis vinculo obstrictum habes. Verùm hìc fortè quispiam ex me sciscitabitur, ubi ejusmodi familiarem reperturi simus? Ne vos prolixiore morâ distineam: floridum habemus Nazarenum, amicitiam omni fuci carentem nobis ultrò offerentem. In cujus non tam fronte, quam manibus vita est, & mors nostra. Nè verò de ejusdem integerrimo amicitiæ jure quidquam ambigere valeamus, hiante, apertóque nobis pectore, paternum, ac fraternum amorem loquitur, omnis fallaciæ expertem. Hunc si nobis, qui amicitiæ desiderio tenemur, virtuoso consuetudinis nexu devinxerimus, prospera inter, ac adversa nos tutabitur, semper idem in omni rerum vicissitudine, sempérque individuus comes & achates.

 CHRIA

CHRIA III.

Agesilaus Menecratem artis medendi peritum, Jovémque se appellantem, ad saniora consilia revocaturus, hunc ei Laconismum perscripsit: sanam mentem.

Ælian. lib. 2. var. hist.

EXORDIUM. Ea fuit Agesilai Græcorum Principis tum literarum, tum armorum scientia, ut non satis proclive sit judicatu, plúsne arte, quàm Marte, lingua quàm manu, stylo, quàm pilo, dicendi, quàm bellandi facultate præclarior fuerit; præstantiorque. Si tamen ad veri stateram utrumque exigere licet, ego sanè in animum induco, Agesilaum scientiæ gloria, illustre decus martium obscurasse, omnémque tractandorum armorum peritiam, ingenii pernicitate longè, multúmque prævolasse. Et quamquàm eximias sibi laudes bellandi arte pepererit, quamquám non unum ab hostibus fusis, fugatísque triumphum retulerit, plurimásque messuerit laureas in campo martio, atque indè non vulgarem ab universa Græcia venerationem sit nundinatus, longè tamen majorem nominis famam ad eruditam transmisit posteritatem fœtis sapientia effatis, quæ velut oracula, ad debellandas vitiorum acies depromebat. Non equidem diffiteor gloriosa Agesilaum gessisse bella, palmas sæpe sæpius victoriæ retulisse, regna, ac provincias fascibus Græciæ subjecisse, atque Imperatoris bellici munere cum laude nunquam non defunctum fuisse, at verò ingenii victoriæ, quas retulit, triumphi sapientiæ, quos egit; eruditionis trophæa quæ erexit, longè majorem utilitatém posteris futuris ætatibus æmulationem, eíque perennaturam nominis famam præ martiali gloria attulere.

Sed

Sed nè generatim duntaxat de Agesilai sapientia disseruisse videar, unum singularis ejus ingenii partum in lucem proferre liceat, ex quo, velut ex ungue leonem, facili negotio miram ejus sapientiam inferre possimus. Acceperat subinde virorum sapientissimus, Menecratem medendi aliàs peritissimum, plus æquo supra conditionem humanam sapere, altiùs, quàm par erat, supercilium tollere, ac in ipsa adeò supremi Deorum jura inviolare, sibíque Jovis nomen insolenti arrogantia vindicare. Ut proinde hunc novum Æsculapium saniori animo redderet, hocce diverbium eruditissimo suo graphio ad illum exaravit. *Sanam mentem.*

PARAPHR. Quid amabò, hoc scripto sapientius; quid, quæso divinius dare potuit ad infringenda elati hominis cornua, quibus se se ad ipsum Jovis augustal efferebat? Quibus verbis succinctà brevitate perscriptis, quantùm conjectura mihi licet assequi, hæc, aut his similia Menecrati significare voluit. Quid agis, quid moliris Menecrates? Quæ te habet vesania? Quid? túne eum te arbitrere, qui superis juxtà, ac inferis summo imperio, altissimóque jure præsidet. Túne Jupiter supremus ille Deorum pater? Ergóne jam immemor conditionis humanæ. quidpiam tibi largiris amplius, quam congruat homini, ac veritat.? Itáne mortalitas jam tuo effluxit animo, ut ad Deorum immortalium gloriam mente allurgere non verearis. Prô facinus post homines natos inauditum. Quare si necdum te fugit ratio, animo deinceps graviter pertracta exilitatem tuam, nulli non calamitati obnoxiam, quæ profectò tanta est, ut aliud haud esse videatur, quàm omnium miseriarum lacuna. Quod enim malum est, quis languor, quæ sinistra valetudo, morborúmque examina, quæ corpus tuum, quamvis etiamnum valens, vigénsque obsidere non valeant. Quod si verò animum tuum pensiculatius exigere velis, an non sedes est pravitatis, omniúmque vitiorum seminarium, ut ipse elatione animi luculenter palàm facis. Eccur itáque vanè tolleris terra, & cinis. Eccur nihili nihilum ad Jovis aspirat majestatem. Ergone gratuite à benefico Numine

erogata tibi munera, in te ipsum convertes authorem? Ergóne perverso celsitudinis appetitu, desertóque, cui animus inhærere debet principio, tibi esse, aut fieri principium fatuâ opinione persuades? Si porrò tumere pergis, habes, quod jure reformides, nè indeptis è Jovis liberalitate animi, corporisque dotibus merito orbatus, ridenda evadas cornicula, à Cælo, & terra exsibilandus. Agesis, si etiamnum aliqua tibi sapientiæ lux oboritur, & continuò cristas arrogantiæ ponas, nè Jupiter faciem tuam impleat ignominia, novúmque Icarum altius se se super astra efferentem, eliso fulmine in mare opprobrij præcipitem agat, unde non dabitur amplius eluctari.

CAUSA. Sed quid obsecro ad eam elati animi vesaniam Menecratem permovit? Unde spiritus solito majores sumpsit? Quid erat, quod cum ipso Jove de tanti nominis honore decertàrit? Nisi mea me fallat sententia, ars medendi, quâ cæteris eminebat, saniorem ei mentem eripuit, & haud obscurum alioquin intelligentiæ lumen spissioribus tenebris involvit. Equidem non inficias eo, multis te medendo profuisse, sed hac animi intemperantia plurimum tibi obfuisti. Alexipharmaca aliis præbuisti ad morborum vim elidendam, at ipse jam helleboro eges pro reddenda menti sanitate. Non unum in vitæ, mortísque confinio jam stantem ad vitæ limen revocasti, sed tuam ipse tumulas non jam medicus, at vespillo rationem. Complures ab aqua intercute per efficax antidotum liberasti, jam verò ipse superbiæ hydrope tumes. Haud paucos de mentis statu dejectos ad sanam mentem erexisti, jam verò ipse à mente alienus, ad morotrophium esses deducendus. Malum epilepsiæ è plurium corporibus per amuleta sæpe numerò ejecisti; jam ipse longè graviori animi ægritudine laboras, téque ipsum non nostri amplius, nec ea, quæ ante pedes tuos jacent, verâ perspicis, ut oporteret, cognitionem. O malè capitate, Amphistidéque stultior Menecrates. O lympaticum, ceritúmque caput! O Æsculapi barbâ tenus sapiens, morionibus, non medicinæ doctrina claris accen-

accenſende ? Quid te à ratione avertit, æſtróque concitavit; ut faſtu adeò thraſonico, atque inſolenti turgeres? Potuítne exilis portio ſcientiæ in tantum cervicem attollere, pectúſque inflare; ut Jovis rerum omnium Domini, tibi affingeres perſonam, & quaſi in aere volitans omnium capita protereres, etiam Deorum? Hæc arrogata inſolenter animi magnitudo tumor eſt duntaxat, quod verò tumet, longiſſimè à vera magnitudine abeſt. Magnus es in oculis tuis, at puſillus, & exiguus, & propè nullus in noſtris. Magna de te nominis tui buccinator crepas, at ſplendidè mentiris, quod non agit Jupiter. Immortalia laudis præconia intempeſtivo appetit deſiderio, quæ nunquam utpote mente captus aſſequére. Nemo unquam per arrogantiæ gradus, ad honoris veri faſtigium iter habet expeditum.

CONTRARIUM. Ille ex adverſo in altum gloriæ culmen perfacilem ſibi planat ſemitam, qui altiùs virtute demiſſionis in ſe ipſum deſcendit. Quò longiùs à crimine elationis abfueris, eò ampliùs extollêris. Neque te de ſtatu dignitatis tuæ deturbandum exiſtima, ſi faſtu omni, & inſolentia vacâris. Quo enim deſpicentiâ tui inſignior fueris, Majeſtatíſque tuæ faſces, ac vexilla magis omnibus ſubmiſeris, eo univerſi ampliùs te ſuſpicient, honorémque deferent ampliorem. Ad Jovis celſitudinem aſſurgere nunquam poteris, ad uſum familiarem potes, ſi modeſtiam præ te tuleris ſingularē, nihil omnium, quæ Sol videt; tibi arrogando. Neque aliam indipiſcendæ, gloriæ rationem exiſtima, quam fugam ejuſdem. Hæc enim fugit proſequentes ſe, fugientes verò eò ſequitur, dum comprehendat. Si nominis tui famam ab interitu ſatagis vindicare; nè palàm laudis te ſtudioſum eſſe profitearis. Ea quippe, ut natura ipſa comparatum videmus, hominum pleno rationis uſu præditorum eſt conſuetudo, itáque jam nos invaluit, ut minùs colant thraſones cupidos honoris. Ab omni ſupercilio, faſtúque longè alieni, omnibus ſunt amori. At vero nimium quantum adverſus omnes tumeſcentes, elati, & inflati, ſuóque judicio æquo plùs ſapientes, quíque voces inſolentis faſti-

 dii

dii, & arrogantissimi spiritûs plenas effundunt; ab omnibus habentur despicatui, nullius ordinis, ac loci, inglorii, propudiosi. Nec abs re hæc aspernatio, & vilipensio infastuosos detorquetur, siquidem tantùm abest, ut ab insanis secernantur, ut etiam ad trivialem popularium fæcem amandentur. Quid quod existiment, satiùs esse nasci pinguiore Minerva, deploratíque ingenii esse hominem, quàm supra communem mortalium sortem arroganter, insolentérque se efferre. Nam in illis, quos natura ad crassum aërem, & Bæotiam condemnavit, inopia est mentis, nullo crimine voluntatis procurata, at verò qui nimiùm sibi tribuunt, spiritúsque solito majores sumunt, suopte motu à ratione avertuntur, morbúmque sibi inducunt vecordiæ, omnem prope curationem, ac medelam eludentem. Verùm enim verò ab hac insana animi ægritudine longissimè absunt ii, quos rectæ sapientiæ ductus, in claram sui, rerúmque caducarum ducit cognitionem.

SIMILE. Quemadmodum enim quò directiùs nos suis ferit radiis illustrissimum illud, princépsque cæli sidus, eò minor umbra nostri spargitur: quò verò obliquius nos aurea sua luce spectat, eò major, longiórque increscit umbra corporis: haud aliter se habet cum viro, egregia rerum, ac præsertim sui notione claro, qui quantò plus veræ est assecutus sapientiæ, tantò minùs magnificus est sui præco: quò verò longius abest ab eruditorum lumine; eò se dilatat arrogantiùs, & philacteria sua magis explicat, stultissima non raro persuasione sapientiæ. Ejusmodi insolentem, elatúmque animum, haud absimilem etiam vaporanti in sublime fumo esse dixerim, qui quò spatiosis, glomeratísque suis voluminibus tollitur altius, eo magis magisque dissipatus evanescit. Pari ratione inflati arrogantiæ tumore buccones, quò magis suffragante, aut satius protrudente fortunâ, in altum gloriæ, ac honorum evehuntur, tanto amplius in sensu, & animo suo vanescentes, se ultra suæ conditionis modulum metiuntur. Sed ut hæc pluribus clariora reddamus, an non furor arrogantiæ ventorum rabiem, naturamque imitatione exprimit

mit? Nam veluti debacchantes ventorum feriæ lumen enecant, rorem exsiccant, pulverúmque nubes excitant: ità sanè arrogantiæ inflatus tumor, extinguit lumen sapientiæ, arefacit rorem gratiæ, pulverémque concitat vanitatis, quo obcæcati superbiæ filii, offendunt in vitia, & per devium à ratione, ac virtute tramitem acti, in perditionis barathrum delabuntur. An non quoque rectè compararim hæc arrogantiæ mancipia cum fæda araneorum sorte, qui ut muscas aliquod vana æstimationis, famæque aucupentur; se inani opere eviscerant, & consumunt, bonáque sua prodigunt, & disperdunt. An non gallinarum glocitantium sunt de genere hæc cristata superbiæ capita; quæ dum acta sua decumano labore parta plùs æquo prædicant, omnia deperdunt, amittúntque, vel edentula anu famæ eorum derogante. Sunt demum sunt hi inflati arrogantiæ folles; Æsopici ranunculi, ventrosæque cucurbitæ, qui ubi magnitudinem alienam student æmulari, atque spiritu immoderato se distendunt, disrupti intereunt æterno nominis sui, gloriæque dehonestamento.

EXEMPLA. Testis mihi luculentissimus est hujus veritatis Diocletianus Imperator; qui post relatam de Persis victoriam, usque adeò humanam conditionem oblivioni tradidit, ut ritu Deorum de genu salutari voluerit, fratérque Solis, ac Lunæ passim compellari. Nec deerant moribus ejus servientes, palpumque obtrudentes parasiti, ac gnathones; qui se pedibus ejus advolverent, basia figerent, & divinis honoribus superciliosum Principem venerarentur. At tumentem plùs nimiè hunc purpureum utrem divina ultio est subsecuta. Omnes quippe corporis artus in aqueum tumorem abierunt, lingua fœdum in modum verminavit; spiritus demum fastu plenus eò se contulit, ubi primam habet sedem arrogantiæ caput, & origo. (a) Testis hujus veritatis est Caligula Imperator; qui ut stata Diis sacra à populi Romani suffragio obtineret, hac argumentandi ratione persuadere adnisus est. Ovium Pastor non est ovis, nec boum

(a] *Sigon. lib. 1. de occid. Imper.*

bonum bos, nec caprarum capra ; ergo nec hominum re- ctor homo est. Quid igitur ? DEUM esse est necesse. O Stolidum disserendi modum Bæoticæ auri proponendum ? Et tamen Deorum insignia , quoad vixit , detulit , nempe Mercurii caduceum , & talaria , radiantem Apollinis coronã, ejusdem arcum, & sagittas, Martis thoracem , clypeum, atque ensem; sed quo tandem in pœnam arrogati honoris immaniter trucidatus est. [b] Pari fato vitam clausit, de eadem fastosa sorte Imperantûm Diocletianus , qui publico edici jussit sancito, ut nè scripto quidem , aut sermone alter , quàm Dei nomine compellaretur. Quamobrem in arce Capitolina statuas ex auro , argentóque fabrefactas poni præcepit. Hinc phaleucus ille bene uncti gnathonis. *Edictum Domini , Deique nostri.* At hic tandem Deus mente motus, pecudis in morem est interemptus. (c) Non desunt alia longè clarissima arrogantiæ depressæ argumenta , quæ, nè æquo longiores simus, volentes, lubentésque missa facimus. Unum tamen præterire non libet Alphonsum X. Hispaniarum Regem, ad Menecratis insaniam proximè accedentem. Is adeò scientia, & honore intumuit, ut supra homines sibi sapere visus, DEUM quoque, Déique opera, ad coticulam ingenii sui exigere non dubitarit. Non equidem hunc mathematices doctum diffiteri velimus. Noverat apprimè siderum ortus, ac occasus, motus, positiones, stationes, aliáque id genus Astrologorum arcana , peracuta ingenii sui acie penetravit. Non inviti ei concedimus, propè cognita habuisse stellarum discrimina, tam erraticarum, quàm fixarum; modò una non inficietur, dementia se laborare fanatica , erraticáque sua opinione. Ausus quippe fuerat, DEI, suíque oblitus, infanda blasphemia palàm jactare : si ipse à principio creationis Mundi DEI consilio interfuisset , futurum fuisse , ut nonnulla meliùs, ordinatiúsque conderentur. O sacrilegam impudentissimi oris temeritatem ! O pulchrum caput , sed cerebro carens, ingeniumque turpiter hirtum. Quid ? an mens humana, comparatè ad DEUM , pistillo retrusior, plum-

[b] *Athen. lib. 4. c. 17.* (c) *Sigon. lib. 1. occid. Imp.*

plumbóque obtusior, illimitatæ sapientiæ præscribat dogmata rerum creandarum ? Quid ? An contra interminatæ perfectionis Oceanum, inanis bullula levabitur? Ergóne veri lumine orbatum talpæ opprobrium, illud immensum jubar vocârit ad notam censoriam? Ergône tenebrio, noctis,& caliginis profundo immersus; æterno Soli lucem velit ministrare, aut adjicere? Itáne te consiliatore, te autore, te auspice in deliberationem abeat rerum creandarum Idea, mundique sapientissimus effector; ac molitor DEUS? Prô arrogantiam non ferendam, juréque meritam, cui hæreat fulmen; æternitálque pœnarum. Sed quæ benignissimi Numinis, nullo limite circumscripta est miseratio, ceritum caput ad sanitatem vocatur, quod immissio fulmine in cineres erat redigendum. Cæterùm culpam quidem lachrymarum imbribus diluit, pœnæ tamen, reatum tantæ arrogantiæ debitum non effugit. Quippe à filio suo regni insignibus exutus, mœroréque confectus, diem clausit extremum inglorius, capùtque sublime in pulverem reclinavit. (d)

TESTIMONIA. Ità nempe licèt ethnico, sapienti tamen ore morum Magister Seneca est effatus: *sequitur superbos ultor à tergo DEUS.* [e] Et alpha ille historicorum Livius inquit: *superbiæ licèt fera, non leves tamen veniunt pœnæ.* [f] In hujus sensum venit mithologus ille Æsopus, quem cùm percontaretur Chilo: *quid DEUS faceret* reposuisse fertur: *excelsa deprimit, humilia exaltat.* [g] *O stultissimum malum arrogantiæ!* exclamat Romanus sapiens; (h) *quod cælum vanis cogitationibus petit* teste Curtio, *& avium modo, quas natalis levitas agit in sidera, inani, ac puerili mentis affectu se effert.* (i) *Neq; enim parvis tibiis intumescit arrogans, sed plenis follibus* inquid Tullius, [k] *quique se vult posse omnia: neque præterea quicquam esse, aut in ullo homine, aut in ullo ordine.*

[l] Un-

[d] *Roder. Sanc.* 4. *part. hist. Hispan. c.* 5. (e) *in Hercul. fur.* [f] *lib.* 3. [g] *lib.* 1. [h] *lib.* 2. *de benefic. cap.* 13. [i] *lib.* 4. [k] *lib.* 2. *epist.* 16. *ad Attic. de Pompejo loquens.*

(l) Unde rectè præcipere videntur, qui monent: ut *quantò superiores sumus, tanto nos submissiùs geramus. Nulli enim magnitudine magis carent*, ut Plinius affirmat, *quam qui sibi majestatem maximè vendicant.* (m) Et *omnes* ut Plutarchus perhibet, *quos vecors animus supra cogitationes extollit humanas, altum quiddam, & sublime spirare se credunt. Cæterùm nihil solidi subest, sed in ruinam prona sunt quæ sine fundamentis crevêre.* [n] *Vana est hæc superbiæ magnitudo*, ut iterum cum Annæo loquamur, *& quæ in odium etiam amanda perducat. Et quò altius te sublevasti, hoc depressior es, ostendisque te non agnoscere ista bona, quibus tantum inflaris. Multùm interest inter sublimem animum & superbum. Quidquid enim leve, & inane in animo est, secunda se aura extollit, & fragilitatis humanæ nimia in prosperis rebus oblivio est.* [o] His assonat Poëta Alexandrinus ità canens:

Inquinat egregios adjuncta superbia mores.

At quid de arrogantiæ vitio, altiori, diviniorique afflati Spiritu sen sêre viri, sanctimonia, literarúmque cognitione orbe toto celeberrimi? Quæ illorum est mens; qua sententia? Paucis accipite. *Superbia est perversa DEI imitatrix* Augustino (p) *extrema quædam dementia* Chrysostomo, [q] *initium omnis peccati* Anselmo, [r] *signum reproborum, ac regina vitiorum* Gregorio Magno. (s) omnibus dementia, extremáque sors fatuorum.

EPILOGUS. Quamobrem plenum sapientia diverbium, non tam ad Menecratem, quàm ad omnes arrogantia tumidos, dedit clarissimus eruditione Princeps Agesilaus. Qui proindè illustriore sapientiæ fama clarere deinceps aves; illam Doctoris Græcanici gnomam, reddendæ mentis sanitati perquàm oppositam indies tibi ante oculos statue: γνῶθι σεαυτὸν, nosce te ipsum. Originem nativitatis suæ sæpenumerò recogita, caducæque decus gloriæ crebrius cognitione perlustra, ut deposito fastu, æter-

(l) *pro Cluent.* [m] *in paneg.* (n) *in apoph.* [o] *in epistolis.* (p) *lib.* 19. *de civit. DEI. c.* 12. (q) *serm. contra desp. & superb.* [r] *super epist. ad Tim.* (s) *lib.* 34. *Moral.*

æterna tua felicitate demissis animo apparata perfruare. Depone itáque Menecrates,nam potissimùm tecum mihi sermo est,depone vilissima terræ cochlea,arrogati fastûs cornua, nè Jupiter vel levi tactu ea perstringat, cogátque abjectam humo domiportam ad suum regredi vilitatem. Non es,quantumvis medendi haud vulgariter peritus: non es, crede mihi, Machaon, aut Podalirius, vel de genere Jovis, ut vano forsan tibi arbitratu persuades, Æsculapius, in patris solium, ac jura ex asse admittendus In censu es mortalium,quibus fas non est ad divinos honores aspirare. Si Prometheus esse exoptares, atque ad ipsam solis rotam facem accendere molireris, quamquàm nec illud piaculo vacaret, ut funerata morborum vi corpora ad novam animares vitam, sustinendum adhuc equidem foret. Sed Jovis ipsius divinitatem præseferre, hoc enimverò hominem delirum probat,ad Antyciras pro helleboro transmittendum. Nolim ego equidem medendi imperitus medicinam facere ægritudini animî tui, at si tantisper faves, specularem tibi orbem, ab ipsa sapientia mutuo acceptum repræsento ; claram videlicet notionem vilitatis tuæ, quæ miserias humanæ vitæ proprias clara in imagine offerret pervidendas. Videbis in eo citra errorem tui nihilum, eoque ritè perspecto; nullam tui æstimationem concipere valebis. Videbis scientiam tuam, qua insolenter tumes, nec ad primum sciendi gradum pertigisse, plúsque inesse falsitatis rerum humanarum cognitioni, quàm genuinæ veritatis. Videbis demum artem tuam omnem, præsidiáque valetudinis plures tumulo intulisse, quàm lucis usuræ restituisse. Sed nè pluribus te distineam, tuáque forsan abutar patientia, illud ad extremum te monitum velim ; ut omne tuum esse, qualequale demum sit, ad nihili tui fontem perpetim reducas. Sola atque unica virtus demissionis te magni faciet apud Jovem, apud homines, ac virtutum sectatores. At si popularis gloriæ ardelio in posterum audieris, minimo loco eris apud omnes, homo tressis, projectáque alga vilior, & nè quidem digiti crepitu dignus. Quid quod semper ages in doloribus, semper in mæroribus, nihilque erit.

quod

quod tua valeat explere vota, ac satiare. Quò plura acceperis, tantò pluribus egebis: & quantò majori fungeris honore; tantò ampliorem diu, noctúque concupisces. Quare, si me audis, involve te in nihilo tui; longéque abtis ac omni supercilio, & fastu & Jupiter te in gloriæ amplitudinem explicabit.

CHRIA IV.

Bion Philosophus cùm virum quendam pensiculatiùs contemplatus fuisset, dixisse perhibetur: aut huic magnum malum contigit, aut alteri magnum bonum. *apud Stob. serm.* 36.

EXORDIUM. Non ego hodie AA. eo teneor desiderio, quo olim flagrasse Augustum Cæsarem Romana ferunt monimēta. Annū is fortè undequinquagesimū agebat, tùm nescio quo gloriæ æstu effervescens, à Diis immortalibus precatus sibi fuisse perhibetur Scipionis fortitudinem, benevolentiam Pompeii, & Cæsaris fortunam nullis limitibus circumscriptam. Non inquam, hæc meus spectat animus, nec cupiditate ducitur ea indipiscendi, quæ magis vanitatem sapiunt, caducæque gloriæ inanitatem; quàm virtutem hominis ad leges Christianas conformari. Aliò hodierna luce feruntur desideria mea; aliud in pectore exardescit votum; nempe, pro dignitate, ac merito Bionis Philosophi verba coràm facere, ejusdémque dignam immortalibus fatis sapientiam apposito verborum apparatu explanare. At quamvis insideret ori meo Gallicanus Hercules, quamvis divini Platonis elogia, ipso digna Jove, Græcia mihi commodaret; quamvis Demosthenis subtilitas, Isocratis suavitas, Latiáque Tullii facundia triumphum in linguæ meæ foro age-

ageret, nulla tamen dicendi facultate in meritas ejus laudes assurgere valerem. minus sapientiæ arcana elucidare. Quis enim Bionis factum, dictúmque à sensu nostro adeo remotum, sublime adeò, & peracutum, altissimarúmque rerum mysteriis fœtum affatim valeat declarare, Ecquis argutos, reconditósque sensus, & erudita sapientiæ caligine involutos, tenebrosa ingenii sui lampade, pro eo, ut par est, valeat illustrare. Et quæ mea foret temeritas quæ væcordia, quæ audiendi licentia, si hunc clarissimum scientiarum Solem exili lumine eloquentiæ niterer adumbrare! Edisserat proinde ipsius, mentemque suam palàm expediat, quam ad eruditam antiquitatem non sinè admiratione deprompsit, dum pensiculatius quendam in statera intelligentiæ suæ exegisset, cernuo vultu nescio quid meditantem, ac edixisset *aut huic magnum malum contigit*, *aut alteri magnum bonum.*

PARAPHR. Et verò videor mihi hic videre Bionem Philosophico amictum pallio, contracto supercilio horrentem, caperata fronte annuentem; jamque docta tussi silentium imperantem; & in has, aut similes voces erumpentem. Videte hunc hominem AA. si tamen hominis gaudere potest prærogativa videte, inquam vultu liventem, pallore suffusum oculis depressum, macie confectum; torvum, ac obliquùm tuentem, crebrò suspirantem, labiis trementem, dentibus stridentem, & obscurum quidpiam immurmurantem. An non hìc vivum cernitis Invidiæ simulacrum? Quid ille vultûs livor, nisì clarum malevolentiæ indicium? Quid ille pallor, nisì mæstitiæ nota, ex aliena felicitate ortum trahens? Quid illa oculorum depressio, nisi abhorrens à bono æmuli obtutus? Quid macie torrida, & extenuata facies, nisì pulchritudinis alius à virtutis forma emanantis invidentia? Quid ductus ex imo corde suspiria, nisì ad beatiorem sortem rivalis aspiratio? Quid tremor labiorum stridor dentium, & fractæ, concisæque inter murmura voces, quàm livoris plùs quàm camini argumentum. Ita nempè ex invidiâ laborans bona vicini in suum trahit malum, obryzum vertit in æs Cyprium, gemmas in lutum, granum in pa-

paleam, massicum in aquam, mel in fel, diem in noctem, balsamum in aconitum. O quantum malum invidiæ tabes libero arbitrio inducta! O telum animæ, flamma cordis, ignis intestinus! Hoc igne lividus accenditur hac flamma in bustum, & cineres agitur, hoc telo perimitur, hac tabe transit in marcorem & putorem. Hoc vitio qui tenetur, suis malis, aliensque bonis infelix agit, multáque se noxa involvit. Etenim vix quispiam aut felicitate, aut opibus, aut dignitate floret, tum enimverò Invidentiæ ungues ad configendum æmulum illico sunt expediti: tum nulli religioni ducitur, falsa veris, veráque falsis commiscere, & seu pejerando, seu calumniando, primo columnam bene stantem impellere tum etiam ad ejus eversionem nullum non lapidem admovere. Cum verò falsis criminationibus incipit nutare columen reipublicæ, aut domesticæ, & jam loco moveri, exultat, gestitque malevolus, atque omnes vires convocat, ut admotis falsarum insimulationum machinis, paries jam inclinatus detur in ruinam. Quid plura commemorem? Livoris genius rectè facta in sequiorem partem detorquet, omniáque perperàm intrepretatur. Ab illo virtus in culpam trahitur, probitas, malitiæ nomine traducitur, morum compositio eruditum simulationis artificium reputatur, obsequendi studium, assentatio, cura rei familiaris, & solertia, quæstûs proprii inquisitio, candidior agenti modus gratiæ majorum præfidentia, fides, & veritas, parata allis decipula, omnis denique actio honestatis legibus conformata, in deteriorem partem accipitur, vitioque proxima accensetur. Hæc Bion verborum suorum author, & commentator, quantùm conjecturâ licet assequi, Philosophicâ libertate voluit, aut potuit fando proferre.

CAUSA. At quænam AA. mali hujus adeò exitialis causa, & origo? Equidem jam satis; superque ex præfatis haud dubiam liquere rationem existimem. Ut tamen veritati minimè obscuræ majus, majúsque lumen adferre videar, ajo citra ambiguitatem, causam livoris solam, atque unicam esse, quod alius à rivali in fortis felicioris gremio conquiescat. O iniquum malevolentiæ crimen! quod ex

eo mirum in modum angitur, si alius sinè cujusquam noxa, ex animi sui sententia vivat; in rebus secundis versetur, non confligans cum adversa fortuna. Ecqua tibi hinc injuria irrogatur? Ecquod famæ, nominisque dispendium accedit? Ecquod fortunarum, reique familiaris detrimentum? Quid pateris bipedum nequissime? Quid est, quod accessus prosperos vicini, limo, acerbóque oculo tuearis? Eccur in eum plaustra querelarum convehis, cur criminaris, si liberali sit facie, si eloquentiæ floreat laude, si generis splendore inclarescat? Quamobrem marcescis invidiæ tabo, si hic, vel ille altiorem dignitatis conscendat gradum, honoribúsque augeatur? Ideóne navis tua ad mendicitatis scopulos allidetur, reique domesticæ naufragium facies, si in vicinas ædes Cælorum munificentia, amplas, & copiosas opes effundat, si laborare, ac industriâ quis augeat rem suam familiarem? Eccur hæc, & alia tanquam telorum mucrones cordis intima pervadunt, lancinantque? Quid palmas complodis, quid digitos complicas, atque alia mœroris non levia edis argumenta? Cur jugiter tibi acerba est mensa, focus subtristis, injucundus reddituum, ac proventuum fructus, opésque omnes, ac facultates perosæ jam evadant? Cur clausæ sermoni sunt aures, si dextri quidpiam, atque fausti de vicino nuntiatur? Cur paratæ, ac faciles obtrectantibus illi, qui secundiore fortunâ? Ecquid reponis? An non hæc malorum ilias, nisi à verò discedere velimus, ab maligna Invidiæ scatebra promanat? Ità sanè. O fœdum livoris mancipium, ad malevolorum, cælóque deturbatorum spirituum conditionem jure præcipitandum!

CONTRARIUM. Quapropter si sapis, ut virum, ac hominem rationis legibus subjectum decet? abstersâ invidiæ labe, ejectáque ab anima hac virtutum tineâ alienæ felicitatis pretium, in tui honoris agas minerval. Si recto benevolentiæ oculo proximi tui faustiorem sortem intuitus fueris: non odio sequêris merita illius, aut munera, à benefico Numine in eum profusa. Ecquid te juverit bona alterius, quibus summâ DEI Providentiâ tibi carendum est, in malum tuum convertere? Quid alienâ

prosperitate torqueris, cùm non liceat terminos decretæ tibi à Cælo conditionis excedere? Cur æmuli gloriam, tuam facis pœnam, qui jure altiori ad tui status ordinem es damnatus? Quid pectori admoves, atque animo tortores, ac intestinis cruciatibus te laceras, sortísque tuæ limites transire flagitas, qui quod es, nunquam non eris, quódque vanis exoptas votis, nullo ætatis tuæ spatio assequeris. Fige stabilem, in fortunæ tuæ statione pedem, quam tibi designavit supremus, nullíque iniquus munerum diribitor DEUS. Hospitetur tecum sub humili lare patientia, societatem ineat animi submissio, aliæque virtutes jugem habeant apud te incolatum. Sic tibi ibunt dies finè fastidio; sic labentur noctes sinè insomnio, sic vitæ totius periodus sinè acerbitate, & amaritudine, laudatissimè, honestissiméque persolvetur. Nec quicquam tibi defuturum existima, si id satis est, quod ad manus est. Forsan te nimia felicitas redderet infelicem, forsan tuâ sorte immutatâ, in deteriorem labereris, & in excelsiore honoris gradu constitutus, altiorem ageres ruinam. Noli invidere opes alteri, quæ mille curis, & sollicitudinibus obruunt possessorem. Multis aurum, aliæque facultates exitio fuêre. Solæ divitiæ veræ sunt, quæ virtutibus divites efficiunt. Soli honores veri, qui in supremi Numinis gratia constituunt. Non malè volentis, sed diligentis est DEI, si quem loco inferiori collocet; ut tutiorem reddat à lapsu. Vilis, abjectique hominis esse reputa, sorte suâ nolle agere contentum, ac invidere alteri, quod assequi non licet. Quid quod sortis suæ jugum excutiens, gravius humeris imponit. Unde dolore immenso angitur, desperatáque felicitatis, cui avidè inhiabat, consecutione, propè se se exanimat, enecátque.

SIMILE. Hoc ut non ineleganti parabolâ fiat planiùs, luculentum invidi emblema damus. Quemadmodum enim Basiliscus, quem alii Regulum compellant, serpentini generis monstrum, tantæ esse perhibetur virulentiæ, ut solo aspectu, vel sibilo auras contagione inficiat, plantas, & germina exurat, animantia interimat

séque

séque ipsum orbis specularis intuitu, reflexo in se veneni halitu contrucidet. Haud aliter livens, invidóque usu venire assolet, suis se se armis miserandum in modum enecanti. Nihil ei tam sanctum, támque innoxium est, quod pestilenti, lethalique suo toxico inficere, atque interficere non moliatur. Verùm dum invidet vitæ alienæ, suæ invidet. Nam vivere insimul, & invidere non datur. Quod si tamen invidi genium, ac naturam pluribus velim declarare, non abs re Cantharidem dixero, insectum sua notum fæditate. Ut enim hoc genus scarabæorum, vegeto maximè tritico innascitur, & efflorescentem rosarum purpuram, aliáque fertilioris terræ decora, contaminatis pedibus, ac rostro involat, carpit, ac dehonestat: non absimiliter obsita pœdore, ac cœno suo Invidia, laureata sapientiæ capita, viróśque gloria virtutis efflorescentes, non tam obtrectatoriè invadit, & lacessit, quàm labem ignominiæ ubi demum eis aspergere molitur. An à veritatis tramite deflexerim, si invidiam ad genus Vulturis proximè accessionem facere asseruero? minimè gentium. Nam ut hæc furtis, rapiníśque innutrita volucris, loca amænitate consita, pratáque suavissimos odores halantia transvolat, prætcritque, morticinis duntaxat, tetríśque nidoribus pascenda, saturanda: haud secus invidia laborans animans, si quidquam videat ab aliquo bene gestum in vita, si quid præclarum in actibus, in moribus admirandum, velut orbus oculis tueri se dissimulat, altòque silentio omnia prætermittit. At verò si quid culpabiliter gestum, aut minùs cauto sermone prolatum est, continuò in publicum eventilat, pérque ora rudis plebeculæ non sinè ignominia circumfert. O fœdum de Arachnes familia araneum, qui quicquid fugit, in noxium convertit aconitum. O rabiem caninam, quæ novos homines obtrectatoriè allatrat, & in viros ad meritum gloriæ fastigium evectos malevolentiæ dentes exerit, morsúque conviciorum nullibi non petit, invadítque.

EXEMPLA. Atque hos livoris impetu (ut dicta hactenus exemplis comprobemus,) non citra dolorem & op-

opprobrium persensit Bilisarius, summus Justiniani Imperatoris Præfectus, vir manu strenuus, & magnitudine animi, aliisque virtutibus nemini suâ ætate secundus. Cujus acta in epitomen contracta, si apud rerum gestarum scriptores volante oculo allubet perlustrare; legetis utique Gothorum furias, à Belisario per vices aliquot Urbe, totâque Italiâ pulsos, fugatósque. Legetis ab eo Persas, Alanos, & Vandalos insigni robore debellatos, eorúmque Regem Gilimerum, ad Bizantinas arces ductum in triumphum. Legetis denique ab eodem universam Africæ regionem Romanæ subjectum ditioni. Quibus rebus ita præclarè gestis, Justinianus Imperator merita Belisario præmia decrevit, & præter recentia novarum dignitatum munia, monetam fieri fecit argenteam, in cujus latere altero impressa fuit imago Justiniani Cæsaris, in altero Belisarii cum lemmate: Belisarius decus Romanorum. Et tamen hunc tot, tantisque honoribus ornatum, ob levem & frivolam affectati regni suspicionem, ab æmulis gloriæ suæ excitatam, non duntaxat opibus, & glorioso nomine Cæsar privavit, sed etiam erutis oculorum luminibus, eò calamitatis eum induxit, ut è vili tuguriolo prodiens, stipem coactus sit petere: identidem illud reiterans: *date obolum Belisario, quem virtus extulit, invidia obcæcavit.* (a) Hunc dudum anteivit malevolentiæ telis impetitus Scipio Africanus, heros militari gloriâ orbe toto vulgatissimus. Hic posteaquam Africam armis, consilióque Romanæ potestati subjecisset, de omnibus trophæis, nomine excepto, nihil habens reliquum, invidiam tamen æmulorum haud quaquam valuit devitare. Unde teste Valerio Maximo ad frequentem populi Romani concionem, hæc verba fecisse perhibetur: cum totam Africam vestræ subjecerim potestati, nihil ex ea, quod meum diceretur, præter cognomen retuli. Non igitur me Punicæ, nec fratrem Asiaticæ gazæ ditiorem reddidere, sed uterque invidiâ magis, quam re locupletior. Sed nec dicendi gloria, nec integerrimæ vitæ sinceritas, ne-

(a) *Egnat. lib. 5. c. 3.*

neque in patriam constantissimus amor, neque leges salubriter excogitatæ Scipionem juvare, auxilióque ei esse potuêre, quò minùs invidos, & infestos cives pateretur. Sæpè etenim lapidibus petitus, aliquando furore ejectus, publicè quoque facultatibus suis privatus, & ad extremum è patriâ est profligatus. [b] Silentio hic involvo præstantissimos quosque gloriosis veterum Sæculis heroës; qui post res feliciter gestas, imperio prædominantis invidiæ solum vertere sunt coacti. Testes veritatis hujus damus Aristides justos in Græcia, Iphicrates in Thracia, Conones in Cypro, Timotheos in Lesbo, Themistocles in Perside, Chabrias in Ægypto, Chares in Sigæo, alios alibi probe infinitos. Nolim hic commemorare Alexandrum Macedonem, invidiæ œstro percitum, qui Perdiccam odio sequebatur, quod esset armis inclytus: Lysimachum, quod militandi peritus: Seleucum, quod magni animi: Attalum, quod Imperatoriâ dignitate fulgeret: Ptolomæum, quod ei nihil non prosperum caderet è sententia. Et poterant sanè hæc invidiam movere Regi, gloriæ perquam cupido, laudísque dulcedine admodum inescato. (c) Illud verò risu, ac cavillis ab omni ætate excipiendum, quod de Cajo Caligula, auctore Suetonio, refertur. Ratiorem fortè huic Romanorum Capiti insperserat natura crinem. Hoc vitium usque adeò iniquo, difficilíque animo tulit Imperator, ut omnes comatos, pulchráque cæsarie ornatos, qui ei fortuitò obvii fierent, occipitio rasos, livore suadente, fædum in modum deturparit. [d] An tanti erat crinitus vertex, ut in eo materiam invidiæ caput orbis inveniret. Ita nempe tam vile nihil est, tamque abjectum, in quo livor non reperiat supplicium. Ecquis est, in quo non ardeat malevolentiæ æstus. Cujus sensum non pervadit invidiæ malum? Quis est, quem non feriat, quatiátque livoris tormentum? Semper Simmias aliquis invidiæ telis oppugnat Periclem, Alcmæon Themistoclem, Clodius Pompejum Meneclides

[b] *Sabell. lib.* 1. (c) *Ælian. lib.* 12. *var. hist.* (d) *Sueton. in Caligula.*

Epaminondam. Verum ut à profanis ad ſacra tranſitum faciamus: quid Danielem Regis Darii gratia circumfluentem, in antrum leonum, futurum beſtiis pabulum præcipitavit? præcipitavit Invidia. Quid Joſephum, Jacobi Patriarcæ filium, barbaræ mancipavit ſervituti? mancipavit Invidia. Quid glorioſum de proſtrata turri carnea Davidem, vibrata non ſemel lancea ad interitum perquiſivit? perquiſivit noxia, & fatalis Invidia Saulis.

TESTIMONIA. Rectè proindè Socrates aſſerit: *iter facientes per ſolem neceſſariò comitatur umbra, incedentibus verò per gloriam, comes in Invidia.* [c] Et Quintiliano teſte, *potentas ſequitur Invidia.* (f) *Semper enim aſſidua eminentis fortunæ comes eſt, altiſſimisque adhæret.* (g) Sed *felicem planè illum judico*, inquit Valerianus, *cujus glorioſam vitam torvis oculis alter aſpexit. Non ſatis bono loco eſt illius cauſa, qui alienâ laborat invidiâ: quia non livet homo, niſi melioribus: nec Invidiæ ſubjacet, niſi quem ad celſiora melior vitæ profectus evexerit. Illos verò plùs quam miſeros puta, quos lucra alienæ felicitatis exagitant, & iracundia impia æmulatione concepta, occultis cordis jaculis inquietat. Bene iſtos ſua tela puniunt. Ut videatur mihi ipſa Invidia aliquid habere diſcretionis; cum auctores ſui cor repercutit, & malè conſcium pectus cruento ſemper livore conſumit.* Ita ille. (h) Unde meritò Socrates Invidiam compellavit *ulcus animæ.* [i] Cui ſuffragatur Curtius edicens; *Invidos homines nihil aliud, quam ipſorum tormenta eſſe.* [k] Nec decedit ab hujus mente vir graviſſimus Salianus ajens: *invido ſupplicium eſt longè graviſſimum aliena proſperitas.* (l) Cui venuſtè accinit Venuſinus vates:

Invidiâ Siculi non invenêre tyranni
Tormentum majus. (m)

Quo

(c) *Apud Stob. Serm.* 36. (f) *Lib.* 4. *inſtit. Orat. c.* 1. (g) *Vel. lib.* 2. (h) *in ſermo. quodl.* (i) *apud Stob. ſerm.* 36. [k] *lib.* 8. [l] *lib.* 5. *de Provid.* (m) *Horat. in epiſt.*

Quo versu Poëtam allusisse censuerim ad candentem Phalaridis taurum, cujus ardor quamquàm fuerit crudelis quàm qui maximè, non tamen ignem æquavit pectoris, livoris flammâ æstuantis. Sed omnium optimè vates Sulmonensis genium Invidiæ singulari negotio est complexus; cujus metrum elegantiæ causâ non piget me recitare, si vos non tædet excipere. Sic autem heroâ cantat tuba.

Videt intus edentem
Vipereas carnes, vitiorum alimenta suorum
Invidiam, visâque oculos avertit: at illa
Surgit humo pigrè, semesarúmque relinquit
Corpora serpentum, passúque incedit inerti.
Pallor in ore sedet, macies in corpore toto:
Nusquam recta acies: livent rubigine dentes:
Pectora felle virent: lingua est suffusa veneno:
Risus abest, nisi quem visi movêre dolores:
Nec fruitur somno vigilantibus excita curis,
Sed videt ingratos, intabescitque videndo
Successus hominum, carpitque & carpitur unà,
Suppliciúmque suum est. (n)

Nec dissonat à Nasonis tuba, Scaligeri tibia, hos in modulos gratiore phaleuco prorumpens.

Livor tabificum malis venenum.
Intactis vorat ossibus medullas,
Et totum bibit artubus cruorem.
Testatur gemitu graves dolores:
Suspirat, fremit, incutitque dentes:
Sudat frigidus intuens, quod odit.
Effundit mala lingua virus atrum:
Pallor terribilis genas colorat:
Infelix macies renudat ossa.
Non lux non cibus est suavis illi:
Nec potus juvat, aut sapor Lyæi.
Nec si pocula Jupiter propinet. (o)

EPILOGUS. Quæ si verà sunt, ut verissima esse, nemo sanus pernegarit; quis in dubium revocare audeat, Bio-

Bb 5

[n] *lib.2. Met.* (o) *de invid.*

Bionem, considerato prævie solertiùs invidi genio, sapienter edixisse: *aut huic magnum malum contigit, aut alteri magnum bonum.* Quamobrem, si quisquam adhuc vestrûm alienam prosperitatem, & candidiorem sortem iniquo, suffusóque livoris felle oculo intuetur; eruat, abjiciátque malignum hoc lumen, tortorémque hunc domesticum in exilium ableget, qui posteaquam authorem suum immaniter discruciat; insuper ad publicam privatámque pacem impellit perturbandam, ad seminanda adurget jurgia, ad irrogandas excitat calumnias, ad conflanda odia, atque innocentiam opprimendam. Abjicite, inquam, hunc charitatis mutuæ turbatorem, virtutis obtrectatorem, famæ eversorem, omnium malorum incentorem livoris oculum, & columbarum simplices, nec usquam lævùm tuentes assumite oculos, eósque fronti, ac menti altissimè inseratis velim. Sint clari, pellucidi, limpidis aquarum rivulis persimiles, lacteo candore commendabiles, nihil in pectore atræ loliginis, nigri fellis, sinistræ æmulationis, nihil rancoris, odii, ac invidiæ relinquentes. Eluceat ex ipso frontis limine, & lumine Charitatem Dominam in præcordiis diversari, cui ancillentur modestia, simplicitas, comitas, benignitas, rectáque intentio ceu in vestibulo excubet; nè malum invidiæ ad animi penetrale aditum queat invenire. Vitium livoris pejus esse malis omnibus scitote. Nam quos laqueis suis irretiverit, ægerrimè se ex iis, ut quotidiana docemur experientia, valent expedire: nec facilè ad curam, salutémque redeunt, quos semel contagio Invidiæ affecit. Hæc Mater, & origo vitiorum est omnium. Ab hac qui obtutum averterit, bona cernet universa: hanc qui nescierit, mala omnia ignorabit: hanc qui providentia singulari devitarit, vita vivet immortali.

CHRIA

CHRIA V.

Div. Chryſoſtomus verba faciens ad populum, illud aliquando liberrimè edixit: quid majus, quàm adoleſcentûm mores fingere? *Hom.* 51.

ENCOMI. DEUM immortalem! quid tueor? Quod hodie ante oculos meos portentum abſervatur eloquentiæ? Quem novum video, mirúmque Oratorem, non profana cum Tullio; ac ſacra cum gentium Doctore Paulo roſtra conſcendentem? Quàm ſtupendam attonitus propè conſpicio oris, & totius corporis, in divino logodædalo conformationem, non à naturæ ordine, ſed ab ipſa lege modeſtiæ, ad omnem virtutis amuſſim exæquatam. Non hìc ſe ſe mihi objiciunt infirma Demoſthenis alicujus latera, ſed quæ ipſa fortitudo ad munus dicendi quadravit, ſolidavit. At qualis erit vigor, & firmitas vocis, quæ ab aureo ore, ut mihi conjectura aſſequi datur, emanebit? Ad hanc avidis auribus, animíſque excipiendam, frequens populus, omníſque conditio hominum ex ædibus ſuis effunditur, atque expectatione dicendorum ſuſpenſa, ab ejus ore magìs, quàm Gallicani Herculis pendere exoptat. Jamque in vota Auditoris deſcenſurus ſacerrimus Orator, occipit facunda, ac nitida elocutione ſermonem habere ad confertam populi concionem, Pitho in ejus labris, Atticáque Muſa ſeſſitare videntur. O quàm plena oſſium, & nervorum oratio! Nunquam talem Ariſtophantes ad lucernam elucubravit. Nec jam fontes ac rivos, ſed flumina fundit, eáque aurea, dictáque ejus divite quadam ſententiarum, & verborum copia, aurei inſtar torrentis exuberant. Quidquid per alios parens, opi-

opiféxque natura liberali manu dispertiit de muneribus eloquentiæ ; in hunc unum, velut in epitomen contraxit universa. Relucet in hoc miro post homines natos Oratore Catonis gravitas, Cæsaris ardescit calor, fervet Pyrrhi impetus; Periclis fulmen detonat ; Hortensii floret, vigétque distributio; Ciceronis abundat opulentia, omniúmque Oratorum triumphat præstantia, ac Majestas dicendi. Sed quod divinus Orator assumpsit dissertationis argumentum ? Perrarum sanè, quóque totam audientium coronam summâ affecit admiratione. Et quamquàm hucusque velut absolutum virtutum omnium exemplar, de earundem amore, & gnava inquisitione, plùs quàm Nestoreâ, eloquentia crebriùs declamârit : quàmquàm aliàs in lethalis noxæ piacula linguæ tela sæpe sæpius distrinxerit : hodie tamen aliam dicendi materiam pro suggestu disertissimè explanat ; à qua virtutis studium, vitiique detestatio originem suam citra ambiguitatem deducit. At quid tandem illud est, quod incitata, vibrantéque prosequitur oratione ? Ne vos fastidiosè demorari videar, de recta juventutis institutione, intrepida libertate verba facit, inquiens; *quid majus quàm adolescentûm mores fingere?*

PARAPHRASIS. O dictum saluberrimum? O effatum immortali memoria dignissimum. Quid obsecro, ad rectam morum informationem dici potuit diviniùs, quid, quæso, sapientiùs ? Quod pretium pro gemmea istiusmodi gnoma, authori suo persolvere valebit posteritas omnium sæculorum ? Verùm liceat mihi, si tamen fas est, ex te Doctorum maximè percontari: quid ita ? nihilne majus proba institutione adolescentulorum arbitraris, nihilne præstabilius dari posse existimas ? An non majoris esse ponderis censeas, ad clavum sedere Imperii, jura dictare populis, perduelles ad officium reducere, civium promovere concordiam, pacis fœdera stabilire, seditiones urbium, belláque intestina frangere, & ad normam rectæ rationis animos suorum regere ? gubernare ? Quis à majori eximat utilitate, Imperatoris belli fungi munere, delectum habere militum, ordinare acies, hostes fundere, ac

fuga-

fugare, regni ampliare limites, plures uni capiti lauros, & coronas apparare? Quid? non majus, excelsiúsque informatione puerili dixerim, altissimarum rerum cognitione florere, humana æquè, ac divina pernôsse arcana, scientiarum omnium ad ita penetrare, artes callere universas, rémque omnem à sensibus remotam, in disputationem vocare posse? An non, inquam, hæc, & id genus alia, excellentiorem in humanis gradum obtinent præ institutione juvenili? Quid ais, Quid imponis disertissimè, sanctissiméque Oratorum? Haudquaquam, occurrens quæstioni, respondet Doctorum maximus. Nil esse majus, præstabiliúsque existima omnibus, mentis errore delusus, vanóque ductus arbitratu oggessisti. Etenim nemo apposité gubernabit regna, nemo jura ritè præscribet gentibus, nec ullum Imperii ca[illegible] subjectos, ut par est, diriget populos, quod non priùs ad rectam vivendi normam à primis unguiculis fuerit conformatum. Nullus belli Imperator scitè ordinabit volantes per campum exercitus, nec auctionem regni faciet, lauróque implebit Regnantûm tempora, nisi bellandi artibus ab ephebis imbutus fuerit, ac sæpenumero præluserit umbratili prælio, victoriis ab adversario reportandis. Et quis demum plaudere potest rerum humanarum, divinarúmque scientia, quis de earum argumento cum laude differere, quis abstrusa à sensibus, altáque caligine involuta in lucem publicam sapienter educere, si non à prima ætate laboriosa Doctoris industria, in rerum principiis fuerit solerter eruditus? Ita nempe à tenerioribus annis formandi, instituendíque sunt adolescentûm animi, quos in viros è bono reipublicæ futuros, regnorúmque columina adaptamus. Atque adeò nulla ars hoc artificio probæ instructionis major, sublimiórque inveniri potest. Quid enim majus, quid utilius, quid excellentius, quàm ad morum elegantiam hanc meliorem ætatem effingere, perpolire?

CAUSA. Ego sanè mihi citra omne erroris periculum ità persuadeo, omni arte Magistra longè præclariorem esse illam, quæ sequacem, ductilémque adolescentûm

inde-

indolem noverit ad virtutem bonásque artes efformare. Quid enim compositum reddit corporis statum ? quid mentis habitum imbuit virtute ? quid à vitiis reddit alienum ? An non recta moderatorum disciplina ? Quid edocet cervicem puerilem submittere, ponere supercilia; componere ad decorem vultum, ligare oculos, cohibere cachinnos, linguam moderari, frenare gulam, impetum naturæ infringere ? An non ars artium, recta, probatáque disciplina ? Quamobrem in peculiaribus Dei beneficiis ponendum esse existimem, à probis impenséque literatis præceptoribus institutum fuisse. Pusiones quippe à vivendi ritu, quem primitus edocti sunt, seu bonus ille, seu pravus sit, nè in graviore quidem ætate se demoveri patiuntur. Haud facilè enim eraditur, quod cum adultiore crescit ætate. Grandius ævum durum est, & intractabile. Tenera fingi possunt, flecti, moverique pro lubitu dirigentis. Aves in robustiori ætate præditum virtute, ac scientia habere virum: age sis, informa adolescentulum à primis annis ad pietatis, ac literarum amorem. Nè verò animi integritas labem quàm minimam patiatur; removeantur ea ab oculis, & auribus; quæ innocuo etiamnum animo officere possent. Non aliud edoceatur parvulus, nil audiat, nil loquatur; nisi quod DEUM sapiat, & divina. Procul sint verba Cypridis mephitim olentia, procul sales fescennini, aliáque quæ sexus amat sequior malorum irritamenta. Extradatur vigens hæc ætas ejusmodi fingenda doctori, à quo leges honestatis, ac melioris litteraturæ præceptæ condiscat. Ab hoc edoceatur, quanti faciendus sit pudor, quæ laus sit verecundiæ, quanta dignitas continentiæ, quam laudabile, & gloriosum, non committere, quod conscientiam reprehendat. Optimæ institutioni optimus respondet fructus. Integritas pædagogi integritatem servat adolescentis. Firmissimo illum muniet præsidio, si data virtutum dogmata suo firmet exemplo. Sit author teneriori ætati, ut nævos etiam leviores crebriùs ad animi judicem deferat, Eucharistico epulo sæpius accumbat, Cælitum Reginam, Divósque tutelares ardenti studio colat, commissa per diem errata, noctur-

nâ disquisitione indaget, aboleátque, DEUM ubique præsentem ob oculos sibi statuat; castimoniam cordi habeat, Angelis se bonis impensè committat, Religionis ejus studium in primis curis gerat, & si necesse foret, ejus professionem etiam fuso sanguine tueri non detrectet. Hæc si cultura accesserit floridæ ætati, succrescet in spes maximas, autumnum frugum reipublicæ bono olim allatura. Adeò nempè multum refert, ex quo fonte primi adolescentiæ haustus potentur.

CONTRARIUM. Sed prô dolor? alia omnia depravatis hisce sæculis in liberorum institutione curari, exigíque videmus. Jam magìs corporis, quàm animi conformatio, ut quotidiana docemur experientia, à plurimis progenitorum spectatur. De hoc jam unico apud multos laboratur; ut puer, cùm mensæ accumbit, emunctis non sit naribus, nè cibum agresti manu capiat, nè digitos omnes patinæ immergat, neve minùs comptus; vestéque incomposita in publicum procedat. An verò studeat integritati corporis, utrum animi munditiem curet; pietatis operam navet, DEUM, divináque, ut par est, observet, id enimverò pensi non habetur, sed juxtà ponitur, negligitur, aut in extremis collocatur. O utinam non sit etiamnum reperire malè feriatos pædagogos, qui, ut præposteræ Majorum voluntati obsecundent, subjectam directioni juventutem ab studio pietatis avocent, retrahántque? Ignavi apud nonnullos censentur catuli, qui segniores accurrunt ad choreas, quàm ad dicatas DEO Ecclesias. A patrio genere, atque gloria desciscere ii reputantur, qui cunctantiores sunt ad vetitos ludos. & spectacula, quàm ad divini Verbi pabula. Reprehenduntur ceu degeneres surculi, qui minùs promptos se exhibent ad Sybariticas epulas, quàm ad dapes Eucharisticas. O ævum labens? O sæculi insolentia? O mortalium depravatio ac præcipuè eorum, qui ferre non valent, ut opibus, atque ætate florentes liberi, ad rerum sacrarum venerationem se se abjiciant, ad genus asperioris vitæ se dimittant, ad virtutum, bonarúmque artium studia manum, mentémque apponant, de salute, de bona eorum existi-

matio-

matione minùs curiosi. Id unicè hac corrupta, perditaque ætate in votis progenitorum habetur; ut perunᶜti stibio Narcissuli, cerussati parvuli, discinctíque nepotuli respectent libertatem, genio suo plusculùm indulgeant, molliùs cuticulam curent, fastidiant bonos monitores, vitæque laxiori, pro detestabili more sæculi, extradantur. Utque summatim præposterum educandi ritum palàm faciam, id duntaxat nonnullis cordi est; ut rerum suarum copias cum scelere in natos transferant; non verò eis ad virtutem, & cœlum præbeant ducatum. Hos ego patres salutem, probámque institutionem filiorum insuper habentes, parricidis ipsis immaniores, sceleratioréſque existimem. Illi quippe corpus ad anima separant: illi ignibus extradunt sempiternis animam, & corpus. Illi trucidant hominem naturali lege mortem oppetiturum: Isti neglecta rectæ educationis cura funus animæ innocentibus procurant. Ac proinde non injuria parentes ejusmodi parricidis sunt deteriores.

SIMILE Sed ut hactenus dicta evadant planiora, luculentas similitudines rei veritatem illustrantes accipite. Quemadmodum enim nullam est invenire adeò felicem arborem, quæ non in sterilitatem abeat, vel in stolones protuberet, vel tandem elanguescat, si debitam frondator culturam subtraxerit: ità nullum adeò felix est ingenium, nulla indoles tam eximia, quæ non pravos, perversóſque mores induat, si is desinat eam colere, ad quem ex ratione muneris recta pertinet institutio, ac disciplina. Novellas adhuc, & vix firmæ radicis plantulas, dum ad omnem ductum sequaces sunt, in quamlibet partem flectere est perfacilè. In vivendi modo nunquam non duraturo plurimùm valet, animum adolescentis opportunè dirigere, dum germen primæ ætatis gnavam moderatoris dextram patitur, ducíque sustinet ad arbitrium animæ cultoris. Quod in arboribus, & plantis, idem in fertilitate agrorum quotannis experimur. Sit licèt arvum restibile, labore improbo cultum, vomere subactum, nisi tamen identidem admoveatur aratrum, & immissa semente fœcundetur, suapte natura exhorrescit, lappas, tribulóſque pro-

protrudens. Haud secus etsi adolescentulorum animi, ceu fertile solum, ad omnigenæ virtutis frugem ritè sint exculti; continuò tamen in vitiorum lollium repullulant, nisi doctioris coloni perfrequens accesserit cultura, sarculúmque industriæ, ad inutilem malorum herbam stirpitus evellendum. Quid pluribus? Ursæ genium, ac naturam induat; qui formandos suscepit adolescentes. Illa catulos lambendo, relambendóque fingit in artus, certámque corporis symmetriam: ille rudem ingenii fœtum, diutinâ cura expoliat in vicum probum, & scientem. Mollem, ductilémque ceram versat sub pollice, qui officium subit præceptoris. Quamlibet formam plastes ceræ molli, subactæque valet inducere: didascalus tractandis juvenum ingeniis præpositus, mollissimè cessuros eorum animos, confestim à primordio ætatis omni rerum bonarum exercitatione imbuat, imprimátque virtutum, ac literarum formas, dum animi eorum liquescunt, qui firma ætate in marmor pervicaciæ durati, nullo labore, nulláque disciplinâ porrò valent emolliri. Ac demum velut pullus equinus arte edomandus est præmaturè, ut capistrum patiatur, freno obtemperet, rectèque pareat sessori: haud aliter ingenia teneræ ætatis, non ponent ferociam, & exultantem liberius naturam; nisi præceptis, & stylo ulmeo moderatius adhibito cicurentur.

EXEMPLA. Possem hanc veritatem AA. ipsâ luce solari clariorem, luculentioribus exemplis illustrare; sed è plurimis paucula delibasse suffecerit. Et primum quidem sibi locum jure vendicat celebrata, vulgatáque toto orbe respublica Atheniensis. Hæc cum multis, iisque pravissimis moribus scateret, atque ideo non levibus curis premeretur, nè florentissimus alioquin status Athenarum pessumiret: Optimatûm amplissimus ordo iniit consilium, anxiè, maturéque disquirens: quâ ratione pristino vigori restitui valeret. Et en tibi unus aliquis è Senatorum corona, apprimè compertam habens causam civitatis in deterius ruentis, producit in medium putre malum, hæcque pauca ad publicum depromit consilium. Respublica Atheniensis, haud absimilis est putido huic

opprobrium persensit Bilisarius, summus Justiniani Imperatoris Præfectus, vir manu strenuus, & magnitudine animi, aliisque virtutibus nemini suâ ætate secundus. Cujus acta in epitomen contracta, si apud rerum gestarum scriptores volante oculo allubet perlustrare; legetis utique Gothorum furias, à Belisario per vices aliquot Urbe, totâque Italiâ pulsos, fugatósque. Legetis ab eo Persas, Alanos, & Vandalos insigni robore debellatos, eorúmque Regem Gilimerum, ad Bizantinas arces ductum in triumphum. Legetis denique ab eodem universam Africæ regionem Romanæ subjectum ditioni. Quibus rebus ita præclarè gestis, Justinianus Imperator merita Belisario præmia decrevit, & præter recentia novarum dignitatum munia, monetam fieri fecit argenteam, in cujus latere altero impressa fuit imago Justiniani Cæsaris, in altero Belisarii cum lemmate: Belisarius decus Romanorum. Et tamen hunc tot, tantisque honoribus ornatum, ob levem & frivolam affectati regni suspicionem, ab æmulis gloriæ suæ excitatam, non duntaxat opibus, & glorioso nomine Cæsar privavit, sed etiam erutis oculorum luminibus, eò calamitatis eum induxit, ut è vili tuguriolo prodiens, stipem coactus sit petere: identidem illud reiterans: *date obolum Belisario, quem virtus extulit, invidia obcæcavit.* (a) Hunc dudum anteivit malevolentiæ telis impetitus Scipio Africanus, heros militari gloriâ orbe toto vulgatissimus. Hic posteaquam Africam armis, consilióque Romanæ potestati subjecisset, de omnibus trophæis, nomine excepto, nihil habens reliquum, invidiam tamen æmulorum haud quaquam valuit devitare. Unde teste Valerio Maximo ad frequentem populi Romani concionem, hæc verba fecisse perhibetur: cum totam Africam vestræ subjecerim potestati, nihil ex ea, quod meum diceretur, præter cognomen retuli. Non igitur me Punicæ, nec fratrem Asiaticæ gazæ ditiorem reddidêre, sed uterque invidiâ magis, quam re locupletior. Sed nec dicendi gloria, nec integerrimæ vitæ sinceritas, ne-

(a) *Egnat. lib. 5. c. 3.*

neque in patriam constantissimus amor, neque leges salubriter excogitatæ Scipionem juvare, auxilióque ei esse potuêre, quò minùs invidos, & infestos cives pateretur. Sæpè etenim lapidibus petitus, aliquando furore ejectus, publicè quoque facultatibus suis privatus, & ad extremum è patria est profligatus. [b] Silentio hic involvo præstantissimos quosque gloriosis veterum Sæculis heroës; qui post res feliciter gestas, imperio prædominantis invidiæ solum vertere sunt coacti. Testes veritatis hujus damus Aristides justos in Græcia, Iphicrates in Thracia, Conones in Cypro, Timotheos in Lesbo, Themistocles in Perside, Chabrias in Ægypto, Chares in Sigæo, alios alibi probe infinitos. Nolim hic commemorare Alexandrum Macedonem, invidiæ œstro percitum, qui Perdiccam odio sequebatur, quod esset armis inclytus: Lysimachum, quod militandi peritus: Seleucum, quod magni animi: Attalum, quod Imperatoriâ dignitate fulgeret: Ptolomæum, quod ei nihil non prosperum caderet è sententia. Et poterant sanè hæc invidiam movere Regi, gloriæ perquam cupido, laudísque dulcedine admodum inescato. (c) Illud verò risu, ac cavillis ab omni ætate excipiendum, quod de Cajo Caligula, auctore Suetonio, refertur. Rariorem fortè huic Romanorum Capiti insperserat natura crinem. Hoc vitium usque adeò iniquo, difficilíque animo tulit Imperator, ut omnes comatos, pulchráque cæsarie ornatos, qui ei fortuitò obvii fierent, occipitio rasos, livore suadente, fædum in modum deturparit. [d] An tanti erat crinitus vertex, ut in eo materiam invidiæ caput orbis inveniret. Ita nempe tam vile nihil est, tamque abjectum, in quo livor non reperiat supplicium. Ecquis est, in quo non ardeat malevolentiæ æstus. Cujus sensum non pervadit invidiæ malum? Quis est, quem non feriat, quatiátque livoris tormentum? Semper Simmias aliquis invidiæ telis oppugnat Periclem, Alcmæon Themistoclem, Clodius Pompejum Meneclides

[b] *Sabell. lib.* 1. (c) *Ælian. lib.* 12. *var. hist.* (d) *Sueton. in Caligula.*

Epaminondam. Verum ut à profanis ad facra tranfitum faciamus : quid Danielem Regis Darii gratia circumfluentem, in antrum leonum, futurum beftiis pabulum præcipitavit ? præcipitavit Invidia. Quid Jofephum, jacobi Patriarcæ filium, barbaræ mancipavit fervituti ? mancipavit Invidia. Quid gloriofum de proftrata turri carnea Davidem, vibrata non femel lancea ad interitum perquifivit ? perquifivit noxia, & fatalis Invidia Saulis.

TESTIMONIA. Rectè proindè Socrates afferit : *iter facientes per folem neceffariò comitatur umbra, incedentibus verò per gloriam, comes in Invidia.* [c] Et Quintiliano tefte, *potentas fequitur Invidia.* (f) *Semper enim affidua eminentis fortunæ comes eft, altiffimisque adhæret.* (g) Sed *felicem planè illum judico*, inquit Valerianus, *cujus gloriofam vitam torvis oculis alter afpexit. Non fatis bono loco eft illius caufa, qui alienâ laborat invidiâ: quia non livet homo, nisi melioribus: nec Invidiæ fubjacet, nisi quem ad celfiora melior vitæ profectus evexerit. Illos verò plùs quam miferos puta, quos lucra aliena felicitatis exagitant, & iracundia impia æmulatione concepta, occultis cordis jaculis inquietat. Bene iftos fua tela puniunt. Ut videatur mihi ipfa Invidia aliquid habere difcretionis; cum auctores fui cor repercutit, & malè confcium pectus cruento femper livore confumit.* Ita ille. (h) Unde meritò Socrates Invidiam compellavit *ulcus animæ.* [i] Cui fuffragatur Curtius edicens; *Invidos homines nihil aliud, quam ipforum tormenta effe.* [k] Nec decedit ab hujus mente vir graviffimus Salianus ajens : *invido fupplicium eft longè graviffimum aliena profperitas.* (l) Cui venuftè accinit Venufinus vates:

Invidiâ Siculi non invenêre tyranni
Tormentum majus. (m)

Quo

(c) *Apud Stob. Serm.* 36. (f) *Lib.* 4. *inftit. Orat. c.* 1. (g) *Vel. lib.*2. (h) *in fermo. quodl.* (i) *apud Stob.ferm.*36. [k] *lib.* 8. [l] *lib.* 5. *de Provid.* (m) *Horat. in epift.*

Quo versu Poëtam allusisse censuerim ad candentem Phalaridis taurum, cujus ardor quamquàm fuerit crudelis quàm qui maximè, non tamen ignem æquavit pectoris, livoris flammâ æstuantis. Sed omnium optimè vates Sulmonensis genium Invidiæ singulari negotio est complexus; cujus metrum elegantiæ causâ non piget me recitare, si vos non tædet excipere. Sic autem heroâ cantat tuba.

Videt intus edentem
Vipereas carnes, vitiorum alimenta suorum
Invidiam, visáque oculos avertit: at illa
Surgit humo pigrè, semesarúmque relinquit
Corpora serpentum, passúque incedit inerti.
Pallor in ore sedet, macies in corpore toto:
Nusquam recta acies: livent rubigine dentes:
Pectora felle virent: lingua est suffusa veneno:
Risus abest, nisi quem visi movêre dolores:
Nec fruitur somno vigilantibus excita curis,
Sed videt ingratos, intabescitque videndo
Successus hominum, carpitque & carpitur unà,
Suppliciúmque suum est. (n)

Nec dissonat à Nasonis tuba, Scaligeri tibia, hos in modulos gratiore phaleuco prorumpens.

Livor tabificum malis venenum.
Intactis vorat ossibus medullas,
Et totum bibit artubus cruorem.
Testatur gemitu graves dolores:
Suspirat, fremit, incutitque dentes:
Sudat frigidus intuens, quod odit.
Effundit mala lingua virus atrum:
Pallor terribilis genas colorat:
Infelix macies renudat ossa.
Non lux non cibus est suavis illi:
Nec potus juvat, aut sapor Lyæi.
Nec si pocula Jupiter propinet. (o)

EPILOGUS. Quæ si verà sunt, ut verissima esse, nemo sanus pernegarit; quis in dubium revocare audeat, Bio-

[n] *lib.2.Met.* (o) *de invid.*

CHRIA V.

Div. Chrysostomus verba faciens ad populum, illud aliquando liberrimè edixit: quid majus, quàm adolescentûm mores fingere? *Hom.* 51.

ENCOMI. DEUM immortalem! quid tueor? Quod hodie ante oculos meos portentum abservatur eloquentiæ? Quem novum video, mirúmque Oratorem, non profana cum Tullio; ac sacra cum gentium Doctore Paulo rostra conscendentem? Quàm stupendam attonitus propè conspicio oris, & totius corporis, in divino logodædalo conformationem, non à naturæ ordine, sed ab ipsa lege modestiæ, ad omnem virtutis amussim exæquatam. Non hìc se se mihi objiciunt infirma Demosthenis alicujus latera, sed quæ ipsa fortitudo ad munus dicendi quadravit, solidavit. At qualis erit vigor, & firmitas vocis, quæ ab aureo ore, ut mihi conjectura assequi datur, emanebit? Ad hanc avidis auribus, animísque excipiendam, frequens populus, omnísque conditio hominum ex ædibus suis effunditur, atque expectatione dicendorum suspensa, ab ejus ore magìs, quàm Gallicani Herculis pendere exoptat. Jamque in vota Auditoris descensurus sacerrimus Orator, occipit facunda, ac nitida elocutione sermonem habere ad confertam populi concionem, Pitho in ejus labris, Atticáque Musa sessitare videntur. O quàm plena ossium, & nervorum oratio! Nunquam talem Aristophantes ad lucernam elucubravit. Nec jam fontes ac rivos, sed flumina fundit, eáque aurea, dictáque ejus divite quadam sententiarum, & verborum copia, aurei instar torrentis exuberant. Quidquid per alios parens, opi-

opiféxque natura liberali manu dispertiit de muneribus eloquentiæ ; in hunc unum, velut in epitomen contraxit universa. Relucet in hoc miro post homines natos Oratore Catonis gravitas, Cæsaris ardescit calor, fervet Pyrrhi impetus; Periclis fulmen detonat; Hortensii floret, vigétque distributio; Ciceronis abundat opulentia, omniúmque Oratorum triumphat præstantia, ac Majestas dicendi. Sed quod divinus Orator assumpsit dissertationis argumentum? Perrarum sanè, quóque totam audientium coronam summâ affecit admiratione. Et quamquàm hucusque velut absolutum virtutum omnium exemplar, de earundem amore, & gnava inquisitione, plùs quàm Nestoreâ, eloquentia crebriùs declamârit; quàmquàm aliàs in lethalis noxæ piacula linguæ tela sæpe sæpius distrinxerit: hodie tamen aliam dicendi materiam pro suggestu disertissimè explanat; à qua virtutis studium, vitiique detestatio originem suam citra ambiguitatem deducit. At quid tandem illud est, quod incitata, vibrantéque prosequitur oratione? Ne vos fastidiosè demorari videar, de recta juventutis institutione, intrepida libertate verba facit, inquiens: *quid majus quàm adolescentûm mores fingere?*

PARAPHRASIS. O dictum saluberrimum! O effatum immortali memoria dignissimum. Quid obsecro, ad rectam morum informationem dici potuit diviniùs, quid, quæso, sapientiùs? Quod pretium pro gemmea istiusmodi gnoma, authori suo persolvere valebit posteritas omnium sæculorum? Verùm liceat mihi, si tamen fas est, ex te Doctorum maximè percontari: quid ita? nihilne majus proba institutione adolescentulorum arbitraris, nihilne præstabilius dari posse existimas? An non majoris esse ponderis censeas, ad clavum sedere Imperii, jura dictare populis, perduelles ad officium reducere, civium promovere concordiam, pacis fœdera stabilire, seditiones urbium, belláque intestina frangere, & ad normam rectæ rationis animos suorum regere? gubernare? Quis à majori eximat utilitate, Imperatoris belli fungi munere, delectum habere militum, ordinare acies, hostes fundere, ac

fuga-

fugare, regni ampliare limites, plures uni capiti lauros, & coronas apparare? Quid? non majus, excelsiúsque informatione puerili dixerim, altissimarum rerum cognitione florere, humana æquè, ac divina pernôsse arcana, scientiarum omnium ad ita penetrare, artes callere universas, rémque omnem à sensibus remotam, in disputationem vocare posse? An non, inquam, hæc, & id genus alia, excellentiorem in humanis gradum obtinent præ institutione juvenili? Quid ais, Quid imponis disertissimè, sanctissiméque Oratorum? Haud quaquam, occurrens quæstioni, respondet Doctorum maximus. Nil esse majus, præstabiliúsque existima omnibus, mentis errore delusus, vanóque ductus arbitratu oggessisti. Etenim nemo apposité gubernabit regna, nemo jura ritè præscribet gentibus, nec ullum Imperii capessitu subjectos, ut par est, diriget populos, quod non priùs ad rectam vivendi normam à primis unguiculis fuerit conformatum. Nullus belli Imperator scitè ordinabit volantes per campum exercitus, nec auctionem regni faciet, lauróque implebit Regnantûm tempora, nisi bellandi artibus ab ephebis imbutus fuerit, ac sæpenumero præluserit umbratili prælio, victoriis ab adversario reportandis. Et quis demum plaudere potest rerum humanarum, divinarúmque scientia, quis de earum argumento cum laude disserere, quis abstrusa à sensibus, altáque caligine involuta in lucem publicam sapienter educere, si non à prima ætate laboriosa Doctoris industria, in rerum principiis fuerit solerter eruditus? Ita nempe à tenerioribus annis formandi, instituendíque sunt adolescentùm animi, quos in viros è bono reipublicæ futuros, regnorúmque columina adaptamus. Atque adeò nulla ars hôc artificio probæ instructionis major, sublimiórque inveniri potest. Quid enim majus, quid utilius, quid excellentius, quàm ad morum elegantiam hanc meliorem ætatem effingere, perpolire?

CAUSA. Ego sanè mihi citra omne erroris periculum ità persuadeo, omni arte Magistra longè præclariorem esse illam, quæ sequacem, ductilémque adolescentûm inde-

indolem noverit ad virtutem bonásque artes efformare. Quid enim compositum reddit corporis statum ? quid mentis habitum imbuit virtute ? quid à vitiis reddit alienum ? An non recta moderatorum disciplina ? Quid edocet cervicem puerilem submittere, ponere supercilia; componere ad decorem vultum, ligare oculos, cohibere cachinnos, linguam moderari, frenare gulam, impetum naturæ infringere ? An non ars artium, recta, probatáque disciplina ? Quamobrem in peculiaribus Dei beneficiis ponendum esse existimem, à probis impenséque literatis præceptoribus institutum fuisse. Pusiones quippe à vivendi ritu, quem primitus edocti sunt, seu bonus ille, seu pravus sit, nè in graviore quidem ætate se demoveri patiuntur. Haud facilè enim eraditur, quod cum adultiore crescit ætate. Grandius ævum [illegible] est, & intractabile. Tenera fingi possunt, flecti [illegible] moverique pro lubitu dirigentis. Aves in robustiori ætate præditum virtute, ac scientia habere virum: agesis, informa adolescentulum à primis annis ad pietatis, ac literarum amorem. Nè verò animi integritas labem quàm minimam patiatur; removeantur ea ab oculis. & auribus; quæ innocuo etiamnum animo officere possent. Non aliud edoceatur parvulus, nil audiat, nil loquatur; nisi quod DEUM sapiat, & divina. Procul sint verba Cypridis mephitim olentia, procul sales fescennini, aliáque quæ sexus amat sequior malorum irritamenta. Extradatur vigens hæc ætas ejusmodi fingenda doctori, à quo leges honestatis; ac melioris litteraturæ præceptæ condiscat. Ab hoc edoceatur, quanti faciendus sit pudor, quæ laus sit verecundiæ, quanta dignitas continentiæ, quam laudabile, & gloriosum, non committere, quod conscientiam reprehendat. Optimæ institutioni optimus respondet fructus. Integritas pædagogi integritatem servat adolescentis. Firmissimo illum muniet præsidio, si data virtutum dogmata suo firmet exemplo. Sit author teneriori ætati, ut nævos etiam leviores crebriùs ad animi judicem deferat, Eucharistico epulo sæpius accumbat, Cælitum Reginam, Divosque tutelares ardenti studio colat, commissa per diem errata, noctur-

nâ disquisitione indaget, aboleátque, DEUM ubique præsentem ob oculos sibi statuat; castimoniam cordi habeat, Angelis se bonis impensè committat, Religionis ejus studium in primis curis gerat, & si necesse foret, ejus professionem etiam fuso sanguine tueri non detrectet. Hæc si cultura accesserit floridæ ætati, succrescet in spes maximas, autumnum frugum reipublicæ bono olim allatura. Adeò nempè multum refert, ex quo fonte primi adolescentiæ haustus potentur.

CONTRARIUM. Sed prô dolor? alia omnia depravatis hisce sæculis in liberorum institutione curari, exigíque videmus. Jam magìs corporis, quàm animi conformatio, ut quotidiana docemur experientia, à plurimis progenitorum spectatur. De hoc jam unico apud multos laboratur; ut puer, cùm mensæ accumbit, emunctis non sit naribus, nè cibum agresti manu capiat, nè digitos omnes patinæ immergat, neve minùs comptus; vestéque incomposita in publicum procedat. An verò studeat integritati corporis, utrum animi munditiem curet; pietatis operam navet, DEUM, divináque, ut par est, observet, id enimverò pensi non habetur, sed juxtà ponitur, negligitur, aut in extremis collocatur. O utinam non sit etiamnum reperire malè feriatos pædagogos, qui, ut præposteræ Majorum voluntati obsecundent, subjectam directioni juventutem ab studio pietatis avocent, retrahántque? Ignavi apud nonnullos censentur catuli, qui segniores accurrunt ad choreas, quàm ad dicatas DEO Ecclesias. A patrio genere, atque gloria desciscere ii reputantur, qui cunctantiores sunt ad vetitos ludos. & spectacula, quàm ad divini Verbi pabula. Reprehenduntur ceu degeneres surculi, qui minùs promptos se exhibent ad Sybariticas epulas, quàm ad dapes Eucharisticas. O ævum labens! O sæculi insolentia? O mortalium depravatio ac præcipuè eorum, qui ferre non valent, ut opibus, atque ætate florentes liberi, ad rerum sacrarum venerationem se se abjiciant, ad genus asperioris vitæ se dimittant, ad virtutum, bonarúmque artium studia manum, mentémque apponant, de salute, de bona eorum existimatio-

matione minùs curiosi. Id unicè hac corrupta, perditaque ætate in votis progenitorum habetur; ut peruncti stibio Narcissuli, cerussati parvuli, discinctique nepotuli respectent libertatem, genio suo pluscùlum indulgeant, molliùs cuticulam curent, fastidiant bonos monitores, vitæque laxiori, pro detestabili more sæculi, extradantur. Utque summatim præposterum educandi ritum palàm faciam, id duntaxat nonnullis cordi est; ut rerum suarum copias cum scelere in natos transferant; non verò eis ad virtutem, & cœlum præbeant ducatum. Hos ego patres salutem, probámque institutionem filiorum insuper habentes, parricidis ipsis immaniores, sceleratioresque existimem. Illi quippe corpus ad anima separant: illi ignibus extradunt sempiternis animam, & corpus. Illi trucidant hominem naturali lege mortem oppetiturum: Isti neglecta rectæ educationis cura funus animæ innocentibus procurant. Ac proinde non injuria parentes ejusmodi parricidis sunt deteriores.

SIMILE Sed ut hactenus dicta evadant planiora, luculentas similitudines rei veritatem illustrantes accipite. Quemadmodum enim nullam est invenire adeò felicem arborem, quæ non in sterilitatem abeat, vel in stolones protuberet, vel tandem elanguescat, si debitam frondator culturam subtraxerit: ità nullum adeò felix est ingenium, nulla indoles tam eximia, quæ non pravos, perversósque mores induat, si is desinat eam colere, ad quem ex ratione muneris recta pertinet institutio, ac disciplina. Novellas adhuc, & vix firmæ radicis plantulas, dum ad omnem ductum sequaces sunt, in quamlibet partem flectere est perfacilè. In vivendi modo nunquam non duraturo plurimùm valet, animum adolescentis opportunè dirigere, dum germen primæ ætatis gnavam moderatoris dextram patitur, ducíque sustinet ad arbitrium animæ cultoris. Quod in arboribus, & plantis, idem in fertilitate agrorum quotannis experimur. Sit licèt arvum restibile, labore improbo cultum, vomere subactum, nisi tamen identidem admoveatur aratrum, & immissa semente fœcundetur, suapte natura exhorrescit, lappas, tribulósque pro-

protrudens. Haud secus etsi adolescentulorum animi, ceu fertile solum, ad omnigenæ virtutis frugem ritè sint exculti; continuò tamen in vitiorum lollum repullulant, nisi doctioris coloni perfrequens accesserit cultura, sarculúmque industriæ, ad inutilem malorum herbam stirpitus evellendum. Quid pluribus? Ursæ genium, ac naturam induat; qui formandos suscepit adolescentes. Illa catulos lambendo, relambendóque fingit in artus, certámque corporis symmetriam: ille rudem ingenii fœtum, diutinâ cura expoliat in vicum probum, & scientem. Mollem, ductilémque ceram versat sub pollice, qui officium subit præceptoris. Quamlibet formam plastes ceræ molli, subactæque valet inducere: didascalus tractandis juvenum ingeniis præpositus, mollissimè cessuros eorum animos, confestim à primordio ætatis omni rerum bonarum exercitatione imbuat, imprimátque virtutum, ac literarum formas, dum animi eorum liquescunt, qui firma ætate in marmor pervicaciæ durati, nullo labore, nulláque disciplinâ porrò valent emolliri. Ac demum velut pullus equinus arte edomandus est præmaturè, ut capistrum patiatur, freno obtemperet, rectèque pareat sessori: haud aliter ingenia teneræ ætatis, non ponent ferociam, & exultantem liberius naturam; nisi præceptis, & stylo ulmeo moderatius adhibito cicurentur.

EXEMPLA. Possem hanc veritatem AA. ipsâ luce solari clariorem, luculentioribus exemplis illustrare; sed è plurimis paucula delibasse suffecerit. Et primum quidem sibi locum jure vendicat celebrata, vulgatáque toto orbe respublica Atheniensis. Hæc cum multis, iisque pravissimis moribus scateret, atque ideo non levibus curis premeretur, nè florentissimus alioquin status Athenarum pessumiret: Optimatûm amplissimus ordo iniit consilium, anxiè, maturéque disquirens: quâ ratione pristino vigori restitui valeret. Et en tibi unus aliquis è Senatorum corona, apprimè compertam habens causam civitatis in deterius ruentis, producit in medium putre malum, hæcque pauca ad publicum depromit consilium. Respublica Atheniensis, haud absimilis est putido huic

pomo. Sed tamen quemadmodum granis ejus terræ mandatis, fructiferæ possunt plantæ exsurgere: ita non minorem fructum in Republica spectandum, si juventus velut semen è terra enatum, singulari parentum, ac moderatorum solertia excolatur. (a) Tanta nempe educationis vis est. Hoc Lycurgus sapientissimus Legislator, Lacedæmoniis in geminis repræsentavit catulis eadem matre progenitis, quorum alterum domi delicatioribus ciborum cupediis nutricaverat, alterum foras eductum venatu exercebat. His in confertissimo populi conventu dum escam proponit, unáque leporem emittit: alter eorum illico in offam, alter in feram involavit. (b) Atque ità plurimùm in utramque partem valere ostendit dicta parentum, & præceptorum monita, teneris puerorum mentibus instillata. Tenaciter quippe retinentur, quæ rudibus annis percipimus. Huic veritati suffragatur Hannibal Dux Carthaginensium, paternis ex monitis in exitium Romanæ gentis ab ineunte ætate institutus. Vix fortè nonum ætatis annum ingressus fuerat, cum à Patre ad aras admotus, jurisjurandi religione se obstrinxit, cum primùm per ætatem licuerit, acerrimum se hostem populi Romani futurum. Et verò huic educationi respondit eventus, ùt abunde comprobant fasti Romanorum. (c) Aliud institutionis perperàm actæ documentum præbet. Agrippina, immanissimi illius Neronis infausta mater. Hæc cum puero vixdum primo linguæ usu prædito, non alios miscebat sermones, quum de solio, sceptro, ac corona. Nec aliud à Diis immortalibus ardentius flagitabat, quàm ut videret filium Imperii insignibus decoratum. Ab hoc intempestivo, & muliebri voto nè tum quidem remisit, cùm certis authoribus accepisset, Neronem, velut pestem educari in suum, ac reipublicæ Romanæ exitium, sed reponere non dubitavit: occidat, modò imperet. Nec omen rebus defuit. Nam temporum sibi succedentium ordo docuit, qualem belluam regni opes devastantem hæc leæna luci dederit, in suam, populique Romani perniciem grassan-

(a) *Sigon. lib. 4. de Republ. Athen.* [b] *Plut.* (c) *Plut. in Hannibal.*

ſantem, debacchantem. (d) Sed nè inſtitutionem in meliorem quoque partem præterire videamur, ſacra quædam, eáque perpauca in medium exempla producamus. Quid Ludovicum illum Francorum Regem, in Album Divorum relatum, ad eam integritatis ſervandæ curam permovit, ut nunquam ſe lethali, quoad vixit, piaculo obſtrinxerit, niſi Blancæ matris, probè ſobolem regiam educantis perfrequens illa paræneſis: mallem fili te mortuum cernere, quàm auctorem tuum gravi crimine offendentem. Quæ verba uſque adeo tenaciter cordi ejus inhærére, ut domi inter aularum illecebras, foris in belli licentia, nullis ſe unquam fœdis peccatorum ſordibus inquinarit. Tantum valet etiam in regali ſurculo proba animi cultura. [e] Quid Thomam illum Aquinatem, illuſtri ſanguine oriundum, ad illam caſtimoniæ gloriam, & ſingularium virtutum evexit faſtigium, niſi recta inſtitutio moderatorum? Quid Aloyſios, Stanislaos, ut innumeros alios ſilentio involvam, quid inquam provexit ad illam orbe toto celebrem ſanctimoniam, niſi diſciplina ſacratior, ſub qua ab incunabulis adolevêre, niſi præcepta illa, & monita, quæ à patribus; & pædagogis hauſta, altè in pectus demiſerunt.

TESTIMONIA. Atque hoc ipſum eſt quod Romanus ſapiens ſapienti ſtabilit teſtimonio, inquiens: *educatio, & diſciplina mores facit, & illud ſapit unuſquiſque, quod didicit.* (f) *Hæc educatio maximam diligentiam plurimumque profuturam requirit. Facilè eſt teneros adhuc animos componere: difficulter autem reciduntur, quæ nobiſcum creverunt.* (g) Et Ariſtiphus Philoſophus Cyrenæus, dum quiſpiam ex eo ſciſcitaretur: quæ potiſſimùm adoleſcentibus condiſcenda forent, repoſuit: *quæ viris uſui ſint futura.* (h) Quam verò neceſſaria ſit recta inſtitutio, ex Divini Platonis mente accipite ità diſſerentis: *nullum ex reliquis animantibus atrocius ſit homine, atque effernatius, niſi tempeſtivis diſciplinæ auxiliis mitigetur. Natura enim facta eſt pronior ad malum, & ad vitia, quàm ad virtutes*

[d] *Xiphilin. in Neronæ.* (e) *In vita. S. Ludovici c.* 49. [f] *de morib.* (g) *lib.* 2. *de ira.* [h] *apud Stob.*

propensior. (i) Id ante Platonem, sapientissimus omnium mortalium oraculo judicatus Socrates asseruit, ità edicens: *ingenuis, & optimè natis evenit, quod equis ferocibus, & optimæ indolis, qui si à primis annis instituantur, egregii, & ad omnem usum accommodati evadunt: si minus, efferati, intractabiles, & ad nihilum utiles, eoque fit, ut felicissima quæque ingenii corrumpantur inscitià instituentium, quin equos vertant in asinos, quod erectis, & liberis imperare nesciunt.* (k) *Generosa* verò *indoles*, ut Plutarchus ait in Themistocle, *magno bono est patriæ: sin ad vitium degeneret, magnum adfert malum.* Et sane *studia, quæ sunt in adolescentia, tanquam in herbis significant, quæ virtutis maturitas, & quanam fruges industriæ sint futuræ*, inquit Princeps Oratorum (l) Nam *in optimis quoque, antequam erudias virtutis materia, non virtus est.* [m]

Doctrina sed vim promovet insitam,
Rectique cultus pectora roborant, [n]

Ut canit Romanæ fidicem lyræ. Cui accinit Persius in Satyris:

Udum, & molle lutum es, nunc nunc properandus, & acri
Fingendus sine fine rotà. [o]

Hæc de recta institutione literaria, veterum monumenta quantumvis profana enuntiant. Sed quid ipsius sacratissimi Spiritus oracula? *Noli subtrahere* præcipiunt, *à puero disciplinam. Si enim percusseris eum virgâ, non morietur. Non corrideas illi, nè doleas, & in novissimo obstupescant dentes tui.* (p) *Egestas, & ignominia ei, qui deserit disciplinam, qui autem acquiescit arguenti, gloriabitur.* (q) *Nam sapientiam, & disciplinam qui abjicit, infelix est, & vacua spes illorum, & labores sinè fructu, & inutilia opera eorum* (r) *Virga, & correptio tribuit sapientiam.* [s]

EPILOGUS. Hæc cùm ipsi adeò Veritati æternæ sint consentanea, meritâ laude prosequamur Doctorem maximum, aureíque oris Oratorem, citra omne dubium asserentem, nîl majus reperiri posse utilius rectâ institutione ju-

(i) *lib. de leg.* (k) *apud Stob.* [l] *pro Cælio.* [m] *Sen. epist.* 90. (n) *lib.* 4. *carm. ode.* 4. (o) *Satyra.* 3. (p) *Proverb.* 23. (q) *ibid.* 13. (r) *Sapient.* 3. [s] *Proverb.* 29.

juventutis. Quamobrem qui bonis moribus, artibúsque suscipiunt eam fingendam, formandamque, ea ut agant sum eis sum author, quæ probum, solertem, canísque moribus præditum decent instructorem. Cohibeant, mitigéntque, ùt par est, in prima statim ætate bullientes naturæ impetus mansuetudinis virtute, licentiam quidlibet agendi continentiæ freno adstringant, temeritatem agendorum verecundiâ attemperent, dolores patientiæ studio leniant, atque exorbitantes motus rectæ rationis lege moderentur, quò adolescentes honestissimis virtutum actionibus delectentur, omne vitiorum genus detestantes. Maximoperè verò allaborandum est, ut ea in artium palæstra exercendis prælegantur, quæ proficua comprimis juventuti futura sunt in adulta, graviorique ætate. Institutio quippe capacitati, & fini instituendi accommoda sit oportet. Nec cessandum illico à cultura sibi existiment pædagogi, si decumano labori fructus non continuò respondeat. Patienter est ferendum, eóque præstolandum, dum fructus veniat temporaneus, licèt serotinus, in autumno ætatis non sinè jubilo carpendus, colligendus. Illud demum literarum, morúmque Doctoribus consilii dare è mente sapientûm pervelim, ut cum severitate disciplinæ, paternæ pietatis, & mansuetudinis officium alumnulis suis impendant. Attemperare rigorem cum lenitate est necesse, ut nec multâ asperitate eorum animi ulcerentur, nec nimia lenitate in vitia dissolvantur.

CHRIA VI.

Crates Philosophus peculium suum in mare spargit, cum dicto: nè perimant, pereant. *Philostratus in sophis.*

EXORDIUM. NEmo vestrûm est AA. qui ambigat, viros sapientiæ luce conspicuos, non tam mortalium oculos admiratione sui perstringere, quam in eo-

rundem ore versari, ac magnificis laudibus celebrari. Nunquam enim viri artium peritia spectatissimi encomio suo caruére, Nec solum fama sapientiæ celebres, eorúmque effata, per ora hominum volitant, sed & fortium virorum gesta, secundam populi admirationem consequuntur. Quis enim res præclarè actas, & ex imperio fortis animi in lucem datas, ab immortalitate nominis eximere moliatur? Habeant proinde suos oracula Sapientùm panegyristes. Habeant & suos facta robustiore animo exantlata encomiastes. Illos tamen ego in illustriori quadam specula collocandos existimem, ampliorique laude in cælum efferendos; qui non duntaxat sapientiæ, sed & fortitudinis imitanda præbuere argumenta. Digna est hæc prædicari, digna & illa celebrari. Alteram tamen ab altera secerni indies videmus. Nonnunquam sapiens rerum naturas nôsse contentus, ab glorioso facinore manum revocat. Interdum vir fortis adyta subire scientiarum perhorrescit. Ubi proinde sapientiæ castra fortitudinis non refugit; & ubi fortitudo sapientiæ penetralia generoso gradu pervadit, sibique individuo nectuntur vinculo: majores famæ tubas apud posteros sibi promerentur. Hanc indissolubilem sapientiæ, ac fortitudinis unionem, ac utriusque fœdus ità sociavit Crates Thebarum Philosophus, ut jure nobis dubitationem afferre possit, an sapientia virtuti fortitudinis, an fortitudo sapientiæ apud animum ejus valeat anteferri. Dictum proinde, factúmque ejus ab utraque Pallade prognatum, liceat mihi hodie prosequi sermone licèt minùs expedito, & ad limam eloquentiæ non satis, ut par foret, exculto.

PARAPHRAS. Hic talis, tantúsque Philosophus, ad virtutem illius ævi toto pectore aspirans, divitiásque infra illam ducens, ac jam rem omnem familiarem generoso calce proterens, ad littus maris pernici gradu fertur, aurum; & opes in aquas effusurus, DEUM immortalem! quò te pedes? quid moliris? quæ animo tuo obversatur cogitatio? Quid? Túne bonorum copiam non fortunæ munere tibi collatam, sed labore, & solertià comparatam in undas spargere? Túne rem domesticam, cui augendæ

alii

alii diu, noctúque desudant, malè perdere, ac dissipare in animo habes? Quid? tunc miseriarum à te ipse devolveris, ut ab iis etiam rebus sis imparatus, earúmque inopia premaris, sinè quibus vix, aut nè vix quidem humana vita toleratur? Quare si sapis, ut sapere sapientem decet; discede à sententia adeo tibi perniciosa, manum à facto retrahe, gradum revoca, opibus, ut par est utere, quæ malæ non sunt, nisi malè utentium voluntate. Sed mortuo verba facio. Prosequitur iter Crates. Res familiaris, quam nos magni ducimus, postremum apud eum locum obtinet: minima ei divitiarum cura, virtus sola, & unica in pretio, & amore. Littori loquimur: carpit iter ad mare, útque à sensu, & consilio suo abeat, nè à se quidem impetrare potest, sed aurum, & opes jactat in aquas, altáque voce edicit: pereant, nè perimant, mergantur, nè ab eis demergar. Atque ità sapientis animum comparatum esse oportere censebat, clariori sapientiæ lumine illustratus Crates. Satius est interire locupletes census, quam virtutem. Præstat hoc onere pergravi relevari, quam eodem noctes, diésque permolestè gravari.

CAUSA. Nemo proinde facti hujus insolentiam in admirationem deducat, minus dignum censeat esse facinus objurgatione. Apprimè quippe compertum habuit studiosus virtutum Philosophus, aurum materiam esse laborum, discrimen juge possidentium, atque emporium mali infiniti. Exploratum probè habuit virorum sapientissimus, in perniciem heri, obryzi fulgorem splendescere, per tenebras intempesta nocte requiri, & vix satis unquam ferreis vectibus, ac repagulis posse custodiri. Mille enim insidiis nunquam non patent opes. Horum cupiditate ducti per sylvas grassantur prædones; maria pervolant piratæ, pallor, timor oppugnant, invadúntque possessorem, pax, & gaudium animo cogitur exulare, curæque & mœrores excubare solent ad ædes pretiosis facultatibus refertas. De quo nè ambigendi locus relinquatur, dicite bonis fortunæ affluentes viri: an non jugiter pertimescitis violentam potentiorum dexteram? An non suspe-

ctam continuò habetis vel ipsorum familiarium fidem? An non jugiter pavetis manus exterorum, insidias facultatibus vestris per fraudis molimina struentes? Ecquis jam vestrum erit AA. qui hæc trepidâ formidine omnibus horis velit torqueri, cruciari? Quis tot pungentibus curis lancinari, tot infestis cogitationibus exagitari, tot angoribus repleri, tot noctibus placida quiete fraudari velit, assiduóque metu divexari; nè laverniones, opinione forsan citius uncatis manibus, in gazas involent, diripiántque? O miseram igitur opulentorum conditionem, tot, tantísque calamitatibus obnoxiam, subjectámque! Pereant igitur opes, nè perimant, gemant sub aquis, & tot scelerum incentiva toto mari restinguantur. Quod enim malum est ab scaturigine affluentium copiarum non emanans? Hujus gratiâ, in vetita ruimus; alios fortunis suis exturbamus, simultates fovemus, altercationes perpetuas exercemus, bella intestina publicáque gerimus, atque ipsa naturæ jura, legúmque ordinem pervertimus, ac violamus. Et plura vitiorum portenta missa faciamus, quisquámne in virtutum, ac sapientiæ palæstra jugi exercitio versabitur, qui auri cupiditate inardescat? Quid? eúmne in Album sapientiæ, ac virtutum retuleritis, qui unicè cogitata sua altiore rerum cognitione distinendus, aureæ telluris glebæ abjecerit, quíque verâ se expolians libertate, velut captivus, ac mancipium inanium efficitur votorum? O infamem hominis ad sublimiora nati conditionem!

CONTRARIUM. Longè profectò beatiores illos existimarim, apud quos virtus plurimum, divitiæ minimum valent. Illi enimvero in syllabum rectè sapientium inseri merentur; qui universa infra se ponentes, velut aquilæ in alta cælorum jugi meditatu se attollunt, & excusso inutilium pennarum onere (sic enim fortunæ munera appellare lubet) ad virtutis fastigia, rebus caducis excelsiores, eniti adlaborant. Inhient alii opibus, aurique sartaginem cumulent: hi comparando virtutum gazophylacio, veræque sapientiæ thesauro operam ponunt indefessam. Consumantur alii sollicitudine, & angore, au-

geat

gendæ rei familiari per fas, & nefas studeant; invadant terras sub alio Sole calentes, neque se discrimine ullo ab amore acquirendorum deterreri patiantur: cùm isti, quò animi quietem, ac malitiam indipiscantur, virtutem rebus perituris anteferunt, placidissimum vitæ cùrsum, inter fortunæ suæ limites, transgredientes. Aggerant sibi alii bracteatam opum felicitatem, & maximam bonorum myrmecinam sibi, ac nepotibus congerant, sed una nôrint, egestatem persæpe à tergo sequi Cræsos, & Midas, licèt ab rerum copia instructissimos. Virtus, & sapientia, Pactoli fortunas, & Pelopis talenta longo antecedit intervallo. Et satius est laborare penuria nummorum, quàm virtutum. Copiosos, ac locupletes interdum sanna excipit ac dehonestamentum: virtuti, ac sapientiæ honorum insignia decernuntur. Opulenti, plerumque mærore afficiuntur, ac tristibus curis animum excedunt: virtuosi, ac sapientes hilaritate mirifica redundant, diémque omnem agunt genialem. Sapientiæ denique, ac virtutis sectatores, in quacunque demum rerum vicissitudine, propositi sui tenaces, unam, eandémque perpetuam vitæ observant rationem: opibus affluentes animo semper vacillant, Proteo, ac Vertumno mutabiliores. In uno tamen inconcussos, suíque arbitrii tenaces videas, quò indies majorem auri vim conflare possint. At quamquàm acervatim in eos bona fortunæ congesseris, nunquam tamen eorum sitim, in plura jugiter ardentem restinxeris, ac sedâris.

SIMILE. Quemadmodum enim molossus missa à Domino frusta panis, hiantibus, appertísque faucibus captat, & quidquid excipit, protinus in ilia demittit integrum, semper ad spem futuræ offæ inhians: idem avidis opum sectatoribus usuvenit. Quidquid enim expectantibus fortuna objecerit, continuò in scrinia, & arcas recondunt, omníque tempore sunt arrecti, attentíque ad gazas promptis, explicatísque manibus capiendas. Diceres ejusmodi citra commentum veros esse Tantalos, inter ipsas opes inopes, nunquam habentes, quod satìs est, at semper in quæstum, & aggregandas facultates turpiter

projectos. Diceres è Danadum dolio haurire aquas, quibus nunquam repleri valent: aut certè, quod non minùs est tormentum, spe acquirendorum frustrantur: aut saltem metu eripiendorum, mirum in modum jugiter affligantur. Unde non abs re vepribus, ac spinis divitiarum abundantia assolet æquiparari. Nam veluti spinetum accedentem propius aculeis suis infestat, laceratque incautiorem dexteram: haud secùs identidem opes suas pertractantem Euclionem laniari in animo est necesse. Et quemadmodum vepretum natura sua est sterile, ac infæcundum, facilémque præbet materiem flammis, nec non accommodum scorpiis, aliísque reptilibus habitaculum: non aliter se habet animus immoderata auri cupiditate occupatus. Hic enimverò sterile, ac infelix est solum, omniáque virtutum germina suffocat, ignibus vetitis amplissimum subministrat pabulum, & anguibus orcinis jugem, gratúmque apparat incolatum. At verò felicius est solum virtutis, & sapientiæ, in quo non sentes horréscunt, sed rosæ sinè spina purpurascunt, in quo non aspides nidulantur; sed Charites placidè commorantur, in quo non ignes vetiti animum perurentes excitantur; sed flammæ amoris divini in acceptabile holocaustum accenduntur. Quid quod lætissimá paupertate læti, non inopinis mactantur infortuniis, repentinis obruuntur casibus, non ventis, undis, ignibus, aliáque unde unde tandem ingruente ærumna, ac calamitate, à statione firma virtutis exturbatur.

EXEMPLA. Hoc inopiæ lætioris præsidio septus, munitúsque fuit olim Abdolonymus, altissima Regum prosapia oriundus. Forsan is iniquiore usus fortuna, ad eam redactus est conditionem; ut suburbanum Sidonis hortum non jam Princeps, sed olitor coleret exiguæ stipis causa. At qui acceptum à fortuna vulnus tulit? Læto ore, serena fronte, & animo forti, excelsósque, paratus vitam agere inopem, at rebus secundis in animo affluentem. Hæc inter dum operi diuturno, regiis solutus curis, intenderet, ac viridarium à sterili herba repurgaret

ab

ab legatis M. Alexandri Rex salutatur. Rogatus à Macedonum Monarcha, quo animo tulerit inopiam ? reposuit, optare se, ut eodem regnum pati posset: manus quippe sufficisse desiderio suo nihilque habenti, nihil defuisse. (a) Eadem mente, aut fortè altiori fuisse præditum existimem Fabricium, gloriam Romanæ gentis. Huic cùm Pyrrhus Rex ingentem auri vim dono obtulisset, generose à se, ipse fortunæ suæ faber Fabricius, repudiavit, majúsque regnum judicavit, regias opes posse contemnere. (b) Pari ratione Demetrius projecit divitias, onus illas bonæ mentis existimans. (c) At quid sapiens ille morio, ac joviale cerebrum Diogenes de rerum opulentia ? O insolens, dignúmque laudum modiis factum, per confertas Macedonum gazas nudus incessit, felicitatem collocans non in opibus, sed egestate. Nec, quod mireris, gurgustium, viléque tugurium, arcendo calori, frigoríque opportunum inhabitare voluit, minùs Regum augustale, dolio malè sarto degere contentus. Quin ipsum adeò in frusta comminuit poculum, vola manûs ejus loco deinceps usurus. Quibus acceptis Alexander Macedo, Diogenem mortalium omnium felicissimum pronuntiavit, palámque edixit: Diogenes mallem esse, quàm alius, si non Rex, & Alexander essem. (d) Diogeni proximè accedit Phocion Atheniensis, grande auri pondus ab eodem Rege sibi oblatum rejiciens, & attestans: se non egere auro regio. Quod factum immortalibus fastis inscribendum, eam Græcos inter Sophistas peperit controversiam; ut tempore non modico agitarint disceptationem: majórne Alexander esset, an Phocion, qui aurum Alexandri nullo loco habuisset. [e] Huic jure accensendus venit Aglaus Psophidius, Arcadum egentissimus; qui cum limites arvorum suorum facili negotio ampliare valuisset, nunquam tamen eorum terminos excessit, parvi rusculi frugibus vitæ suæ spatium deducens. Hanc angustiorem rem domesticam, fru-

(a) *Sabel. lib.* 4. (b) *Plin. lib.* 6. *de viris illustrib.* (c) *Sen. de Provid. cap.* 6. (d) *Sep. lib.* 5. *de benefic. cap.* 4. (e) *Plut. in Phocione.*

frugalitatis causâ quæsitam, tanti fecit in Aglao oraculum Apollinis, ut eum Gygi Lydiæ Regi, opibus validissimo longiùs anteferre non dubitârit. [f] Quàm verò auri, argentique possessio importuna sit sapientiæ studioso, quasque ei facessat molestias, usu suo perdoctus est Anacreon, quinque talentis auri à Policrate donatus. Hæc enim non unâ nocte, fugiente ab oculis somno, solicitudine non levi aggravassent virum sapientem; continuò ea retulit ad beneficum Principem, inquiens: non esse tanti, quanta curâ opus haberent. (g] Idem post multam annnorum seriem, proprio didicit experimento Sigismundus Imperator, cui quadraginta scutatorum millia transmisit Ungariæ regnum. Ubi nox appetiit, fractum negotiorum pondere corpus, ad quietem, somnúmque magnus Princeps componere nitebatur. At somno nullatenus indulgere valuit, recurrentibus identidem curis, quos in usus oblata auri copia foret ritè expendenda. Jam plures effluxerant horæ, somnus tamen licèt sæpius invitatus, recedebat ab oculis, curis obstrepentibus eliminatus. Princeps soporis actus cupidine, jubet continuò per ministros à cubiculis, viros à consiliis, & tribunos belli accersiri. His actutum morem gerentibus Cæsari, arcam præcipit auro turgentem reserari; intentóque ad illam digito, hæc edicit: ecce hi crudelissimi hostes, ac carnifices somnum mihi eripuerunt. Accipite, & inter vos dividete, ut mihi tranquillè dormire liceat. Ut primùm verò divisis inter se nummis discesserunt; suavissimo statim sopore correptus est Sigismundus. [h) Nec lassata duntaxat corporis membra, ab inquietis opibus seposita, somno approbè irrigantur; sed vel maximè animo quies optatissima conciliatur. Hoc innumeris propè docemur argumentis in fastis Divorum; qui pacis, ac quietis internæ causâ, molestis opibus, ac facultatibus se se exuère! qui spreto diademate, proculcata purpura, omnique regio apparatu virtuti posthabito, inopem, jacentémque humana opinione vitam elegêre gloriam in ignominia, divitias in paupertate consectantes.

TESTI-

(f) Plin. l. 6. c. 46. [g] Stob. ser. 91. [h] Æneas Silv. l. 4.

TESTIMONIA. *Causa* namque *probitatis*, ut dicta testibus comprobemus, *plerisque paupertas est* è mente Curtii; (i) *morum magistra* Menandro, *bonæ mentis soror* Senecæ, *nulleque mala, nisi repugnanti.* (k) *Multa sanè bona secum adfert. Nam paupertas expedita & secura, quum classicum cecinit, scit se non peti.* (l) Ex adverso discere vos ex Romano sapiente cupio: *Beatum non eum esse, ad quem pecunia magna confluxit; sed illum, cui omne bonum in animo est, erectum, & excelsum, & mirabilia calcantem.* (m) *Abstrahunt enim à recto divitiæ, honores, potentia, & cætera, quæ opinione nostra cara sunt, pretio suo vilia. Nihil sanè habent magnificum, quo mentes nostras in se trahant, præter hoc, quod mirari illas consuevimus.* [n] Aliis verò locis hæc fundit oracula. *Sub marmore, atque auro servitus habitat.* (o) *Imò deprehendes divites à mendicis nihil differre, imò meliores esse: illi enim exiguo, hi multo egent* (p) *Tu illum divitem putas, quia aurea suppellex etiam in via eum sequitur, quia tantum sub urbani possidet agri, & quum omnia dixeris, pauper est. Quare? quia debet. Quantum inquis? omnia. Nisi fortè judices interesse, utrum aliquis ab homine, an à fortuna mutuum sumpserit.* (q) Audiamus etiam de se ipso confitentem Senecam: *Sollicitudo, inquit, nos in nostra purpura versat, & acerrimis excitat stimulis.* (r) *Nec causa latet: horum enim, qui felices vocantur, hilaritas ficta est, aut gravis, & supperata tristitia. Et quidem gravior; quia non licet palam esse miseros, sed inter ærumnas cor ipsum exedentes necesse est agere felicem.* (ſ) Denique *non est ista solida, & sincera felicitas: crusta est & quidem tenuis,* (t) *bracteata felicitas est. Inspice, & disces sub ista tenui membrana dignitatis, quantum mali lateat.* (u) *Ipse mihi dico quoties tale aliquid perstrinxerit oculos meos, quoties occurrit domus splendida, cohors culta servorum: quid miraris: quid stupes: Pompa est. Ostenduntur istæ res, non possidentur, & dum placent, transeunt.*

(i) *lib.* 4. (k) *apud Stob. serm* 93. (l) *epist.* 123. (m) *epist.* 81. (n) *epist.* 45. (o) *ibid.* (p) *epist.* 90. (q) *de const. sap.* 13. (r) *epist.* 87. (ſ) *eqist. epist.* 90. (t) *ibid.* (u) *de provid. c.* 6.

propensior. (i) Id ante Platonem, sapientissimus omnium mortalium oraculo judicatus Socrates asseruit, ità edicens: *ingenuis, & optimè natis evenit, quod equis ferocibus, & optimæ indolis, qui si à primis annis instituantur, egregii, & ad omnem usum accommodati evadunt: si minus, efferati, intractabiles, & ad nihilum utiles, eoque fit, ut felicissima quæque ingenii corrumpantur inscitiâ instituentium, quin equos vertant in asinos, quod erectis, & liberis imperare nesciunt.* (k) *Generosa* verò *indoles*, ut Plutarchus ait in Themistocle, *magno bono est patriæ; sin ad vitium degeneret, magnum adfert malum.* Et sane *studia, quæ sunt in adolescentia, tanquam in herbis significant, quæ virtutis maturitas, & quanam fruges industriæ sint futuræ*, inquit Princeps Oratorum (l) Nam *in optimis quoque, antequam erudias virtutis materia, non virtus est.* [m]

Doctrina sed vim promovet insitam,
Rectique cultus pectora roborant, [n]

Ut canit Romanæ fidicem lyræ. Cui accinit Persius in Satyris:

Udum, & molle lutum es, nunc nunc properandus, & acri
Fingendus sine fine rotâ. [o]

Hæc de recta institutione literaria, veterum monumenta quantumvis profana enuntiant. Sed quid ipsius sacratissimi Spiritus oracula? *Noli subtrahere* præcipiunt, *à puero disciplinam. Si enim percusseris eum virgâ, non morietur. Non corrideas illi, nè doleas, & in novissimo obstupescant dentes tui.* (p) *Egestas, & ignominia ei, qui deserit disciplinam, qui autem acquiescit arguenti, gloriabitur.* (q) *Nam sapientiam, & disciplinam qui abjicit, infelix est, & vacua spes illorum, & labores sinè fructu, & inutilia opera eorum* (r) *Virga, & correptio tribuit sapientiam.* [s]

EPILOGUS. Hæc cùm ipsi adeò Veritati æternæ sint consentanea, meritâ laude prosequamur Doctorem maximum, aureique oris Oratorem, citra omne dubium asserentem, nîl majus reperiri posse utilius rectâ institutione ju-

(i) *lib. de leg.* (k) *apud Stob.* [l] *pro Cælio.* [m] *Sen. epist.* 90. (n) *lib.* 4. *carm. ode.* 4. (o) *Satyra.* 3. (p) *Proverb.* 23. (q) *ibid.* 13. (r) *Sapient.* 3. [s] *Proverb.* 29.

juventutis. Quamobrem qui bonis moribus, artibúſque ſuſcipiunt eam fingendam, formandamque, ea ut agant ſum eis ſum author, quæ probum, ſolertem, caníſque moribus præditum decent inſtructorem. Cohibeant, mitigéntque, ut par eſt, in prima ſtatim ætate bullientes naturæ impetus manſuetudinis virtute, licentiam quidlibet agendi continentiæ freno adſtringant, temeritatem agendorum verecundiâ attemperent, dolores patientiæ ſtudio leniant, atque exorbitantes motus rectæ rationis lege moderentur, quò adoleſcentes honeſtiſſimis virtutum actionibus delectentur, omne vitiorum genus deteſtantes. Maximoperè verò allaborandum eſt, ut ea in artium palæſtra exercendis prælegantur, quæ proficua comprimis juventuti futura ſunt in adulta, graviorique ætate. Inſtitutio quippe capacitati, & fini inſtituendi accommoda ſit oportet. Nec ceſſandum illico à cultura ſibi exiſtiment pædagogi, ſi decumano labori fructus non continuò reſpondeat. Patienter eſt ferendum, eóque præſtolandum, dum fructus veniat temporaneus, licèt ſerotinus, in autumno ætatis non ſinè jubilo carpendus, colligendus. Illud demum literarum, morúmque Doctoribus conſilii dare è mente ſapientûm pervelim, ut cum ſeveritate diſciplinæ, paternæ pietatis, & manſuetudinis officium alumnulis ſuis impendant. Attemperare rigorem cum lenitate eſt neceſſe, ut nec multâ aſperitate eorum animi ulcerentur, nec nimia lenitate in vitia diſſolvantur.

CHRIA VI.

Crates Philoſophus peculium ſuum in mare ſpargit, cum dicto: nè perimant, pereant. *Philoſtratus in ſophis.*

EXORDIUM. NEmo veſtrûm eſt AA. qui ambigat, viros ſapientiæ luce conſpicuos, non tam mortalium oculos admiratione ſui perſtringere, quam in eorum-

rundem ore versari, ac magnificis laudibus celebrari. Nunquam enim viri artium peritia spectatissimi encomio suo caruére, Nec solum fama sapientiæ celebres, eorúmque effata, per ora hominum volitant, sed & fortium virorum gesta, secundam populi admirationem consequuntur. Quis enim res præclarè actas, & ex imperio fortis animi in lucem datas, ab immortalitate nominis eximere moliatur? Habeant proinde suos oracula Sapientùm panegyristes. Habeant & suos facta robustiore animo exantlata encomiastes. Illos tamen ego in illustriori quadam specula collocandos existimem, ampliorique laude in cælum efferendos; qui non duntaxat sapientiæ, sed & fortitudinis imitanda præbuere argumenta. Digna est hæc prædicari, digna & illa celebrari. Alteram tamen ab altera secerni indies videmus. Nonnunquam sapiens rerum naturas nôsse contentus, ab glorioso facinore manum revocat. Interdum vir fortis adyta subire scientiarum perhorrescit. Ubi proinde sapientiæ castra fortitudinis non refugit; & ubi fortitudo sapientiæ penetralia generoso gradu pervadit, sibíque individuo nectuntur vinculo: majores famæ tubas apud posteros sibi promerentur. Hanc indissolubilem sapientiæ, ac fortitudinis unionem, ac utriusque fœdus ità sociavit Crates Thebarum Philosophus, ut jure nobis dubitationem afferre possit; an sapientia virtuti fortitudinis, an fortitudo sapientiæ apud animum ejus valeat anteferri. Dictum proinde, factúmque ejus ab utraque Pallade prognatum, liceat mihi hodie prosequi sermone licèt minùs expedito, & ad limam eloquentiæ non satis, ut par foret, exculto.

PARAPHRAS. Hic talis, tantúsque Philosophus, ad virtutem illius ævi toto pectore aspirans, divitiásque infra illam ducens, ac jam rem omnem familiarem generoso calce proterens, ad littus maris pernici gradu fertur, aurum; & opes in aquas effusurus; DEUM immortalem! quò te pedes? quid moliris? quæ animo tuo obversatur cogitatio? Quid? Túne bonorum copiam non fortunæ munere tibi collatam, sed labore, & solertiâ comparatam in undas spargere? Túne rem domesticam, cui augendæ alii

alii diu, noctúque desudant, malè perdere, ac dissipare in animo habes? Quid? tune miseriarum à te ipse devolveris, ut ab iis etiam rebus sis imparatus, earúmque inopia premaris, sinè quibus vix, aut nè vix quidem humana vita toleratur? Quare si sapis, ut sapere sapientem decet; discede à sententia adeo tibi perniciosa, manum à facto retrahe, gradum revoca, opibus, ut par est utere, quæ malæ non sunt, nisi malè utentium voluntate. Sed mortuo verba facio. Prosequitur iter Crates. Res familiaris, quam nos magni ducimus, postremum apud eum locum obtinet: minima ei divitiarum cura, virtus sola, & unica in pretio, & amore. Littori loquimur: carpit iter ad mare, útque à sensu, & consilio suo abeat, nè à se quidem impetrare potest, sed aurum, & opes jactat in aquas, altáque voce edicit: pereant, nè perimant, mergantur, nè ab eis demergar. Atque ità sapientis animum comparatum esse oportere censebat, clariori sapientiæ lumine illustratus Crates. Satius est interire locupletes census, quam virtutem. Præstat hoc onere pergravi relevari, quam eodem noctes, diésque permolestè gravari.

CAUSA. Nemo proinde facti hujus insolentiam in admirationem deducat, minus dignum censeat esse facinus objurgatione. Apprimè quippe compertum habuit studiosus virtutum Philosophus, aurum materiam esse laborum, discrimen juge possidentium, atque emporium mali infiniti. Exploratum probè habuit virorum sapientissimus, in perniciem heri, obryzi fulgorem splendescere, per tenebras intempesta nocte requiri, & vix satis unquam ferreis vectibus, ac repagulis posse custodiri. Mille enim insidiis nunquam non patent opes. Horum cupiditate ducti per sylvas grassantur prædones; maria pervolant piratæ, pallor, timor oppugnant, invadúntque possessorem, pax, & gaudium animo cogitur exulare, curæque & mœrores excubare solent ad ædes pretiosis facultatibus refertas. De quo nè ambigendi locus relinquatur, dicite bonis fortunæ affluentes viri: an non jugiter pertimescitis violentam potentiorum dexteram? An non suspe-

ftam continuò habetis vel ipsorum familiarium fidem? An non jugiter pavetis manus exterorum, insidias facultatibus vestris per fraudis molimina struentes? Ecquis jam vestrum erit AA. qui hac trepidâ formidine omnibus horis velit torqueri, cruciari? Quis tot pungentibus curis lancinari, tot infestis cogitationibus exagitari, tot angoribus repleri, tot noctibus placida quiete fraudari velit, assiduóque metu divexari; nè laverniones, opinione forsan citius uncatis manibus, in gazas involent, diripiántque? O miseram igitur opulentorum conditionem, tot, tantísque calamitatibus obnoxiam, subjectámque! Pereant igitur opes, nè perimant, gemant sub aquis, & tot scelerum incentiva toto mari restinguantur. Quod enim malum est ab scaturigine affluentium copiarum non emanans? Hujus gratiâ, in vetita ruimus; alios fortunis suis exturbamus, simultates fovemus, altercationes perpetuas exercemus, bella intestina publicáque gerimus, atque ipsa naturæ jura, legúmque ordinem pervertimus, ac violamus. Et plura vitiorum portenta missa faciamus, quisquámne in virtutum, ac sapientiæ palæstra jugi exercitio versabitur, qui auri cupiditate inardescat? Quid? eúmne in Album sapientiæ, ac virtutum retuleritis, qui unicè cogitata sua altiore rerum cognitione distinendus, aureæ telluris glebæ abjecerit, quíque verâ se expolians libertate, velut captivus, ac mancipium inanium efficitur votorum? O infamem hominis ad sublimiora nati conditionem!

CONTRARIUM. Longè profectò beatiores illos existimarim, apud quos virtus plurimum, divitiæ minimum valent. Illi enimvero in syllabum rectè sapientium inseri merentur; qui universa infra se ponentes, velut aquilæ in alta cælorum jugi meditatu se attollunt, & excusso inutilium pennarum onere (sic enim fortunæ munera appellare lubet) ad virtutis fastigia, rebus caducis excelsiores, eniti adlaborant. Inhient alii opibus, aurique sartaginem cumulent: hi comparando virtutum gazophylacio, veræque sapientiæ thesauro operam ponunt indefessam. Consumantur alii sollicitudine, & angore, au-

gent

gendæ rei familiari per fas, & nefas studeant; invadant terras sub alio Sole calentes, neque se discrimine ullo ab amore acquirendorum deterreri patiantur: cùm isti, quò animi quietem, ac malitiam indipiscantur, virtutem rebus perituris anteferunt, placidissimum vitæ cursum, inter fortunæ suæ limites, transgredientes. Aggerant sibi alii bracteatam opum felicitatem, & maximam bonorum myrmecinam sibi, ac nepotibus congerant, sed una nôrint, egestatem persæpe à tergo sequi Cræsos, & Midas, licèt ab rerum copia instructissimos. Virtus, & sapientia, Pactoli fortunas, & Pelopis talenta longo antecedit intervallo. Et satius est laborare penuria nummorum, quàm virtutum. Copiosos, ac locupletes interdum sanna excipit ac dehonestamentum: virtuti, ac sapientiæ honorum insignia decernuntur. Opulenti, plerumque mærore afficiuntur, ac tristibus curis animum excedunt: virtuosi, ac sapientes hilaritate mirifica redundant, diémque omnem agunt genialem. Sapientiæ denique, ac virtutis sectatores, in quacunque demum rerum vicissitudine, propositi sui tenaces, unam, eandémque perpetuam vitæ observant rationem: opibus affluentes animo semper vacillant, Proteo, ac Vertumno mutabiliores. In uno tamen inconcussos, suíque arbitrii tenaces videas, quò indies majorem auri vim conflare possint. At quamquàm acervatim in eos bona fortunæ congesseris, nunquam tamen eorum sitim, in plura jugiter ardentem restinxeris, ac sedâris.

SIMILE. Quemadmodum enim molossus missa à Domino frusta panis, hiantibus, appertísque faucibus captat, & quidquid excipit, protinus in ilia demittit integrum, semper ad spem futuræ offæ inhians: idem avidis opum sectatoribus usuvenit. Quidquid enim expectantibus fortuna objecerit, continuò in scrinia, & arcas recondunt, omníque tempore sunt arrecti, attentíque ad gazas promptis, explicatísque manibus capiendas. Diceres ejusmodi citra commentum veros esse Tantalos, inter ipsas opes inopes, nunquam habentes, quod satìs est, at semper in quæstum, & aggregandas facultates turpiter

projectos. Diceres è Danadum dolio haurire aquas, quibus nunquam repleri valent: aut certè, quod non minùs est tormentum, spe acquirendorum frustrantur: aut saltem metu eripiendorum, mirum in modum jugiter affligantur. Unde non abs re vepribus, ac spinis divitiarum abundantia assolet æquiparari. Nam veluti spinetum accedentem propius aculeis suis infestat, laceratque incautiorem dexteram: haud secùs identidem opes suas pertractantem Euclionem laniari in animo est necesse. Et quemadmodum vepretum natura sua est sterile, ac infæcundum, facilémque præbet materiam flammis, nec non accommodum scorpiis, aliísque reptilibus habitaculum: non aliter se habet animus immoderata auri cupiditate occupatus. Hic enimverò sterile, ac infelix est solum, omniáque virtutum germina suffocat, ignibus vetitis amplissimum subministrat pabulum, & anguibus orcinis jugem, gratúmque apparat incolatum. At verò felicius est solum virtutis, & sapientiæ, in quo non sentes horrescunt, sed rosæ sinè spina purpurascunt, in quo non aspides nidulantur; sed Charites placidè commorantur, in quo non ignes vetiti animum perurentes excitantur; sed flammæ amoris divini in acceptabile holocaustum accenduntur. Quid quod lætissimâ paupertate læti, non inopinis mactantur infortuniis, repentinis obruuntur casibus, non ventis, undis, ignibus, aliáque unde unde tandem ingruente ærumna, ac calamitate, à statione firma virtutis exturbatur.

EXEMPLA. Hoc inopiæ lætioris præsidio septus, munitúsque fuit olim Abdolonymus, altissima Regum prosapia oriundus. Forsan is iniquiore usus fortuna, ad eam redactus est conditionem; ut suburbanum Sidonis hortum non jam Princeps, sed olitor coleret exiguæ stipis causa. At qui acceptum à fortuna vulnus tulit? Læto ore, serena fronte, & animo forti, excelsósque, paratus vitam agere inopem, at rebus secundis in animo affluentem. Hæc inter dum operi diuturno, regiis solutus curis, intenderet, ac viridarium à sterili herba repurgaret

ab legatis M. Alexandri Rex salutatur. Rogatus à Macedonum Monarcha, quo animo tulerit inopiam? reposuit, optare se, ut eodem regnum pati posset: manus quippe sufficcisse desiderio suo nihilque habenti, nihil defuisse. (a) Eadem mente, aut fortè altiori fuisse præditum existimem Fabricium, gloriam Romanæ gentis. Huic cùm Pyrrhus Rex ingentem auri vim dono obtulisset, generose à se, ipse fortunæ suæ faber Fabricius, repudiavit, majúsque regnum judicavit, regias opes posse contemnere. (b) Pari ratione Demetrius projecit divitias, onus illas bonæ mentis existimans. (c) At quid sapiens ille morio, ac joviale cerebrum Diogenes de rerum opulentia? O insolens, dignúmque laudum modiis factum, per confertas Macedonum gazas nudus incessit, felicitatem collocans non in opibus, sed egestate. Nec, quod mireris, gurgustium, viléque tugurium, arcendo calori, frigoríque opportunum inhabitare voluit, minùs Regum augustale, dolio malè sarto degere contentus. Quin ipsum adeò in frusta comminuit poculum, vola manûs ejus loco deinceps usus. Quibus acceptis Alexander Macedo, Diogenem mortalium omnium felicissimum pronuntiavit, palámque edixit: Diogenes mallem esse, quàm alius, si non Rex, & Alexander essem. (d) Diogeni proximè accedit Phocion Atheniensis, grande auri pondus ab eodem Rege sibi oblatum rejiciens, & attestans: se non egere auro regio. Quod factum immortalibus fastis inscribendum, eam Græcos inter Sophistas peperit controversiam; ut tempore non modico agitarint disceptationem: majórne Alexander esset, an Phocion, qui aurum Alexandri nullo loco habuisset. [e] Huic jure accensendus venit Aglaus Psophidius, Arcadum egentissimus; qui cùm limites arvorum suorum facili negotio ampliare valuisset, nunquam tamen eorum terminos excessit, parvi rusculi frugibus vitæ suæ spatium deducens. Hanc angustiorem rem domesticam, fru-

(a) *Sabel. lib.* 4. (b) *Plin. lib.* 6. *de viris illustrib.* (c) *Sen. de Provid. cap.* 6. [d] *Sep. lib.* 5. *de benefic. cap.* 4. [e] *Plut. in Phocione.*

frugalitatis causa quæsitam, tanti fecit in Aglao oraculum Apollinis, ut eum Gygi Lydiæ Regi, opibus validissimo longiùs anteferre non dubitârit. [f] Quàm verò auri, argentique possessio importuna sit sapientiæ studioso, quasque ei facessat molestias, usu suo perdoctus est Anacreon, quinque talentis auri à Policrate donatus. Hæc enim non unâ nocte, fugiente ab oculis somno, solicitudine non levi aggravassent virum sapientem; continuò ea retulit ad beneficum Principem, inquiens: non esse tanti, quanta curâ opus haberent. (g] Idem post multam annnorum seriem, proprio didicit experimento Sigismundus Imperator, cui quadraginta scutatorum millia transmisit Ungariæ regnum. Ubi nox appetiit, fractum negotiorum pondere corpus, ad quietem, somnúmque magnus Princeps componere nitebatur. At somno nullatenus indulgere valuit, recurrentibus identidem curis, quos in usus oblata auri copia foret ritè expendenda. Jam plures effluxerant horæ, somnus tamen licèt sæpius invitatus, recedebat ab oculis, curis obstrepentibus eliminatus. Princeps soporis actus cupidine, jubet continuò per ministros à cubiculis, viros à consiliis, & tribunos belli accersiri. His actutum morem gerentibus Cæsari, arcam præcipit auro turgentem reserari; intentóque ad illam digito, hæc edicit: ecce hi crudelissimi hostes, ac carnifices somnum mihi eripuerunt. Accipite, & inter vos dividete, ut mihi tranquillè dormire liceat. Ut primùm verò divisis inter se nummis discesserunt; suavissimo statim sopore correptus est Sigismundus. (h) Nec lassata duntaxat corporis membra, ab inquietis opibus seposita, somno approbè irrigantur; sed vel maximè animo quies optatissima conciliatur. Hoc innumeris propè docemur argumentis in fastis Divorum; qui pacis, ac quietis internæ causa, molestis opibus, ac facultatibus se se exuere! qui spreto diademate, proculcata purpura, omnique regio apparatu virtuti posthabito, inopem, jacentémque humana opinione vitam elegêre gloriam in ignominia, divitias in paupertate consectantes.

TESTI-

(f) *Plin. l. 6. c. 46.* [g] *Stob. ser. 91.* [h] *Æneas Silv. l. 4.*

TESTIMONIA. *Causa* namque *probitatis*, ut dicta testibus comprobemus, *plerisque paupertas est* è mente Curtii; (i) *morum magistra* Menandro, *bonæ mentis soror* Senecæ, *nulloque mala, nisi repugnanti.* (k) *Multa sanè bona secum adfert. Nam paupertas expedita & secura, quum classicum cecinit, scit se non peti.* (l) Ex adverso discere vos ex Romano sapiente cupio: *Beatum non eum esse, ad quem pecunia magna confluxit; sed illum, cui omne bonum in animo est, erectum, & excelsum, & mirabilia calcantem.* (m) *Abstrahunt enim à recto divitiæ, honores, potentia, & cætera, quæ opinione nostra cara sunt, pretio suo vilia. Nihil sanè habent magnificum, quo mentes nostras in se trahant præter hoc, quod mirari illas consuevimus.* [n] Aliis verò locis hæc fundit oracula. *Sub marmore, atque auro servitus habitat.* (o) *Imò deprehendes divites à mendicis nihil differre, imò meliores esse: illi enim exiguo, hi multo egent* (p) *Tu illum divitem putas, quia aurea suppellex etiam in via eum sequitur, quia tantum sub urbani possidet agri, & quum omnia dixeris, pauper est. Quare? quia debet. Quantum inquis? omnia. Nisi fortè judices interesse, utrum aliquis ab homine, an à fortuna mutuum sumpserit.* (q) Audiamus etiam de se ipso confitentem Senecam: *Sollicitudo, inquit, nos in nostra purpura versat, & acerrimis excitat stimulis.* [r] *Nec causa latet: horum enim, qui felices vocantur, hilaritas ficta est, aut gravis, & supperata tristitia. Et quidem gravior; quia non licet palam esse miseros, sed inter ærumnas cor ipsum exedentes necesse est agere felicem.* [ſ] Denique *non est ista solida, & sincera felicitas: crusta est & quidem tenuis,* (t) *bracteata felicitas est. Inspice, & disces sub ista tenui membrana dignitatis, quantum mali lateat.* [u] *Ipse mihi dico quoties tale aliquid perstrinxerit oculos meos, quoties occurrit domus splendida, cohors culta servorum: quid miraris: quid stupes: Pompa est. Ostenduntur istæ res, non possidentur, & dum placent, transeunt.*

(i) *lib.* 4. (k) *apud Stob. serm* 93. (l) *epist.* 123. [m] *epist.* 81. (n) *epist.* 45. (o) *ibid.* (p) *epist.* 90. (q) *de const. sap.* 13. (r) *epist.* 87. (ſ) *epist. epist.* 90. [t] *ibid.* (u) *de provid. c.* 6.

ſeunt. Tam ſupervacua mihi viſa ſunt habentibus; quàm fuerant ſpectantibus. [x] *At tu finem omnium rerum ſpecta, & ſupervacua dimittes.* [y] Hæc virtutum Magiſter Seneca. Alios ſuper opum malignitate, pari propè ſapientiâ differentes, lubens, voléntque nè æquo ſim longior, ſilentio involvo. Unum tamen citra crimen præterire mihi non licet Eccleſiæ majus lumen D. Auguſtinum, ità in hoc argumento ſermocinantem. *Aurum eſt materia laborum, periculum poſſidentium: aurum enervatio virtutum: aurum malus dominus, proditor ſervus. Veræ illæ ſunt divitiæ, quas cùm habuerimus, perdere non poſſumus. Omnis copia, quæ DEUS meus non eſt, egeſtas mihi eſt.* (z) At verò *ubi aurum pluit*, *ut* M. Aurelio, M. adnectamus Gregorium *ubi*, inquam *aurum pluit*, *vitium pluit.* (aa)

EPILOGUS. Et erit etiamnum, qui inſaniæ aut temeritatis arguat Cratem Philoſophum, non parvum auri pondus in aquas abjicientem, cum dicto, ut inquit purpuratus Dalmata: *abite peſſum malæ cupiditates. Ego vos ſubmergam, nè ſubmergar à vobis.* Erítne inquam, qui hoc factum, dictùmve Theonino dente carpere velit? Næ is ſibi dementiæ, infamiæque notam, ac labem aſperſerit. Quis enim adeò à mente ſit alienus, qui exiſtimet, cum in veræ felicitatis ſinu conquieſcere? ad quem terræ bona plenis alveis confluxerint? An non lapides, aurum, argentumque terrea ſunt materia, pedibus duntaxat ſubſternenda? Quis ea in animum admittat; quæ ſuo pondere meliorem partem hominis ad ima pertrahunt? Quis ea in amoribus habeat, quæ multa multis ſæpe ſuadent perperam, quæque magìs deſerviunt malitiæ, quàm honeſtati? An in locuplete domo virtus ſemper habitat? An non opes irritamenta ſunt malorum, Auguſtus profectò eſt animus; vitióque proximat, quem hæc præ virtute delectant Quam ob rem qui ad ſanioris doctrinæ legem vitam ſuam conformare ſtudet? redigat ſe ad parva, à quibus metuendam non habet ruinam.

[x] *epiſt.* 115. (y) *ibid.* [z] *epiſt.* 119. *de verbis Domini,* [aa] *in Moral.*

nam. Liberet se vir sapiens metu egestatis, in qua mali nihil delitescit. Apud Iros, & Codros nulla sollicitudo in alto est, & si qua incidit, ut nubes levis præterit. Qui nil possidet, improbam aliorum cupiditatem non irritat. Subscribamus proinde Crati Philosopho, tantíque opes deinceps non pendamus. Abjiciamus divitiarum sarcinas, quo hoc terreno soluti pondere, cursu expeditiore ad virtutis bravium contendamus.

CHRIA VII.

Architas Terentinus rerum suarum gnavus curator, villico malè merito dixit: sumerem à te supplicium, nisi iratus essem. *Valer. Max. lib. 4. cap. 1.*

EXORDIUM. Indomitam iræ rabiem; sævam animorum tyrannidem, humanæ societatis pestem, perniciem familiarum, interitum regnorum, fontem calamitatum, non unius mali originem, matrémque omnium ærumnarum, sapientiæ proceres Ægyptii, hieroglyphico adumbrare studentes, pnicillo expresserè leonem, ut reliquarum animantium principem, irà prædominantis iræ mancipium, nec à se: nec ab aliis facilè edomandum. Leonem inquam, politissima arte depinxêre catulos suos ferociente cauda flagellantem, necantémque. Haud obscura profectò adumbratio hominis, nimiùm irâ effervescentis. Huc facit & imagno furiosi Martis, galeam in capite gestantis, dexterâ flagellum agitantis, & in properante cisio sedentis, lupo carpentum præcedente. Bellum protypon viri, in iram, ac furorem effusi. Quemadmodum enim furibundus Mars galea verticem cooperit, ità homo ira percitus, judicium rationis obtegit, & quasi caliginosa cassidæ obnubilat, obscurátque. At

At quid sibi vult flagellum in dextra Matris ? Hoc utique instrumentum esse ultionis, nemo est, qui ignorat. Flagrum ejusmodi jugiter manu ventilat præceps in iram homunculus, modis omnibus vindicias sumens de lædentibus, si non flagello dexteræ, certò certius verbere linguæ. Nec incongruè Martem in celeri vehiculo sedentem, refert moribus omnique gestu iratus, nunquam stabilem, & quietum capiens locum; sed impotens sui de uno in aliud volvitur, ac raptatur. Demum vectabulum Martis à furoribus incitatum lupus anteit, apud eruditam antiquitatem insano huic deastro consecratum: Lupos non imperiò accensos ira dixerim; qui dente mordaci omnes invadunt, nullum non laniantes, ac discerpentes. O malum humanæ societati perquàm exitiosum?

PARAPHRASIS. Id tempestivo prævertens consilio prudentiæ fama celebris Architas Tarentinus, tantum abest, ut oculos in furoris flammas, linguam in convicia, dextram in verbera, & corpus in belluinam quandam ferocitatem detorserit; aut verborum fulmine detonuerit in merentem pœnas servulum, ut potiùs animum moderationis fræno constrinxerit, nè in noxium sibi, ac proximo furoris impetum præceps abiret. Cùm enim subinde ruri agens, rem familiarem súsque, déque verti cerneret: & obsitos dumis agros spectaret: villam, ac mandram inanem pecore, omniáque ruri languere, ac horrere videret, obvium sibi habet villicum, rei domesticæ segniùs procuratæ authorem. Quo viso in meritam herus accendi iram, pœnas in animo moliri, supplicia, ac cruces cordi machinari. Verùm quid æstuante in pectore ira egisse censetis AA. Architam Tarentinum? An forsan aspectum ferre nequiit desidis servuli, neutiquam. An manum extendit cum scipione in plagas tergori infligendas? nihil minùs. An carceris squalore, & vinculis multavit ignaviam vernæ? nec istud. An non calamitatem, stragemque rei familiaris, gravissimis quibusque pœnis expiavit? haud quaquam. An non ad malam crucem abire jussit, bonísque omnibus exuit segnem villæ curatorem?

rem ? prorsus non. Qui igitur ultus est dormiens ministerium ruris coloni ? Audite iræ properi, quique furore correpti, per supplicia gentium subditarum immaniter grassamini : audite, quid æquissima licet commotus ira egerit Architas ? Maluit sui ipsius victor, jacturam pati temporalis emolumenti quàm iracundiæ vi superatus, animo, ac corpori labem inferre, ac detrimentum. Quare composito ad serenitatem, ac malitiam animo, licèt vultu iræ affectum præseferret, conversus ad exanimum propè villicum hæc edixit: *Sumerem à te supplicium, nisi iratus essem.* Quo pleno sapientiâ effato, iræ temperans Architas, non tam se, quàm Principes, omnésque justitiæ antistites salubriter edocere voluit, ebullientem iram substringendam esse, ardorémque ejus continuò restinguendum, ne subito ejus calore abrepti, facti pœnitudine, pudoréque compleantur.

CAUSA. Non latuit enimverò sapientem affectuum suorum moderatorem Architam, nulla non mala à præcipiti iracundia, in perniciem humanæ reipublicæ provenire. Per iram quippe æqua justitiæ trutina ad iniquitatem detorquetur, gratia vitæ socialis deperditur, vinculum concordiæ rumpitur, lux veritatis extinguitur, sanitas, ac vigor membrorum infirmatur, & vita ipsa non sine ignominia sæpenumerò tumulatur. Ut verò hoc fœdissimum vitiorum genus modis omnibus detestandum esse sciatis, ante oculos mentis vestræ statuam hominem toto stomacho exardescentem, belluam dicere oportebat, monstrumque exitiale, ab omnibus, quos recta gubernat ratio, devitandum. Et en (prô honor!) quod horridum sese oculis nostris objicit portentum ? Quæ torvitas discurrit in facie? quis mœror oberrat in fronte ? quæ minæ debacchantur in tota vultus serie? Vah quod ostentum irata effudit natura! Intueamur illud eminùs, nè cominùs horrore perculsi, animo fortè linguamur. Aspicite, ut suffusi sanguinis rubricâ gyrenunt partes in omnes oculi ; ut flammeum vibrent obtutum. Videte, ut exæstuante ab imis præcordiis calore, toto ore rubor furori immixtus diffundatur, ut labia palpitant, dentes frendent, genæ ardent, nares fumant !

cilia horrent , crinésque instar ericii surrigantur. Hei ! quis feralis sonus aures verberat? An non attonitis auribus accipitis gemitum, planctum, mugitum, quiritatum, ululatum , & sermonem, aut potius murmur vocibus fractum, ac intercisum? Sedsquid manibus , pedibúsque totáque corporis turbati symmetriâ agitat iratus ? Manus in plures frangit, aut distorquet articulos , & jam dextra in pugnum contracta , jam in planitiem explicata , jam in altum porrecta, nescio, quæ mala obviis minitatur? Pedibus verò humum quatit, calcibúsque identidem tundit, quasi Archeronta, omnésque furias in suppetias iræ citaturus. Prô! ut totus quantus furoris æstro correptus debacchatur, tumulatur, vociferatur. O homo non homo, sed fædum hominis simulacrum! Si adeò deformis, abnormísque est moles corporis, qualis erit animi monstro omni horridior imago ? At nolim intimum cordis penetrale verbis adumbrare ; nè fastidium mihi, ac nauseæ molestiam cuiquam videar creare. Quare ad oppositam è diametro huic monstro virtutem gradum facere tantisper lubet,

CONTRAR. Reflectite proinde mecum oculos ab immani portento iræ , ad mansueti hominis amabile objectum; nulli non gratum, & acceptum. Ut paucis imaginem ejus exprimamus ; tota spirat amorem , & favorem. In planissima frontis area ternæ discurrunt Charites ; in ciliis placidè residet clementia ; in oculis Castor, & Pollux colludunt , in genis Pæstana efflorescunt rosaria , in labiis Hybla dulcescit ; in lingua nectar, & ambrosia diffluit , & universa corporis series mitem animum prodit affatim, solamque loquitur benignitatem. Si odio quispiam novercali , aut vatiniano illum insectatur, amorem reddit, ac benevolentiam : si convitiis proscindat , injuria afficiat , omnéque malum in caput ejus congerat, gratiis, ac beneficiis cumulat; hostésque sibi infestissimos complectitur ut filios , & amicos. Quid quod hæc comitas, & suavis humanitas , maximum amicitiæ vinculum est, philtrúmque potentissimum, ad omnium voluntates , & animos sibi conciliandos. Mel verborum gulam etiam adver-

adversariorum, delinit, atque ità affabilitas pectora subit hostium, ut fortius sibi eos devinciat, quàm aureis catenis. Hercules Gallicanus. Hæc mitias; morúmque suavitudo quamquàm omnibus, comprimis tamen illis sit curæ, ac amori, qui rerum potiuntur. Nec veri Imperantes censent decorum sibi esse per iras ruere, quasi verò leonum instar tunc maximè timeatur, cùm rugitum edunt in formidinem populorum. O quot dediti huic virtuti homines, repudiatis ferocioribus, ad summos honorum apices sunt evecti, & in præmium lenis animi, totos Principatus abstulerunt. Hac nempe virtute, velut aureo gradu, viam sibi haud pauci muniunt ad sublimes, honoratásque dignitates. Nec rebellem, ac refractariam, durissimæque cervicis gentem satius rexeris mansuetudine, & molli, prudentíque popysmate verborum. Interea verò in humani, barbari, immites, asperi, ferreíque oris Principes invisi sunt populis, exosíque omnibus, utpote regni eversores, ac certa subditorum pernicies, & ruina.

SIMILE. Non injuria ejuscemodi, Marmarico leoni, in exitium hominum, pecudúmque nati comparâro; aut è vera nonnullorum mente, ipso deteriores leone pronuntiâro. Quippe hoc sævissimum licèt animal, & in sanguinariam stragem nunquam non pronum, à corpore tamen coram se prostrato, rabiem suam avertit. At verò genius Principis semper in iram præceps, nullâ arte edomatur, nullâ demissione placatur, solo sanguine, solísque gaudens funeribus subditorum. Neque à veritatis scopo aberrârim, si flagrantem irâ Principem, aut quoscunque demum alios huic vitio subjectos, fulminantibus dente suo apris assimilâro. Quemadmodum enim hoc profusum ab irata natura ferox genus animantis, ipsum adeò sui interitum parvi pendens, intrepidè sese ferro induit, & quamvis vulnere non uno saucium, vires recolligit in adversarii nocumentum: haud aliter Princeps irâ excandescens, vel quisquis demum alius, quò vindictas sumat de hostibus, nulla habita ratione discriminis vitæ, etiam in tela ferrea impavidè se

projicit, & quamquàm merito famæ, aut corporis vulnere sit prostratus, exsurgit attamen furore redintegrato in adversarios, & si alia nocendi opportunitas non sit ad manum, dentibus calumniarum proximos immaniter dilacerat, discerpitque. Sed nè ab animatis duntaxat leonis, aprique furiis similitudinem ducamus, per rabidam torrentis naturam, commotum iracundiâ animum declaramus. Ut enim hæc liquida agglomeratarum aquarum sævities, per alta, præruptáque montium ruens, quidquid occurrit, præcipiti secum violentiâ abripit, & in ima devolvit, haud secus ii, de quibus nobis est sermo, ubi semel dominantis iræ fervore correpti fuerint, ampliùs retinere non ferentes, cæcâ temeritate in obvia quæque proruunt, & per vulnera, per cædes immaniter in omnes grassantur, debacchantur. Non pensi habet irâ, ac furore percitus propinquitatem generis, non civilis vitæ societatem, conditionem nullam, sexúmve spectat, dum præcipiti, ardentíque iracundiæ satisfactum eat. Oppone romphæas, enséSque bellatores, irridebit: oppone flammantes Vesuvios, & quicquid aliud horridum, ac formidandum compotem rationis percellere valet, non coërcebis abreptum œstro animum, neque à proposito malè concepto ullatenus deterrebis.

EXEMPLA. Hujus veritatis luculentissimum damus exemplum in Alexandro, terrarum, orbísque domitore alioquin longè maximo, ac de omni hoste glorioso, celebríque triumphatore. Et tamen hoc stupendum bellicæ fortitudinis prodigium, prærapidâ actum iracundia, ternas, eásque singulares relatas de hostibus victorias, totidem cædibus aut perdidit, aut fœdavit, dum egregios bello Duces, Lysimachum leoni objecit, Clitum hasta interemit, & Calisthenem ignominiosa morte affecit. (a) Ità nimirum iræ turbo gloriosum nomen evertit, & animo pœnitudinem invehit, ac pudorem, nec non infamiæ labem aspergit, nullo sæculorum labore diluendam. Hujus tanti mundi Principis præfervidum ira genium, proximè

(a) Curt.

mè æmulatus est Maximinus Imperator, ab omni humanitate remotus, homo inamænus, dirus, ferreus, implacabilis, & cum immanissimis feris immanitate comparandus. Hic ubi ob morum suorum feritatem, & rabiem plusquam feralem, quà instar pluviæ densissimæ calamitatibus alios operuit, hic, inquam, immitior tigribus Princeps, cum certis rumoribus accepisset, creatum, suffragante populo Romano, adversus se Gordianum Imperatorem, adeò ira excanduit, ut jam caput parieti illideret, jam humi sese affligeret, jam gladium temerè arreptum in universum senatum vibraret, ac eos ipsos; qui consolandi gratia eum viserant, plagis, ac verberibus salutaret. Quid quod & filium aliàs sibi percharum, luminibus orbasset, nisi ex sævientis conspectu maturè se proripuisset. Adeò hic sævissimus Princeps, suique semper impotens, ad ultimam crudelitatem semper effusus erat. (b) Nolim hic referre Darios Persarum, Cyaxares Medorum, Nerones Romanorum, aliósque haud paucos orbis præsides; quos prompta, ac facilis in sanguinarias neces ira, ad fatalem vitæ terminum deduxit. Ita nempe rerum potientes, quibus ira plus æquo dominatur, plerumque tristes exitus sortiuntur. O plures Regnorum fasces gererent Charilii Reges Spartanorum: [c] aut Fabii Maximi Dictatores (d) jura darent gentibus! quorum alter leni adeò fuisse perhibetur ingenio, ut nè adversus improbos quidem acerbus esse posset, alter verò ea populum Romanum dirigebat clementia, ut oviculæ nomine nunquam non fuerit salutatus. Rarius orbis videt Alphonsos Tarraconenses, Neapolis, & Siciliæ Reges, quos nullus unquam mortalis oculus in iram notavit prolapsos. (e) Rarum habet solium Sigismundos Polonorum Reges, qui obtrectationes, & maledicta insolentiorum hominum, non tam vindicante ira prætereant, quam beneficientia pensent.

TESTIMONIA. Nec decet bile intumescere Principem, turpésque est moderatorem populi, sibi non posse, suis-

(b) *Sabell. lib.* 6 [c] *Plut. in Charil.* (d) *Plut. in Fab.* (e) *Anton. Panorm.*

fuísque affectibus imperare. Rectè proinde edixit Princeps Oratorum: *prohibenda est maximè ira in puniendo: nunquam enim iratus, qui accedet ad pœnam, mediocritatem illam tenebit, quæ est inter nimium & parum. Optandum itaque, ut ii, qui præsint Reipublicæ, legum similes sint, quæ ad puniendum non iracundiâ, sed æquitate ducuntur.* [f] Ut vero Princeps justitiæ laudem consequatur, eandem necesse est temperet clementia. Quippe

Hæc docet, ut pœnis hominum, vel sanguine pasci
Turpe, ferúmque putes: ut ferrum Marte cruentum
Sic cum pace premas, ut non infensus alendis
Materiem præstes odiis: ut sontibus ultrò
Ignovisse velis, deponas ocyus iram,
Quam moveas, precibus nunquam implacabilis obstes,
Obvia prosternas prostratáque more leonum
Despicias. Claud. [g]

Quare orbis Principes, è mente, & paræneſi Senecæ:

Retinete, ne quid impotens peccet furor. (h)
Candida pax homines, trux decet ira feras. Ovid. (i)

Depone iram, penes quem summa est Imperii, quandoquidem *nulla pestis generi humano pluris stetit. Aspice nobilissimorum civitatum fundamenta vix notabilia, has ira dejecit: aspice solitudines per multa milliaria sine habitatione desertas; has ira exhausit: aspice tot memoriæ proditos Duces, mala exempla fati: alium ira in cubili suo confodit, alium inter sacra mensæ ira percussit, alium inter leges, celebrisque spectaculum fori ira lancinavit, &c.* Senec. (k) At *ira calcar est virtutis* Peripateticorum Principi? [l] *nervus animæ* divino Platoni? (m) *eos fortitudinis* Oratorum Duci? [n] Ità equidem illi. At libeat audire, quid sibi, atque aliis sapienter reponat Marcus Tullius. *Non desiderat*, inquit ille, *fortitudo advocatam iracundiam: satis est instructa, armata, parata per se. Nam isto modo quidem licet dicere, utilem vinolentiam ad fortitudinem, utilem etiam dementiam, quod & insani, & ebrii multa faciunt sæpe vehe-*

[f] *Lib. 2. de offic.* [g] *2. Stilic.* (h) *in Agam.* (i) *lib. 3. de arte am.* (k) *lib. 1. de ira c. 2.* (l) *Sen. lib. 3. de ira c. 3.* (m) *de vita mor. & de Plat.* (n) *lib. 3. tuscul. q.*

bementius. An verò vir fortis, nisi stomachari cæperit, non poterit fortis esse? An fortitudo, nisi insanire cœperit, impetus suos non habet? Vide: nè fortitudo minimè sit rabiosa, sitque iracundia tota levitatis. Neque enim est illa fortitudo, quæ rationis expers est. An est quicquam similius insaniæ; quam ira? Color, vox, oculi, spiritus, inpotentia dictorum, atque factorum, quàm partem habent sanitatis? Hæc, & plura de iræ vitio flumen illud eloquentiæ. [o] Quamobrem.

Nè fræna animo permitte calenti.
Da spatium, tenuémque moram, mala cuncta ministrat
Impetus. Papin. Stat. (p)

Cætera vitia impellunt animum, ira præcipitat, non secus, quàm fulmina, procellæque. Ideo ira vitanda est. Sen. [q]

EPILOGUS. Quamobrem in animis nostris continuò moriatur iracundia. Premamus illam virtutis pondere, nè ab ea opprimamur. Quod si tamen ejus adminiculo ad res fortiter, & cum laude agendas quisquam se egere autumat, adsciscat sibi per me licet in operæ sociam; at illam duntaxat, quæ culpa vacat, quam regit ratio; quam zelus veræ justitiæ dirigit ad reipublicæ emolumentum. Illa enimverò è lege virtutis concipitur, quæ spectat honorem supremi Numinis, quæque vitiis irascitur, non hominibus, & quæ in officio justitiæ vindicantis modum non excedit. At verò illam ego ex animis vestris stirpitus evulsam cuperem, quæ à rationis moderamine longè aliena, non vitia destruere in persona nititur, sed pœnis duntaxat in ultionem satiatur. Illam nemo non vestrum jure optimo damnarit iracundiam, quæ præceps nimis, & calida, secum trahit pœnitudinem, atque probrum. Illam protinus è pectoribus vestris exterminatam velim, qua concitati homines, non eunt in res, sed prosiliunt, tanquam si quis ex ingenti præcipitio uno saltu se deturbet. Hanc indomitam belluam rationis repagula perfringentem, in temeritatem pronam, tótque periculis vitæ, ac fortunarum obnoxiam, ex urbibus, ex animis vestris continuò eliminare. Fugite è

[o] *ibid.* [p] *lib. 1.* [q] *lib. 2. de ira.*

vestigio, fugite hanc pestem, quæ tanti stetit humano generi, quæ tot nobilissimas civitates solo æquavit, tot florentissimas evertit respublicas, tot celeberrimos heroes internecioni dedit, innumeráque alia mala peperit universo. Cavetote solertissimè, nè iræ damna in caput vestrum accersatis, néve dum ejus flammæ exardescitis, hoc igne in bustum, ac cinerem abeatis. Quod si tamen, quæ naturæ humanæ in vitium pronæ est imbecillitas, affectu iræ vos commoveri non nunquam senseritis, injicite moram animo festinanti, quæ præcipitis iracundiæ remedium est sanè præsentissimum, illudque in tesseram assumite; quod Augusto Cæsari Athenodorum suasisse Romana perhibent monumenta: irâ correpti nihil dicite, aut facite, donec viginti quatuor literas alphabethi Græci percurreritis.

CHRIA VIII.

Anacharsis Philosophiæ causâ regnum Scythiæ fratri cessit cum dicto: potior est sapientia regno. *Ælian. de var. hist. lib. 5.*

EXORDIUM. Ea rebus in humanis, ità quotidianâ docente experientiâ, geniorum, ac opinionum est diversitas, ut quod nonnulli summo habent in pretio, ac amore: alii nihili faciant, & extremo loco ponant, quin odio non raró persequantur, velut sibi noxium, aut minùs salutare. Non omnes eâdem metitur decempedâ provida rerum natura. Nec idem rationis lumen ab increato lumine in omnes diривatur. Illustratur quandoque unus clariori sapientiæ radio, qui mille alios fugit, vera rerum, ut in se sunt, expertes cognitione. Iste cum Mida, & Cræso, aggregandis indies studet opibus, ac gazis: ille haud

haud ignarus, dubia esse fortunæ bona, ac malorum irritamenta; omnes generoso calce poterit facultates, pretio solius virtutis dives, plurisque illam æstimat, quàm auri, argentíque vim, rerúmque caducarum possessionem. Iste per altos honorum gradus difficile molitur iter ad fastigium regiæ dignitatis, nec ulla animi capit quierem, dum votorum suorum attingat scopum, & in aurea Imperantûm sede consideat gloriosus. Ille excelsa honorum præcipitia vel horret irretorto aspicere oculo, minúsque animum inducit ad Regum culmina vertigini obnoxia aspirare. Et verò haud paucos hucusque mundus Imperantes adoravit; qui descensum ex prærupto honorum jugo fecerunt, nè à proximo ruinæ fastigio, turbine invidiæ, vel ambitionis impellente, in barathrum infamiæ præcipites abirent. Videmus hodiedum chiliades mortalium, ad castra voluptatis transitum facere, genio suo indulgere, luxu diffluere, ac in hara Cypridis suam statuere beatitatem: cùm interim alii, quibus castior adstitit Lucina, Epicureorum vitam detestantur, probè scientes, voluptatis exitum doloris esse principium, dulcémque ejus, ac jucundam consuetudinem, tristi admodum, & amaro eventu terminari. O quot passim videre est Arcadici pecoris ingenia, densissimis ignorantiæ tenebris implicita, quæ non duntaxat literas vel à limine salutare nolint, sed easdem velut animorum tormentum execrantur: cùm interim alii nullum faciunt discendi modum, ac finem, aventque unicè felicibus Evris in ipsum eruditionis vastissimum, altissimúmque pelagus deferri. In horum syllabum, lumine meliori tactus, jure accensendus venit Anacharses, qui voluptati, opibus, ipsíque adeo regni honori Philosophiæ disciplinas prætulit, inquiens: *potior est sapientia regno.*

PARAPHRASIS. O dictum sanè ipso Palladis ore prolatum, factúmque in æternos heroum fastos referendum. At liceat mihi, pace vestra. AA. Laconicâ paraphrasi utrumque explanare, vel ad æmulationem posterorum, vel ad sæculorum omnium admirationem. Et quantum ego quidem existimo, vidit haud obscurè Anacharses,

quanta bellua sit Imperium, quantæque occurrant difficultates, rectè populos suopte genio pervicaces gubernandi. Habuit enim verò probè cognitum, rerum humanarum intelligentiâ à sagaciore natura scitè instructus Anacharses, nullam esse tantam Regis potentiam, quæ non jugiter subjaceat injuriis, livori, odio, ac quotidiano discrimini famæ, fortunarum, ac vitæ. Non fugit illustrem ejus cognitionem, vitia ut plurimum in Regia dominari; fraudes, & strophas ab ea edoceri; ambitionem in aula per capita, ac neces æmulorum grassari, & insanam habendi cupiditatem comitem esse magnæ potentiæ, ac præsentissimam pestem. Perspexit sæpe sæpius intimâ rerum notione, Imperantûm bona cum labore possideri, cum invidia conspici, eósque ipsos, quos exornant premere, ac plus minari, quàm prodesse. At major fuisses in regno, quàm ut tibi quisquam nocumento esse potuisset? Nihil minùs. Nulla etenim tanta concipi potest unius Regis magnitudo, cui à multis certi non imimineant casus, ac improvisi. Crebriùs vel in ipso auro venenum Regibus propinatur. Nunquam augustal securam favet quietem. Sæpe ipsa populi myrica, crudelem fert de Regum capite sententiam. Nec ullum est regnum, cui apparata non sit ruina. O quoties inter genua adversarii, & solii majestatem exilis mora intercedit. Hæc, & plura alia, à prima ætate in penetralibus Regum enutrita, illimi oculo mentis pervidit identidem sapientia Anacharsis. Quare purpuram regalem maluit germano extradere, quam assumere cum tanto syrmate insequentium malorum. Detrectavit sanâ mente, molem Imperantis, capiti, ac lacertis pergravem ferre rector gentium; quæ non raro corruit cum ipso regnante. Non arrisit viro scientiarum sectatori, Eruthræis ornata unionibus corona, cui totidem sunt inserti populorum sudores, quot preciosis rutilat de Erythra, aut Hydaspe gemmis. Non collibuit diademati inserere caput, cujus circumferentiâ stringi novit tempora, ne tot rerum inter se pugnantium molesto cogitatu dissilirent. Renuit cocco, ac murice corpus amicire, qui non raro subditorum sanguine, ad

op-

opprobrium rubet Imperantûm. Et nè per plura Regum insignia, ambiguæque sortis munera divagemur; universa fraternæ tribuit potestati, & ad sapientiæ studia, ejúsque emolumenta ab iniquiore. fortuna nunquam auferenda, conferre se decrevit. Nec mora: in Græciam, relicto Scythiæ regno, adornat iter, quò Philosophicam condiscat sub institutione Solonis disciplinam; quæ non regendis deserviret gentibus, at sui ipsius esset moderatrix, ac Regina.

CAUSA. Atque hoc non leve causæ momentum, & virtutis potissimum ratio, quam dogmata Philosophiæ comprimis edocent, acriores stimulos admovit Anacharsi, ad hanc facultatem, à communi sensu, intelligentiáque, disjunctam, quantocius condiscendam. An non enim Philosophia unicè citra virtutis objectum, omnibus Regum coronis præferendum, quæque ad ejus consecutionem faciunt, solertissimè versatur? An non hæc fugit ostentationem, regníque decus in minimis ponit, quod fascinati gloriæ fuco homines tanti ducunt, ut vel sanguinis impendio illud nundinentur? An non hæc virtutum magistra, omne piaculum, & animæ labes diluit, cordísque puritate ad divina proximè accedere facit? Ità sane, Quódque est palmare Philosophiæ encomium, gnavos suæ doctrinæ sectatores, rebus omnibus externis superiores agit, & ea quidem ratione, ut imperium in animo suo altius universa potestate obtineant, quò neque ab inordinato vitæ genere, neque ab ulla necessitate impulsi in transversum eant, honestíque limites vel ad latum unguem excedant. Obruant eos pleno agmine calamitatum, ac ærumnarum acies, invicta fortitudine animi debellabunt. Mordeant eos livido dente, ac satyricis armati aculeis obstrigillatores, & in famam eorum maledicam distringant linguam: verba reddent sesamo illita, ac Hymetto. Oppugnent quaquaversum sævissima morborum examina, & ad vitæ, mortísque confinia deducant: stabit vegetus, & incolumis animus, & pancraticé, rectéque semper valebit. Sint imparati à pecunia, moléque

egesta-

egestatis premantur: at semper erunt virtute copiosi, ac locupletes, bonísque animi superfluent, nullius opis egentes. Mactent eos infortunia, & quicunque demum adversi casus altioris Philosophiæ principiis imbutos catenatim obruant: ad plagas, & dolores occalescent, omnia forti, excelsóque animo ferent, lætóque ore, ac placida fronte mala excipient universa. Et hoc tolerantiæ rebus in adversis clypeo præmunit animum, ac pectus recta Philosophiæ disciplina. Accedit, quod hæc sapientiæ Magistra, actiones minùs naturæ rationali conformes, à moribus hominum longissimè proscribat, carnem moderatione domet, lasciviam castitate comprimat, injustitiam æquitatis amussi propellat, mendacia exigat veritate, ac composito vivendi more omnem recidat inæqualitatem. Hanc qui usu quotidiano reddit sibi familiarem, omnem operam, ac studium ad summum bonum intimè cognoscendum, amandúmque convertit, sermonibus pudicis, & cogitationibus optimis mentem erudit, vitámque in terris agit Cælis æmulam, ac inchoatam persentiscit in mortali corpore beatitudinis æternatura fruitionem. Ex quo consectarium est, nulla sapientiæ studiosum bile intumescere, nunquam stomachari, cum nemine jurgari, nullas vindiciarum flammas in animum admittere, omnémque irrationabilem motum declinare. Quis enim notavit unquam Philosophum, qui omnem bene vivendi rationem tenet, in adversarios excandescere, ac debacchari? Quis vidit unquam bonæ famæ sanguinem cuiquam assurgere, distringere linguam in proximum, & authoritatem alicujus concidere? Quis demum, ut vitia omnia missa faciamus, in viro sapiente, integritate summa, & morum elegantia prædito, quicquam oculo sagaciore observavit, quod ad normam, & ideam virtutis non esset ritè conformatum? Nullus profecto æquus rerum æstimator, quíque in dogmatibus Philosophorum vel mediocriter est versatus. Tantos nimirum, eósque prodigio similes effectus parit in animis suorum, Magistra virtutum Philosophia.

CON-

CONTRARIUM. At verò quos non amor tenet hujus sapientiæ, quique otium suum ponunt in apinis, & crepundiis, pravos plerumque mores induunt, omnibúsque vitiis aditum præbent in animum, vix, ac nè vix quidem postliminiò proturbandis. Majoris apud ejuscemodi est ponderis evanida, fugaxque gloria virtutis perennitate, quam solùm verus honor comitatur. Hujus probitatis è sapientiæ studio emanantis defectu, faciles sunt expugnatu à quovis fortunæ acerbioris insultu. Depascatur Vulcani rabies ædes eorum, ac facultates, animum protinus mœrore exurunt, & in tristitiæ barathrum devolvuntur, nunquam ex eo eluctaturi. Dejiciantur ex honoratis dignitatum subselliis; animum pariter cum spe dejiciunt, & rem suam ad restim clamant rediisse, omnibúsque se autumant aris, ac præsidiis destitutos. Subtrahantur illecebræ voluptatis, vitam agunt morte duriorem, omníque se orbatos vitæ solatio quiritantur. Afficiantur levi caluminia vix digna hoc nomine, actutum in furoris, ac vindictæ ignes accenduntur, non nisi obtrectatoris sanguine restinguendos. Nudentur à fortunis, & res eorum ad manticam redeat; nullas animo vident residere opes, quibus jacturam facultatum sarcire possint. Obruantur præcipiti ægritudine, & ad fatalem lectulum vi morborum detrudantur, animo magis ægrescunt, & de salute æterna conclamatum esse opinantur. At si ærumnarum procellæ ingruant, si calumitatum tempestas in eorum caput glomeretur, tum enimverò lamentis implent omnia, & extremo se mactari infortunio arbitrantur. Hæc nimirum circumseptus agit miseriarum iliade animus, qui nunquam in altiora exsurgit cogitata, sed terræ duntaxat, caducæque inhæret felicitati. Atque indè quid est, quod admiratio nos incessat; si expertes virtutis homines, in fædissima quæque vitia prolabi indies videamus? Etenim qui rerum terrenarum visco penitus sunt affixi, insupérque habent salutares Philosophorum leges, ad virtutis sequelam ducentes, pudicitiæ decus in extremis ponunt, justitiæ libellam ad iniquitatem deflectunt, veritatis trutinam ad falsitatem detorquens, res suas

suas astu pertractant, aliud fronte simulant, aliud pectore tegunt, maledicentia proximos vellicant; conviciantur, criminantur, utque paucis edicam plurima, universo vitiorum choragio præbent in animo ignorantiæ subjecto dominatum. Verùm ecquid longiorem vitæ periodum deducunt hi virtutis osores, fruges sosum nati consumere, ac humanæ societate perniciem longè maximam adferentes? Noxia semper est vita eorum reipublicæ; qui nullam rectè vivendi sibi adsciscunt rationem. Non enim in hoc vivit homo, ut duntaxat vivat: sed ut vitam ad normam virtutis exigat; divinis juxtà, ac humanis legibus ritè conformatam. Equidem natura dat vivere, at Philosophia rectam vivendi subministrat ideam. Illa gignit virtuti idoneos: ista virtutum præceptis imbuit meliorem hominis partem, & ad vitam laudatissimè, honestissiméque dirigit transigendam. Ab hac magistra morum non eruditi mortalium animi, in belluinam migrant feritatem, Reipublicæ, humanóque consortio nullum prorsus dferentes emolumentum.

SIMILE. Quemadmodum enim equus freni, jugíque impatiens, minùs est hero accommodus, minúsque ob innatam sibi ferociam ad operas idoneus, ità sanè homo expers literarum, longéque à Philosophiæ doctrina, ad virtutis exercitationem ducente semotus, frena suis affectibus laxat, & ad vitæ civilis consuetudinem minimè facit, plurimúmque infert Reipublicæ detrimenti. Sed apage Bœotica auris, ménsque Abderitana; de Philosopho, virtutis, ac sapientiæ assecla est mihi sermo. Quod inter lapillos Erythræos princeps est adamas, hoc inter homines, rerum humanarum naturam, vim, causásque scitè pernoscens Philosophus. Adamas nativâ virtute sua in eam abit duritiem, ut haud domari sustinens, omnes malleorum ictus spernendo eludat, jugiter sua plaudens integritate: sapiens nullis rerum adversarum casibus concuti, aut frangi valet. Et quamvis inter varias, easque non rarò diuturnas vitæ hujus ærumnas jactetur, omnibus tamen malis semper evadit superior, ac de quavis immanitate, mortéque ipsa gloriosum agit

tri

triumphum. Rumpatur licèt percita furore tyrannis ; non movebitur à statione virtutis veræ Philosophiæ alumnus ; non frangetur ullo cruciamento hic adamas ; non agetur in partes adversarii hæc gemma. Conjurent licèt in unum Philosophi caput malignantium consiliorum fabri ; omnibúsque crudelitatis instrumentis obruant virtutem Philosophi sua mole stantis , nullis occidet machinationibus adamantium ejus pectus , ac robur plùs quàm triplici ære præmunitum. Non illum metus imminentium malorum , non irreparabilis fortunarum jactura , non emolumenti temporanei spes , non aura popularis, & quicquid aliud vel allicere potest , aut deterrere ; à recti , justíque tramite unquam divertere valebit. Potior est illi sapientia omni Regum , Principúmque conditione. Rebus universis surgit excelsior, omnia infra se ducens , infráque virtutem à Philosophiæ traditam institutis. Solem non immerito dixerim , sublunaribus altissimè eminentem , ac res humanas naturâ suâ instabiles cum laude aspernantem. Et velut illustrissimus siderum Princeps , omne subjectum sibi astrorum satellitium lucis transcendit Majestate : ità Philosophus altioris sapientiæ radio illustris , omnibus antecellit , in tenebris ignorantiæ degentibus in probrum. Fons ille , ac caput lucis , quamvis obscurâ ferrugine contegi , ac nigrore sanguineo deformari frivolâ opinione putetur , nullum tamen fulgoris nativi decrementum patitur semper idem , semper suus. Vir sapiens in Lyceo virtutis eruditus, nullis adversitatum nimbis , nullis ærumnarum procellis , mentis suæ deperdit serenitatem , ac malaciam ; nulla furentis tempestate à firma virtutis statione dimovetur , nulla fortis acerbatur injuria, non æstuat, non furit , non insanit , sed omnes infestarum rerum turbines interiori tranquillitate attemperat , & componit. Et hanc quietem , hunc constantem animi tenorem edocent clientes suos dogmata Philosophiæ. O igitur ter faustos , ter fortunatos , qui ab hac Magistra virtutis rectè vivendi accipiunt disciplinam.

EXEMPLA. Hanc ejus faustitatem , ac jugem in rebus omnibus inauspicatè cadentibus tranquillitatem ,

quàm

suisque affectibus imperare. Rectè proinde edixit Princeps Oratorum: *prohibenda est maximè ira in puniendo; nunquam enim iratus, qui accedet ad pœnam, mediocritatem illam tenebit, quæ est inter nimium, & parum. Optandum itaque, ut ii, quæ præsint Reipublicæ, legum similes sint, quæ ad puniendum non iracundiâ, sed æquitate ducuntur.* [f] Ut vero Princeps justitiæ laudem consequatur, eandem necesse est temperet clementia. Quippe

Hæc docet, ut pœnis hominum, vel sanguine pasci
Turpe, ferúmque putes: ut ferrum Marte cruentum
Sic cum pace premas, ut non infensus alendis
Materiem præstes odiis, ut sontibus ultrò
Ignovisse velis, deponas ocyus iram,
Quam moveas, precibus nunquam implacabilis obstes,
Obvia prosternas prostratáque more leonum
Despicias. Claud. [g]

Quare orbis Principes, è mente, & parænesi Senecæ:

Retinete, ne quid impotens peccet furor. (h)
Candida pax homines, trux decet ira feras. Ovid. (i)

Depone iram, penes quem summa est Imperii, quandoquidem *nulla pestis generi humano pluris stetit. Aspice nobilissimarum civitatum fundamenta vix notabilia, has ira dejecit. aspice solitudines per multa milliaria sine habitatione desertas; has ira exhausit: aspice tot memoriæ proditos Duces, mala exempla fati: alium ira in cubili suo confodit, alium inter sacra mensæ ira percussit, alium inter leges, celebrisque spectaculum fori ira lancinavit, &c.* Senec. (k) At *ira calcar est virtutis* Peripateticorum Principi? [l] *nervus animæ* divino Platoni? (m) *eos fortitudinis* Oratorum Duci? [n] Ità equidem illi. At libeat audire, quid sibi, atque aliis sapienter reponat Marcus Tullius. *Non desiderat*, inquit ille, *fortitudo advocatam iracundiam: satis est instructa, armata, parata per se. Nam isto modo quidem licet dicere, utilem vinolentiam ad fortitudinem, utilem etiam dementiam, quod & insani, & ebrii multa faciunt sæpe vehe-*

[f] *Lib. 1. de offic.* [g] *2. Stilic.* (h) *in Agam.* (i) *lib. 3. de arte am* (k) *lib. 1. de ira c. 2.* (l) *Sen. lib. 3. de ira c. 3.* (m) *de vita mor. & de Plat.* (n) *lib. 3. tuscul. q.*

bementius. An verò vir fortis, nisi stomachari cœperit, non poterit fortis esse? An fortitudo, nisi insanire cœperit, impetus suos non habet? Vide: nè fortitudo minimè sit rabiosa, sitque iracundia tota levitatis. Neque enim est illa fortitudo, quæ rationis expers est. An est quicquam similius insaniæ, quam ira? Color, vox, oculi, spiritus, inpotentia dictorum, atque factorum, quàm partem habent sanitatis? Hæc, & plura de iræ vitio flumen illud eloquentiæ. [o] Quamobrem.

Nè frœna animo permitte calenti.
Da spatium, tenuémque moram, mala cuncta ministrat
Impetus. Papin. Stat. (p)

Cætera vitia impellunt amicum, ira præcipitat, non secus, quàm fulmina, procellæque. Ideo ira vitanda est. Sen. [q]

EPILOGUS. Quamobrem in animis nostris continuò moriatur iracundia. Premamus illam virtutis pondere, nè ab ea opprimamur. Quod si tamen ejus adminiculo ad res fortiter, & cum laude agendas quisquam se egere autumat, adsciscat sibi per me licet in operæ sociam; at illam duntaxat, quæ culpa vacat, quam regit ratio; quam zelus veræ justitiæ dirigit ad reipublicæ emolumentum. Illa enimverò è lege virtutis concipitur, quæ spectat honorem supremi Numinis, quæque vitiis irascitur, non hominibus, & quæ in officio justitiæ vindicantis modum non excedit. At verò illam ego ex animis vestris stirpitus evulsam cuperem, quæ à rationis moderamine longè aliena, non vitia destruere in persona nititur, sed pœnis duntaxat in ultionem satiatur. Illam nemo non vestrum jure optimo damnarit iracundiam, quæ præceps nimis, & calida, secum trahit pœnitudinem, atque probrum. Illam protinus è pectoribus vestris exterminatam velim, qua concitati homines, non eunt in res, sed prosiliunt, tanquam si quis ex ingenti præcipitio uno saltu se deturbet. Hanc indomitam belluam rationis repagula perfringentem, in temeritatem pronam, tótque periculis vitæ, ac fortunarum obnoxiam, ex urbibus, ex animis vestris continuò eliminare. Fugite è vesti-

[o] *ibid.* [p] *lib. 1.* [q] *lib. 2. de ira.*

vestigio, fugite hanc pestem, quæ tanti stetit humano generi, quæ tot nobilissimas civitates solo æquavit, tot florentissimas evertit respublicas, tot celeberrimos heroes internecioni dedit, innumeráque alia mala peperit universo. Cavetote solertissimè, nè iræ damna in caput vestrum accersatis, néve dum ejus flammæ exardescitis, hoc igne in bustum, ac cinerem abeatis. Quod si tamen, quæ naturæ humanæ in vitium pronæ est imbecillitas, affectu iræ vos commoveri non nunquam senseritis, injicicite moram animo festinanti, quæ præcipitis iracundiæ remedium est sanè præsentissimum, illudque in tesseram assumite; quod Augusto Cæsari Athenodorum suasisse Romana perhibent monumenta: irâ correpti nihil dicite, aut facite, donec viginti quatuor literas alphabethi Græci percurreritis.

CHRIA VIII.

Anacharsis Philosophiæ causâ regnum Scythiæ fratri cessit cum dicto: potior est sapientia regno. *Ælian. de var. hist. lib. 5.*

EXORDIUM. Ea rebus in humanis, ità quotidianâ docente experientiâ, geniorum, ac opinionum est diversitas, ut quod nonnulli summo habent in pretio, ac amore: alii nihili faciant, & extremo loco ponant, quin odio non rarò persequantur, velut sibi noxium, aut minùs salutare. Non omnes eâdem metitur decempedâ provida rerum natura. Nec idem rationis lumen ab increato lumine in omnes dirivatur. Illustratur quandoque unus clariori sapientiæ radio, qui mille alios fugit, vera rerum, ut in se sunt, expertes cognitione. Iste cum Mida, & Cræso, aggregandis indies studet opibus, ac gazis: ille haud

haud ignarus, dubia esse fortunæ bona, ac malorum irritamenta; omnes generoso calce poterit facultates, pretio solius virtutis dives, plurisque illam æstimat, quàm auri, argentique vim, rerúmque caducarum possessionem. Iste per altos honorum gradus difficile molitur iter ad fastigium regiæ dignitatis, nec ulla animi capit quietem, dum votorum suorum attingat scopum, & in aurea Imperantûm sede consideat gloriosus. Ille excelsa honorum præcipitia vel horret irretorto aspicere oculo, minúsque animum inducit ad Regum culmina vertigini obnoxia aspirare. Et verò haud paucos hucusque mundus Imperantes adoravit; qui descensum ex prærupto honorum jugo fecerunt, nè à proximo ruinæ fastigio, turbine invidiæ, vel ambitionis impellente, in barathrum infamiæ præcipites abirent. Videmus hodiedum chiliades mortalium, ad castra voluptatis transitum facere, genio suo indulgere, luxu diffluere, ac in hara Cypridis suam statuere beatitatem: cùm interim alii, quibus castior adstitit Lucina, Epicureorum vitam detestantur, probè scientes, voluptatis exitum doloris esse principium, dulcémque ejus, ac jucundam consuetudinem, tristi admodum, & amaro eventu terminari. O quot passim videre est Arcadici pecoris ingenia, densissimis ignorantiæ tenebris implicita, quæ non duntaxat literas vel à limine salutare nolint, sed easdem velut animorum tormentum execrantur: cùm interim alii nullum faciunt discendi modum, ac finem, aventque unicè felicibus Evris in ipsum eruditionis vastissimum, altissimúmque pelagus deferri. In horum syllabum, lumine meliori tactus, jure accensendus venit Anacharses, qui voluptati, opibus, ipsíque adeo regni honori Philosophiæ disciplinas prætulit, inquiens: *potior est sapientia regno.*

PARAPHRASIS. O dictum sanè ipso Palladis ore prolatum, factúmque in æternos heroum fastos referendum At liceat mihi, pace vestra. AA. Laconicâ paraphrasi utrumque explanare, vel ad æmulationem posterorum, vel ad sæculorum omnium admirationem. Et quantum ego quidem existimo, vidit haud obscurè Anacharses, quan-

quanta bellua sit Imperium , quantæque occurrant difficultates , rectè populos suopte genio pervicaces gubernandi. Habuit enim verò probè cognitum, rerum humanarum intelligentiâ à sagaciore natura scitè instructus Anacharses , nullam esse tantam Regis potentiam , quæ non jugiter subjaceat injuriis, livori, odio, ac quotidiano discrimini famæ, fortunarum, ac vitæ. Non fugit illustrem ejus cognitionem, vitia ut plurimum in Regia dominari; fraudes, & strophas ab ea edoceri ; ambitionem in aula per capita , ac neces æmulorum grassari , & insanam habendi cupiditatem comitem esse magnæ potentiæ , ac præsentissimam pestem. Perspexit sæpe sæpius intimâ rerum notione , Imperantûm bona cum labore possideri, cum invidia conspici, eósque ipsos , quos exorant premere , ac plus minari, quàm prodesse. At major fuisses in regno, quàm ut tibi quisquam nocumento esse potuisset ? Nihil minùs. Nulla etenim tanta concipi potest unius Regis magnitudo , cui à multis certi non imminean casus, ac improvisi. Crebriùs vel in ipso auro venenum Regibus propinatur. Nunquam augustal securam favet quietem, Sæpe ipsa populi myrica , crudelem fert de Regum capite sententiam. Nec ullum est regnum , cui apparata non sit ruina. O quoties inter genua adversarii, & solii majestatem exilis mora intercedit. Hæc, & plura alia , à prima ætate in penetralibus Regum enutrita, illimi oculo mentis pervidit identidem sapientia Anacharsis. Quare purpuram regalem maluit germano extradere , quam assumere cum tanto syrmate insequentium malorum. Detrectavit sanâ mente, molem Imperantis , capiti , ac lacertis pergravem ferre rector gentium ; quæ non raro corruit cum ipso regnante. Non arrisit viro scientiarum sectatori , Eruthræis ornata unionibus corona , cui totidem sunt inserti populorum sudores , quot preciosis rutilat de Erythra , aut Hydaspe gemmis. Non collibuit diademati inserere caput , cujus circumferentiâ stringi novit tempora , ne tot rerum inter se pugnantium molesto cogitatu dissilirent. Renuit cocco , ac murice corpus amicire, qui non raro subditorum sanguine , ad op-

opprobrium rubet Imperantúm. Et nè per plura Regum insignia, ambiguæque sortis munera divagemur; universa fraternæ tribuit potestati, & ad sapientiæ studia, ejúsque emolumenta ab iniquiore fortuna nunquam auferenda, conferre se decrevit. Nec mora: in Græciam, relicto Scythiæ regno, adornat iter, quò Philosophicam condiscat sub institutione Solonis disciplinam; quæ non regendis deserviret gentibus, at sui ipsius esset moderatrix, ac Regina.

CAUSA. Atque hoc non leve causæ momentum, & virtutis potissimum ratio, quam dogmata Philosophiæ comprimis edocent, acriores stimulos admovit Anacharsi, ad hanc facultatem, à communi sensu, intelligentiáque, disjunctam, quantocius condiscendam. An non enim Philosophia unicè citra virtutis objectum, omnibus Regum coronis præferendum, quæque ad ejus consecutionem faciunt, solertissimè versatur? An non hæc fugit ostentationem, regníque decus in minimis ponit, quod fascinati gloriæ fuco homines tanti ducunt, ut vel sanguinis impendio illud nundinentur? An non hæc virtutum magistra, omne piaculum, & animæ labes diluit, cordísque puritate ad divina proximè accedere facit? Ità sane. Quódque est palmare Philosophiæ encomium, gnavos suæ doctrinæ sectatores, rebus omnibus externis superiores agit, & ea quidem ratione, ut imperium in animo suo altius universa potestate obtineant, quò neque ab inordinato vitæ genere, neque ab ulla necessitate impulsi in transversum eant, honestíque limites vel ad latum unguem excedant. Obruant eos pleno agmine calamitatum, ac ærumnarum acies, invicta fortitudine animi debellabunt. Mordeant eos livido dente, ac satyricis armati aculeis obstrigillatores, & in famam eorum maledicam distringant linguam: verba reddent sesamo illita, ac Hymetto. Oppugnent quaquaversum sævissima morborum examina, & ad vitæ, mortísque confinia deducant: stabit vegetus, & incolumis animus, & pancraticé, rectéque semper valebit. Sint imparati à pecunia, moléque

egesta-

egestatis premantur: at semper erunt virtute copiosi, ac locupletes, bonísque animi superfluent, nullius opis egentes. Mactent eos infortunia, & quicunque demum adversi casus altioris Philosophiæ principiis imbutos catenatim obruant: ad plagas, & dolores occalescent, omnia forti, excelsóque animo ferent, lætóque ore, ac placida fronte mala excipient universa. Et hoc tolerantiæ rebus in adversis clypeo præmunit animum, ac pectus recta Philosophiæ disciplina. Accedit, quod hæc sapientiæ Magistra, actiones minùs naturæ rationali conformes, à moribus hominum longissimè proscribat, carnem moderatione domet, lasciviam castitate comprimat, injustitiam æquitatis amussi propellat, mendacia exigat veritate, ac composito vivendi more omnem recidat inæqualitatem. Hanc qui usu quotidiano reddit sibi familiarem, omnem operam, ac studium ad summum bonum intimè cognoscendum, amandúmque convertit, sermonibus pudicis, & cogitationibus optimis mentem erudit, vitámque in terris agit Cælis æmulam, ac inchoatam persentiscit in mortali corpore beatitudinis æternatura fruitionem. Ex quo consectarium est, nulla sapientiæ studiosum bile intumescere, nunquam stomachari, cum nemine jurgari, nullas vindiciarum flammas in animum admittere, omnémque irrationabilem motum declinare. Quis enim notavit unquam Philosophum, qui omnem bene vivendi rationem tenet, in adversarios excandescere, ac debacchari? Quis vidit unquam bonæ famæ sanguinem cuiquam assurgere, distringere linguam in proximum, & authoritatem alicujus concidere? Quis demum, ut vitia omnia missa faciamus, in viro sapiente, integritate summa, & morum elegantia prædito, quicquam oculo sagaciore observavit, quod ad normam, & ideam virtutis non esset ritè conformatum? Nullus profecto æquus rerum æstimator, quíque in dogmatibus Philosophorum vel mediocriter est versatus. Tantos nimirum, eósque prodigio similes effectus parit in animis suorum, Magistra virtutum Philosophia.

CON-

CONTRARIUM. At verò quos non amor tenet hujus sapientiæ, quique otium suum ponunt in apinis, & crepundiis, pravos plerumque mores induunt, omnibúsque vitiis aditum præbent in animum, vix, ac nè vix quidem postliminiò proturbandis. Majoris apud ejusce-modi est ponderis evanida, fugaxque gloria virtutis perennitate, quam solùm verus honor comitatur. Hujus probitatis è sapientiæ studio emanantis defectu, faciles sunt expugnatu à quovis fortunæ acerbioris insultu. Depascatur Vulcani rabies ædes eorum, ac facultates, animum protinus mœrore exurunt, & in tristitiæ barathrum devolvuntur, nunquam ex eo eluctaturi. Dejiciantur ex honoratis dignitatum subselliis; animum pariter cum spe dejiciunt, & rem suam ad restim clamant rediisse, omnibúsque se autumant aris, ac præsidiis destitutos. Subtrahantur illecebræ voluptatis, vitam agunt morte duriorem, omníque se orbatos vitæ solatio quiritantur. Afficiantur levi calumnia vix digna hoc nomine, actutum in furoris, ac vindictæ ignes accenduntur, non nisi obtrectatoris sanguine restinguendos. Nudentur à fortunis, & res eorum ad manticam redeat; nullas animo vident residere opes, quibus jacturam facultatum sarcire possint. Obruantur præcipiti ægritudine, & ad fatalem lectulum vi morborum detrudantur, animo magis ægrescunt, & de salute æterna conclamatum esse opinantur. At si ærumnarum procellæ ingruant, si calamitatum tempestas in eorum caput glomeretur, tum enimverò lamentis implent omnia, & extremo se mactari infortunio arbitrantur. Hæc nimirum circumseptus agit miseriarum iliade animus, qui nunquam in altiora exsurgit cogitata, sed terræ duntaxat, caducæque inhæret felicitati. Atque indè quid est, quod admiratio nos incessat; si expertes virtutis homines, in fœdissima quæque vitia prolabi indies videamus? Etenim qui rerum terrenarum visco penitus sunt affixi, insuperque habent salutares Philosophorum leges, ad virtutis sequelam ducentes, pudicitiæ decus in extremis ponunt, justitiæ libellam ad iniquitatem deflectunt, veritatis trutinam ad falsitatem detorquent, res

suas

suas astu pertractant, aliud fronte simulant, aliud pectore tegunt, maledicentia proximos vellicant; conviciantur, criminantur, utque paucis edicam plurima, universo vitiorum choragio præbent in animo ignorantiæ subjecto dominatum. Verùm ecquid longiorem vitæ periodum deducunt hi virtutis osores, fruges solùm nati consumere, ac humanæ societate perniciem longè maximam adferentes? Noxia semper est vita eorum reipublicæ; qui nullam rectè vivendi sibi adsciscunt rationem. Non enim in hoc vivit homo, ut duntaxat vivat: sed ut vitam ad normam virtutis exigat; divinis juxtà, ac humanis legibus ritè conformatam. Equidem natura dat vivere, at Philosophia rectam vivendi subministrat ideam. Illa gignit virtuti idoneos: ista virtutum præceptis imbuit meliorem hominis partem, & ad vitam laudatissimè, honestissiméque dirigit transigendam. Ab hac magistra morum non eruditi mortalium animi, in belluinam migrant feritatem, Reipublicæ, humanóque consortio nullum prorsus adferentes emolumentum.

SIMILE. Quemadmodum enim equus freni, jugísque impatiens, minùs est hero accommodus, minúsque ob innatam sibi ferociam ad operas idoneus, ità sanè homo expers literarum, longéque à Philosophiæ doctrina, ad virtutis exercitationem ducente semotus, frena suis affectibus láxat, & ad vitæ civilis consuetudinem minimè facit, plurimúmque infert Reipublicæ detrimenti. Sed apage Bœotica auris, ménsque Abderitana; de Philosopho, virtutis, ac sapientiæ assecla est mihi sermo. Quod inter lapillos Erythræos princeps est adamas, hoc inter homines, rerum humanarum naturam, vim, causásque scitè pernoscens Philosophus. Adamas nativâ virtute sua in eam abit duritiem, ut haud domari sustinens, omnes malleorum ictus spernendo eludat, jugiter sua plaudens integritate: sapiens nullis rerum adversarum casibus concuti, aut frangi valet. Et quamvis inter varias, eásque non raro diuturnas vitæ hujus ærumnas jactetur, omnibus tamen malis semper evadit superior, ac de quavis immanitate, mortéque ipsa gloriosum agit tri

triumphum. Rumpatur licèt percita furore tyrannis; non movebitur à statione virtutis veræ Philosophiæ alumnus; non frangetur ullo cruciamento hic adamas; non agetur in partes adversarii hæc gemma. Conjurent licèt in unum Philosophi caput malignantium consiliorum fabri; omnibúsque crudelitatis instrumentis obruant virtutem Philosophi sua mole stantis, nullis occidet machinationibus adamantium ejus pectus, ac robur plùs quàm triplici ære præmunitum. Non illum metus imminentium malorum, non irreparabilis fortunarum jactura, non emolumenti temporanei spes, non aura popularis, & quicquid aliud vel allicere potest, aut deterrere; à recti, justíque tramite unquam divertere valebit. Potior est illi sapientia omni Regum, Principúmque conditione. Rebus universis surgit excelsior, omnia infra se ducens, infráque virtutem à Philosophiæ traditam institutis. Solem non immerito dixerim, sublunaribus altissimè eminentem, ac res humanas naturâ suâ instabiles cum laude aspernantem. Et velut illustrissimus siderum Princeps, omne subjectum sibi astrorum satellitium lucis transcendit Majestate: ità Philosophus altioris sapientiæ radio illustris, omnibus antecellit, in tenebris ignorantiæ degentibus in probrum. Fons ille, ac caput lucis, quamvis obscurâ ferrugine contegi, ac nigrore sanguineo deformari frivolâ opinione putetur, nullum tamen fulgoris nativi decrementum patitur semper idem, semper suus. Vir sapiens in Lyceo virtutis eruditus, nullis adversitatum nimbis, nullis ærumnarum procellis, mentis suæ deperdit serenitatem, ac malaciam; nulla furentis tempestate à firma virtutis statione dimovetur, nulla sortis acerbatur injuria, non æstuat, non furit, non insanit, sed omnes infestarum rerum turbines interiori tranquillitate attemperat, & componit. Et hanc quietem, hunc constantem animi tenorem edocent clientes suos dogmata Philosophiæ. O igitur ter faustos, ter fortunatos, qui ab hac Magistra virtutis rectè vivendi accipiunt disciplinam.

EXEMPLA. Hanc ejus faustitatem, ac jugem in rebus omnibus inauspicatè cadentibus tranquillitatem,

quàm

quam in animos mortalium propagat, tanti fecere vel ipsi orbis Principes, ac Monarchæ, ut suam cum Philosophorum sorte felicitatem non erubuerint commutare. Testis est mihi hujus veritatis luculentissimus Alexander Macedo, rerum gestarum gloria, orbe toto longè celeberrimus. Cum subinde hic mundi domitor Corinthi ageret Diogenem Philosophum pro dolio sedentem adijt, & cum eo super multis familiarem miscuit sermonem, tanto Rege haud indignum. Cum verò pedem retulisset ad Prætorium Alexander, suscensere ei amici, ac ægre ferre, quod illi cani Cynico tantum habuisset honoris, qui nè quidem tanto Principi assurgere dignatus fuisset. Sed quid ad hæc Magnus Macedo? Imò, inquit, ni Alexander essem, Diogenes esse vellem. (a) Adeo demiratus est animum illum liberum Philosophi, ac rebus humanis omnibus superiorem, ut nihil ad Imperantûm gloriam propius accedere judicaret. Equidem Regum permagna est felicitas, nulli subesse potestati, nulla premi egestate, jura dictare gentibus pro arbitrio, eósque reddere obsequos, morémque in omnibus gerentes ad nutum Imperantis. Atqui hoc ipsum præstat homini Philosophiæ disciplina, multóque verius, quàm amplissimum Monarchis regnum: nemo itaque ejus felicitatem in ambiguum revocare jure possit. Hanc auspicatam, beatámque Philosophorum sortem serius licèt agnovit, magníque duxit inclytus rei bellicæ famâ Timotheus, semper de hostibus suis gloriosus victor, ac triumphator. Hic cùm rebus secundissimis afflueret, omniáque sibi è sententia cadere videret; felicissimum mortalium sese autumabat. Verùm cùm fortè fortuna in Platonem Philosophum incidisset, ejusque dissertationem, nescio quid divini sapientem, spirantémque diutius excepisset; omnia in minimis locans, in quibus faustitatem consistere, vana opinione ductus, rebatur; proclamasse perhibetur. O vitam verè beatam, ac felicem! (b) Non disputabat Plato de corrogandis opibus, non de tributis gentium, non de copiis militaribus, aliísque ejusmodi næniis alternanti for-

(a) *Plut. ad Princ. indoct.* (b) *Athen. lib.* 11.

fortunæ subjectis, sed quæ veram, eámque solidam, ac perennem mortalibus tribuunt felicitatem. Hac potitus aliquando fuit Dionysius Junior, in Philosophiæ doctrina haud vulgariter eruditus. Is cum Imperantis gloria excussus, solum vertere cogeretur, hanc inflictam sibi ab iniquiore fortuna plagam Spartanæ nobilitate concoxit, & forti, excelsóque animo calamitatem tulit. Cùm verò quispiam ex eo percontaretur: quid ei Plato, & Philosophia profuerit? Ut tantam, sapientissimè reposuit, fortunæ mutationem facilè feram. Neque enim sibi manus admovit, mortémque consciviit ignominiosam, ut nonnulli in fato maligniore assolent; sed Corinthi ludum aperuit literarium, aliis quoque leges, & Philosophiæ dogmata prælecturus, ad ferendos æquo, placidoque animo casus adversos. (c) Quantum verò utilitatis conferat Regnantibus hæc salutaris disciplina, proprio edoctus experimento testatus est Philippus Macedo, qui identidem filio suo Alexandro author erat, auscultaret sedulè Aristoteli, cui traditus erat instituendus, gnavámque daret operam studio Philosophiæ. Quæ cohortatio nè sua careret efficacitate, inquiebat: nè multa committas, quæ me fecisse jam subit pœnitudo. [d] Perspexit enimverò Princeps egregius, neminem philosophiæ expertem regno idoneum esse: nec erubuit ingenuè fateri; enimverò Princeps egregius, neminem Philosophiæ expertem regno idoneum esse: nec erubuit ingenuè fateri, se multa errore lapsum perperam, egisse, quod à teneris unguiculis Philosophiæ præceptis non fuisset imbutus. Nam qui experientia duntaxat magistrà, regnum administrare condiscunt, licèt ingenio felicissimo nati sint, attamen & serò, & magno Reipublicæ malo, tandem boni evadunt Reges. At qui Philosophiæ præceptionibus ritè præmunitus accedit, si adsit mens integra, vix poterit ab honesti legibus exorbitare.

TESTIMONIA. Atque ideo perquam opportunè in facultatis hujus præconium effunditur Romanæ flumen eloquentiæ, ità exclamans: *O vita Philosophia dux, virtutis*

Ee

[c] *Plin. lib.* 7. (d) *Ælian. lib.* 4. *var. hist.*

tutis indagatrix, expultrixque vitiorum! Quid? an non modò nos, sed omnino hominum vita sine te esse potuisset? Tu urbes peperisti, tu dissipatos homines in societatem vitæ convocasti, tu eos primum inter se domiciliis, deinde conjugiis, tum literarum, & vocum communione junxisti: tu inventrix legum, tu magistra morum, & disciplinæ fuisti Ad te confugimus; à te opem petimus, tibi nos, ut antea, magna ex parte, sic nunc penitus, totosque tradimus. Hæc latinæ linguæ antistes. (e) In hunc penè sensum Persius de Philosophia verba faciens, ait:

Capite hinc juvenesque, senésque
Finem animæ certum, miserisque viatica canis.

At rursus in laudem ejus diffluit fons latinitatis uberrimus ità differens: *Philosophia omnium mater artium, quid est aliud, nisi, ut Plato ait, donum, inventúmque Deorum? Hæc nos primum ad illorum cultum, deinde ad jus hominum, quod situm est in humani generis societate, tum ad modestiam, magnitudinémque animi erudivit: eademque ab animo, tanquam ab oculis caliginem dispulit, ut omnia supera, infera, prima, ultima, media videremus. Prorsus hæc divina mihi videtur vis, quæ tot res efficiat, ac tanta.* (f) Ab mente Tulli non abludit Apuleius, hoc pacto de dogmatibus Platonis sermonem instituens: *consideranti mihi sæpius alias virtutes, indagatrix, expultrixque vitiorum, & divinarum particeps rerum Philosophia videbitur, & nunc maximè, cùm naturæ interpretationem, cùm remotarum ab oculis rerum investigationem sibi vendicet. Nam cùm cæteri magnitudine rei territi ejusmodi laborem arduum, & profundùm existimarent, sola Philosophia suum non despexit ingenium; nec indignam se existimavit, cui divinarum, humanarúmque rerum disceptatio deferatur. Quid mundo præstantius?* Hæc ille. Sed *dicet aliquis*, (ut sibimet ipsi objecit nomine sui Lucilii, pro ratione illius ætatis, Romanus sapiens) *dicet*, inquam, *aliquis, quid mihi Philosophia prodest, si fatum est? Quid prodest, si DEUS Rector est? Quid prodest si casus imperat? Nam & mutari certa non possunt, & nihil præparari prodest ad ver-*

(e) *lib. de universalit.* (f) *lib. 2. de orat.*

verſus incerta, ſi aut conſilium meum DEUS occupavit; decrevitque quid facerem, aut conſilio meo nil fortuna permittit. Hæc objecta ita diluit. *Quidquid ex his Lucili, vel ſi omnia hæc ſunt, philoſophandum eſt, ſive nos inexorabili lege fata conſtringunt, ſive arbiter DEUS univerſi cuncta diſpoſuit, ſive caſus res humanas ſine ordine impellit, & jactat, Philoſophia nos tueri debet. Hæc adhortabitur, ut libenter DEO pareamus, ut fortunæ contumaciter reſiſtamus, hæc docebit, ut DEUM ſequaris, feras caſum.* Alio verò loco inquit: *hoc ſcio, neminem poſſe bene vivere, ſed nec tolerabiliter, ſinè ſapienti ſtudio: cùm omnia habueris, tunc & habere ſcientiam voles, & ſapientiam, hæc erit ultimum vitæ inſtrumentum.* (g) Et ſubjungit: *facere docet Philoſophia, non dicere, & hoc exigit, ut ad legem ſuam quiſque veniat, ne orationi vita diſſentiat, ut ipſa inter ſe vita unius, ſinè omnium actionum diſſenſione, coloris ſit. Maximum hoc eſt & officium ſapientiæ, & judicium, ut urbis opera concordent, ut ipſe ubique par ſibi, idemque ſit.* (h) Alibi verò in hujus facultatis laudem his excurrit verbis: *utinam quemadmodum univerſa mundi facies in conſpectum venit, ità Philoſophia toto nobis poſſit occurrere ſimillimum mundo ſpectaculum, profectò omnes mortales in admirationem ſui raperet, relictis his, quæ nunc magna magnorum ignorantiâ credimus.* Demum hac utitur parænesi: *quantum autem potes, in Philoſophiam ſecede: illa te ſuo ſinu proteget, in hujus ſacrario aut tutus eris, aut tutior.* Hæc oracula Romani Sapientis. (i)

EPILOGUS. Ecquid jam miremur AA. abjeciſſe ultrò regni compedes Anacharſem, ut liberior ad ſapientiæ Athenæum provolaret? Noluit vir altâ mente præditus, ex Auguſtali Principum conſtruere ſibi ergaſtulum, ferreáque propriæ voluntatis catenâ ſeſe ei adſtringere, qui regnum ejuſmodi ſtudio ſolerti inquirebat, in quo libertas nullis conſtricta vinculis ſuum exerceret dominatum. Naturæ ſecutum fuiſſe ordinem exiſtimo Anacharſem, quæ præfixam ſibi ab ſapientiſſimo authore Deo nunquam non proſequitur felicitatem. Et verò id edocerì à Philo-

[g] *epiſt.* 20. (h) *ibid.* (i) *Epiſt.* 18.

ſophia rerum naturalium magiſtra, jam tum non ignorabat gnavus beatioris vitæ indagator Anacharſes. Si enim ipſæ adeo rationis expertes creaturæ, ſuam naturæ inſtinctu quærunt beatitatem, quid mirum, ſi homines, boni malíque diſcerniculo gaudentes, ad eam non tam ferantur, quam trahuntur? An deterior ſit homo clarâ inſtructus rerum cognitione, operatione ſua intellectuali, actionibus elementorum? Quid enim ignis naturæ impulſu appetit aliud, quàm ſupremam aëris regionem, in qua deputatus conquieſcat? Quid gravia niſi terræ centrum affectant; in quo ceu ſolida baſi conſiſtant? Quid aëris temperies exoptet aliud, quàm ut in ſpæra ſuæ beatitudinis purior obambulet? Quid demum aquæ elementum liquidiſſimo avet voto, quam ut in cryſtallina, limpidiſſimáque ſua origene jucundetur? Et homo ſuperior his omnibus rationis alto lumine, deviet à meta ſuæ felicitatis? Hoc enimverò foret palmare dedecus; & generis humani dehoneſtamentum. Jam verò quis hunc beatiorem hominis ſtatum ab Philoſophiæ præceptionibus neget edoceri? An non hæc divina propè diſciplina, animos hominum reddit pares beatis, nullis adverſitatum fluctibus opprimendos, nullo diſordinatorum affectuum turbine commovendos? An non divinum quid præſefert ſapientiæ ſtudioſus, cùm unus ſit ejus ſemper animus, nunquam alius, nunquam varius, mutabilis nunquam? Quid quod viſione frui beatificâ, Deíque faciem intueri ſibi videntur Philoſophi, cùm cælum ſpeculantur, quod Ægyptiis DEI eſt caput, in quo tot pupillæ divinæ, quot micantes ſtellulæ diſcurrunt. Quis exprimat Archimedis extaſes, qui uſque adeò in Philoſophiæ beatitudine abreptus erat, ut inter enſes, ac mortes obvias, in pulvere terræ doctas Mathematices figuras virgâ delinearet immobilis, donec mors in ipſo tanquam pulvere mortalitatis, ultimam ei vitæ lineam deſignaret. Ecquis jam ambigere valeat de beatitate, quàm ſectatores ſuos edocet Philoſophia, ſeu in Stoa Zenonis, ſeu in porticu Chryſippi, vel in Academia Platonis; aut Ariſtotelis Lycæo? Quamobrem ſi vos indipiſcendæ hujus beatitudinis votum ha-

habet AA. ad ejus dogmata gnaviter condiſcenda, ſinè interpolatione vos conferte. Illud tamen ſcitote velim, non in epomide, & promiſſa barba Philoſophi prærogativam conſiſtere, ſed in animo ad omnem fortunæ variantis conditionem ritè comparato. Nempe Philoſophia animi eſt habitus, non exterior corporis cultus. Qui verus eſſe amat Philoſophus, mentem excolat virtutibus eſt neceſſe. Id agite, & Philoſophi, id eſt beati vixeritis.

CHRIA IX.

Cato cenſorius accuratiſſimus magiſter morũ, & filiorum educator ſolertiſſimus, dictitare ſolebat, ſibi magis adoleſcentes, qui rubeſcerent placere, quàm qui palleſcerent. *Plato apud Plut. de virt. vere.*

EXORDIUM. ELogium texere Catoni, primogentis Portiæ fundatori, nemo ſatius valeat, quam ipſe ſibi Cato, optimus teſte Plinio Orator. Magnorum merita virorum, quamquàm verbis nullus Panegyriſtes adæquare poſſit, ſi tamen majores tubæ eorum laudibus debentur nomenque eorum immortalitati eſt commendandum, ſummos in dicendi facultate præcones habeant eſt neceſſe. At quis Catonis famam, non duntaxat maximi Oratoris, ſed & maximi Imperatoris, maximíque Senatoris, æquo, ut par eſt, præconio celebrabit? Maximus ſane non ſolum nomine, ſed & omine Valerius Maximus, à quo mutuam ſumere Catonis laudem non eſt cur erubeſcam; quandoquidem eum debito nequeam encomio impertire, plúſque allatura ſit ponderis, ac momenti prædicatio

tanti rerum gestarum scriptoris ; quam ego sermonis gratia destitutus valeam afferre. At quid de Catone in veterum monumentis historiographorum facile Princeps Valerius? Tanto eum perhibet apud populum Romanum in numero, ac honore fuisse, ut ex ludis Florialibus abeuntem, ingenti plausu populus sit prosecutus, ac propalam confessus, plus se majestatis uni tribuere Catoni, quam universo sibi vendicare. At quibus opibus, quibus imperiis? quibus triumphis hoc datum est? Exiguum viri patrimonium, adstricti continentia mores, modicæ clientelæ, domus ambitioni clausa, paterni generis una imago, minimè blanda frons, sed omnibus numeris perfecta virtus. Quæ quidem effecit, ut quisquis sanctum, & egregium civem significare velit, sub nomine Catonis definiat. Hæc de illo Valerius Maximus in sua ephemeride, cui quidpiam adjicere, lumen esset Soli adferre. Sed ut tanti viri sapientiam, quæ potissimum laudis esse posset argumentum, nulla unquam obruat vetustas, permiram juventutis institutionem, quam susceperat, atque rarum de floridiori hac ætate sensum pensitare paulisper liceat, quo dictitare solitus fuerat, sibi magis adolescentes qui rubescerent placere; quam qui pallescerent.

PARAPHRAS. O paradoxum effatum, quod præter Sibylam legat nemo. Opus hic foret Delio notatore. Davus sum hodie, non Oedipus. Quare pace tua censor gravissime, ac juventutis gnavissime moderator, liceat mihi ex te citra temeritatis notam percontari, quo spectent mihi cogitationes tuæ, quidve hac sapienti paræmia posteritatem volueris edocere? Eccur tibi magis arridet rubor, quàm pallor adolescentis? Si te delectant vernantes in genis rosæ, eccur non lilia? Quid culpæ sibi conscivit innocens vultus candor, non raro index niveæ virtutis in animo residentis? Sit erubescentia iconismus pudoris, pulchrique affectûs tessera, qui cum excitatur, confestim purpureo colore genas, totámque faciem ceu murice perfundat. An non pallor quoque rectas animi motiones, & candicantem pectore hospitari integritatem valeat indicare

care? Sit rubor à verecundia efflorescens pulcherrimæ color virtutis: quis iniquus rerum æstimator, hanc laudem pallori denegarit? Etiam quandoque vitia nativa vultus purpura sese amicire solent; à quo probro longissimè interdum abest pallor. Coccus inardescens genis, non rarò furorem secum vehit: pallor placidam cordis temperiem, animíque malaciam persæpe exhibet legendam. An non tincta ardentiori ostro facies sæpenumerò prodit adolescentis genium, in audaciam, & temeritatem projectum, cùm interim suffusus pallore vultus, rerum agendarum tegat moderamen? Ut ut sit, sapientiæ luce conspicuus, multóque rerum edoctus usu Cato, plus laudis tribuit rubori adolescentis, quàm pallori. Cum enim haud uno lustro, non tam gnavus esset morum magister, quàm rigidissimus eorum censor, & ad singularem omnium integritatem suos formaret liberos, sagaci pervidit oculo, melioris esse frugis, spémque majorem de se facere bonorum, imbutos naturæ minio adolescentes, quàm lurido pallore, buxeóque colore deformatos.

CAUSA. Est quippe, si genuinam Catonis mentem, quamquam nullis verbis memoriæ proditam, indagare penitius velimus, est, inquam color ille exanguis, haud leve indicium animi, non usquequaque ad virtutis studium comparati. Quid enim vivido colore privatus adolescens, rebus olim seu in toga, seu in sago gerendis præclarum Reipublicæ polliceatur? Ad valetudinaria satius, & nosocomia ejusmodi ablegare juverit, quàm ad rerum magnarum experimenta. Et si vultus haud rarò loquitur citra fucum interiorem animi habitum, squallor iste, mentis imbecillitatem, ac ægram ejus valetudinem, haud vano prodit argumento. Sed alio longè graviori rationis momento nixum fuisse existimo Catonem; cur decolores minoris duxerit adolescentes, minusque sibi placere identidem dictitarit. Si enim suffusis pallore adolescentibus, non est res quotidiana cum medendi peritis, ac firmo fruat alioquin corpore, ad vitia fortè censuit procliviores, magistráque didicit experientia, non tam naturæ

vitio, quam colorante malitia in fædum vultûs livorem immigrare. At verò, quos ingenuum ducere ruborem identidem adnotavit, virtutis esse alumnos haud vanè conjectavit, cùm hic ostrinus color, verecundæ virtutis clarissimus sit index. Et sanè præclarum est decus, ac ornamentum adolescentiæ, hoc naturæ conchile in tenero vultu erubescens. Est enimverò expugnatrix malorum verecundia, erratorum inimica, propugnatrix pudicitiæ, testis innocentiæ, soror continentiæ, virtutum primitiæ, custos famæ, decus vitæ, atque insigne totius honesti. Ubi viget, florétque hæc virtus in ipsa prosiliens ora, nil turpe, ac indecorum residere in animo patitur, quin continuò illud, erumpente per genas colore, palàm faciat, omnéque malum, atque adeò ipsam ejus umbram exhorreat, ac detestetur.

CONTRARIUM. At longè secus iis evenire videmus quorum actiones omni rubore carent, procúlque sunt à verecundia, omnium passionum haud dubiâ moderatrice. Nam qui bene, & naviter sunt impudentes, ac jam faciem, frontémque perfricuerunt, nulla se infamiæ macula aspergere verentur, atque unde virtuti studentes, dedecus, ac turpitudinem effluere vident, indè pudoris obliti, decus, & gloriam sibi oriri posse arbitrantur. Ubi enim semel verecundiæ septa, finésque transiliunt; suo jure, ac libertate pro arbitrio utuntur, laxásque cupiditatibus habenas permittunt. Et si speculum mentis plerumque in verbis refulget, quam in animo eorum nitere virtutem opinemur, quorum oratio iis excedit finibus, quos modestiæ, honestíque leges præscribunt? Quam de iis, æquissimi rerum arbitri, tuleritis sententiam; qui aliter, atque decet in verba erumpunt quique assiduò crepant vitia, & projecta longissimè verecundia, aut ampullas loquuntur, aut verba eructant obscenitatem olentia, dictáque effutiunt fescennina? Si verò mentis habitus non obscurè cernitur in statu corporis, quam de illis feceritis sequelam virtutis, qui nullam modestiæ præ se ferunt speciem in motu, gestu, incessúque, sed velut ardeliones, ac pantomimi histrioniam

agunt

agunt, effusi in omnem scenam levitatis ? An non frontem periisse illis dixeritis ; qui verecundiæ frangentes repagula, oculis emissitiis omnia perscrutantur, vibrantes pro sua libertate per obvia quæque obtutum, atque illicitis animum pascentes objectis, prout phantasiæ ludus subministrat ? An non hos alienos à pudore thrasones manere apud artocopum censueritis ? Ità nempe qui pudorem omnem absterserunt, stabulúmque sunt impudentiæ, in omne vitiorum genus effunduntur. Verùm qui intra verecundiæ metas sese continent, omni decore virtutis clarissimè effulgent, orbis universi, ac præsertim floridæ ætatis ornamentum.

SIMILE. Quemadmodum enim in natu majoribus gravitas, in valido, firmóque ævo alacritas, sui æstimationem conciliant : ità pudor, ac verecundia in adolescentiæ vere, velut quadam singulari naturæ dote, haud parum commendationis habet. Hoc diluculum ætatis, nunquam absque rubore pudoris, ac verecundiæ purpurascens, cum Auroræ gratia non incongruam subit analogiam. Vidistis sæpe sæpius, non sinè oculorum illicio, hanc pulchram Solis filiam, orientis Floram, diei, noctísque diribitricem. At quid hæc lucis filia confine habet cum adolescentis verecundia? Permultùm sanè. Ut enim è commento Poëtarum hęc parens luminis, dum conserto gemmis, rosísque pallio, alabastrinum conscendit currum, & per cæruleos astrorum campos, ab equis candore pellucentibus, atque suavissimum anhelantibus Zephyrum, pervehitur, aureàsque excutit comas ; aërem serenitate inaurat ; gemmeo rore arva inundat ; lucem mundo communicat, amictum umbrarum dilacerat, velúmque noctis disrumpit : haud aliter verecundiæ rubor in gena adolescentis exoriens, omnium actuum gratiosè colorat principia, & virgineo reliquas virtutes honestat pudore. Ubi verecundia frontem, vultúmque occupat, nulla sævit in animo malorum tempestas ; nullæ vitiorum umbræ sedem cordis pervadunt ; nullæ scelerum noctes mentis serenitatem oppugnant ; sed continua est animo malacia, pax, ac tranquillitas jugis. Quid quod nulli non

reddit amabilem, hæc pulchra oris purpura, mutúsque est orator, ad quosvis hominum animos in suam sententiam pertrahendos.

EXEMPLA. De quo nè ambiguitati locus relinquatur, testis, Demetrius Philippi Regis Macedonum filius cujus rubor ingenuus, Patri de regni jactura periclitanti attulit salutem. Forsan civitatum Græciæ ablegati, ad dominam, arcémque omnium gentium Romam iter susceperunt, æquissimam depositiuri querelam adversus injurias Philippi, toti ditioni Græcorum hucusque illatas. Cum verò super hoc negotio Oratores in corona Optimatum, amplissimóque ordine Romanorum, causæ suæ momenta diffusius pertractarent: adest unà Demetrius, famæ Patris consulturus, ac gravem ejus defensionem suscepturus. Sed crimina veritati congrua adferebantur, quibus citra aliud scelus patrocinari non licebat. Quare cum genitoris partes, facundus alioquin Demetrius tueri non valeret: coccineo perfusus colore, mirum quantum erubuit, altúmque animo silentium imperavit. Hac motus honesta, laudabilíque verecundia Demetrii ordo senatorius Romanorum, Philippo advocationem præstitit, omníque crimine absolvit. Atque ità iniquæ Patris causæ modestia filii, ac pudor plùs emolumenti attulit; quàm flagitiorum purgatio latiali facundia deferre potuisset. [a] Ab hac officina pudoris nota; non vulgarem mereatur commendationem Nebridius adolescens, contubernalis Augustorum, quorum mensæ ministrat orbis, ac terræ, mariáque deserviunt. Hic ætatis suæ flos, in rerum omnium affluentia, in delitiarum copia, usque adeò effloruit in rosa verecundiæ; ut virginalem pudorem evinceret, teste purpurato Dalmata, & nè levem quidem ex se obsceni rumoris fabulam daret [b] O rarior nigricante cygno, vel albente corvo, in Aulis Principum verecundiæ deditus adolescens. O perraros in Augustali Cæsarum Josephos, quibus tanto pudor sit amori, ut fugientes malint vestem in molliori dextra relinquere, quàm exuere vere-

[a] *Fulgos. lib. 8. c. 1.* [b] *D. Hieron. epist. 9. ad Salvinam.*

verecundiam, summum adolescentiæ decus, ac ornamentum. Hac in virtute olim enituit adolescens quidam gentilis, quem ob liberalem, ac scitulam faciem, nescio quis perditus thraso sequebatur. His, cùm proambulans obvius fieret Hippocratidas, ac præ pudore admodùm erubescentem conspiceret adolescentem, suspicatus id, quod erat; hac parænesi eum est affatus: cum his oportet te ambulare, quibuscum conspectes non mutes colorem. (c) Liceat his accensere Pythiam, Philosophorum Principis filiam, verecunda ingenuitate, ac virginali pudicitia adolescentulam illo ævo præstantem. Non hæc magni ducebat singularem oris dignitatem, non miram coloris suavitatem, non cervicis ebur, non explicatam serenæ frontis aream, non fulgentes stellatum instar ocellos, non illitum genis stibium, aut purpurissum, non labiorum corallia, non certantia nivibus bracchia, non molliculas manus, non fucci plenum, ac eburneum corpusculum, non egregiam totius corporis conformationem. Nec pensi habuit in auribus pendulos unionum elenchos, non pretiosa in collo monilia, non fulgentes in pectore Indorum lapillorum corymbos, non radiantes in brachiis armillas, non nitentes in digitis gemmas, non denique totam mundi muliebris panopliam, qua non rarò pudicitiæ castrum expugnatur. At in quo tandem pretium statuit Pythia, sexûs sui speculum, ac singulare virginum decus? In gemma, ac pyrope verecundiæ, per genas illibatas discurrente. Nam cùm quispiam ejus pudicitiam periclitaturus, ex illa sciscitaretur: quis color esset pulcherrimus? repo suit: qui per verecundiam ingenuis oboritur. (d)

TESTIMONIA. Pudor quippe, è mente Tullii, *ornat ætatem, & moderator est cupiditatis.* [e] At verò *redire cùm perit, nescit pudor.* Sen. [f] *Oportet itaque pudori servire, quicunque boni sunt futuri.* Plato. (g) *Et liberis quidem multum verecundiæ, non aurum relinquere oportet.* Idem [h] *Quem verò non pudet, hunc ego non solùm reprehensione, sed etiam pœnâ dignum puto.* Cic: [i]

(c) *Plut. in Apopht.* [d] *Stob. serm. 29.* [f] *in Agam.* [g] *lib. 4. de leg.* [h] *ibidem* (i)

[i] Nam *custos virtutum omnium dedecus fugiens, & laudem maximam consequens verecundia est.* Idem [k] *Digna, cui proinde, atque cœlesti Numini exstruantur templa, atque aræ consecrentur: quia parens est omnis honesti consilii, tutela solemnium officiorum, magistra innocentiæ, chara proximis, accepta alienis, omni loco, omni tempore favorabilem præseferens vultum.* Valer Maxi. [l] *Hac* enim verò *adolescentiam decet.* Plato. [m] Et *ubi studium verecundiæ est, cupiditas rationi servit.* Val. Max. (n) Sed *quisquis pudore vacat, non sentit dolorem ex turpiter factis.* Plut. (o) Unde *maximum omnium vitiorum, quæ inter homines sunt, impudentia est.* Euripides [p] Nam *dux est ad turpia*, apud Stob. (q) *Illum ego periisse puto, cui periit pudor.* Plautus. [r] Denique *sinè verecundia nihil rectum, nihil honestum esse potest.* Cic (s)

EPILOGUS Hanc proinde virtutem, tanquam speciosum florem adolescentes comprimis intemeratum jugiter conservent. Et quamquàm in provectiori quoque ætate maximoperè sit retinenda, cùm omnium ætatum decus sit, atque ornamentum; in teneriori tamen ætatula, teneræ gratia verecundiæ, amplius, pulchriúsque enitere solet. Nutriendus est igitur solerti cura, ac indefesso studio adolescentûm pudor. Nam quoad usque in animis eorum resederit, semper bonæ spei locus relinquetur, frugésque maturas virtutum in autumno ætatis pollicetur. Est enim verecundia comes assidua pudicitiæ, cujus societate integritas animi, atque corporis tutior existit. Quid quod formæ ipsi honestatem semper conciliat, ac decorem, nullique non redditur grata, acceptáque. Quid enim amabilius verecundo adolescente, cui natura ipsa, pudore malignitatis tacta, sanguinem ante se pro puniceo extendit velamento, illecebram casti spectatoris. O quàm pulchra, & quàm splendida gemma morum est verecundia in vultu, vitáque adolescentis, quàm vera, & minimè dubia futurorum bonorum nuntia, probęque indolis lucu-

(i) *lib.* 1. *de orat.* (k) *ibid.* (l) *lib.* 4. (m) *de scientia* (n) *lib.* 6. (o) *de virt. verecund.* (p) *in suppl.* (q) *Theog.* (r) *in Bacchid.* (s) 1. *de Orat.*

luculentissimus index. Quapropter hunc speciosum, ac pretiosum virtutis colorem non erubescat adolescentia, & tum in verbis, tum in factis semper habeat primas verecundia, omnium actionum moderatrix, ac peculariter castimoniæ fidissima, validissimaque propugnatrix. Verbo: tantùm placeat adolescenti verecundia, quantum displicere impudentiam est necesse.

CHRIA X.

Sigismundus Imperator, uni è Proceribus nimias laudes in se congerenti, colaphum infregit, dixítque cur me mordes adulator? *Æneas Sylvius lib.* 1.

EXORDIUM. NUllam adeò infæcundam, malignóque percussam sidere, hucusque mundus vidit, indoluitque ætatem, quæ non heroës, virtutis, sapientiæque laude præstantes, in Reipublicę humanę emolumentum protulisset. Nam si fastos Romanorum, & chronica Græcorum monimenta, vel cursim mecum percurrere libet; prô quanta magnorum nomina, Regúmque, ac Imperantûm prodigia attonitis similes lecturi sumus. Celebrat etiamnum hodie Roma, & scriptis immortalibus, à situ, pulveréque vendicat memoriam Julii Cęsaris, Pompei, Scipionis, Marii, Torquati, Fabii, Scęvolę, Metelli, aliorúmque magni nominis virorum, quorum magnitudinem verbis exæquare, actum esset agere, ret[illegible]e ventos captare. Canit suos meliore plectro Græcia Agamemnones, Hectores, & Achilles, Ajaces, & Parthenopæos, aliáque summorum nominum portenta; quę apertis, ut ajunt, tibiis velle decantare, esset noctuam Athenas mittere, operámque pessimè collocare. Inclyta heroum gesta

gesta Harpocratæo admirari silentio satius esse censeam ; quam inani verborum lenociniæ demulcere. Qui sua magnitudine dominata eminet , non ampullatis eget verbis commendari, Quisque est mensura sui. Nemo aliena facundia evadit major. Nec disertum Latii eloquium , nec Musa Attica, suorum magnitudinem heroum , ad decempedam verborum potest revocare. Non est mihi proinde animus , multijugis sermoni oratorii phaleris illos redimire , quibus vix par foret elucubrata ad lucernam Aristophanis oratio affatim prædicandis. Illud tamen citra injuriæ crimen, silentio non licet involvere , etiam antecedentibus sæculis haud ità pridem evolutis , Alemanniam viros, sago , togáque inclytos produxisse, qui fortassis magnitudine sua , magnam Latio, Græciæque umbram projecerint, & si virtutem, sapientiámque Principum Germanorum spectemus , heroës præfatos, longo post se reliquerint intervallo. In gloriosam horum sortem , jure maximo accensendus venit Sigismundus Imperator , fama ad posteros transmissa longè celeberrimus; in cujus præconio ritè concinnando , multùm operæ posuerunt haud vulgares rerum gestarum scriptores. In magni hujus Monarchæ virtutibus , nolim ego liberis veluti habenis , apertísque eloquentiæ campis hodie exspatiari , nè in re eruditis apprimè comperta videar otiosè commorari. Unicum duntaxat ejus factum, dictúmque planiore eloquio referre lubet, ex quibus, velut ex ungue leonem conjeceritis, qualis, quantúsque fuerit virtute, ac sapientiâ Sigismundus Imperator , dum parasitum quendam scitissimè coarguit , in laudabilem aliorum orbis Principum æmulationem.

PARAPHRASIS. Forsan unus aliquis de Palatinis, auribus Sigismundi deserviturus, agathonicam ei cecinit cantionem , iisque Imperatorem affecit laudibus ; quæ minimè vero consonabant. Non latuit Principem sapienti lumine illustratum gnathonis assentatio , laúsque mercenaria , quam ejusmodi palpones jugiter in labris circumferunt, non Regnantes , sed fortunam eorum adorantes. Exploratum jam habuit usu plurimo sagacissimus Monarcha

cha, aulicorum ſtudia in eo potiſſimùm verſari, ut lenociniis aucupentur gratiam Principum, eorúmque dogma palmare eſſe, verba dare, fumos vendere, laudanda ſequi vituperio, improbanda pleno ore probare, modò pes affulgeat favoris, nummorum, ac honoris. Erudiunt linguam ſuam aularum paraſiti, efformántque in verba grandia, & ſeſquipedalia, quæ nunquam non magnificè crepant, cùm tamen opera verbis deſint, ſibíque ſolùm vacent, rebúſque ſuis ampliandis. Aurea quæque largiſſimè pollicentur, & pauca admodùm in effectum trahunt. Blanditias à fronte ſimulant; à tergo fallaciſſimè deludunt. Omnibus pleno modo laudem tribuunt, omnéſque fictâ demiſſione jubent avere, ac Neſtoreos iis vovent annos, quibus vix ſpitamam vitæ, arctámque ætatis periodum favent. Sint Optimates, ac Purpurati; quibuſque imperii faſces ſunt commiſſi, ſint, inquam, aſoti, ac rerum publicarum immodici decoctores, hos tamen velut uberrimos liberalitatis fontes coronabunt. Sint primæ notæ viri Charybdes divitiarum, & inexplebili auri cupiditate, ac hydropiſi laborent: gnavos rei domeſticæ curatores prædicabunt. Sint eparchæ, qui familiam ducunt, Apicii, ac Meliogabali, & diffluentes luxu Sardanapali: urbanos, ac curiales, rebúſque ſuis, ut par eſt, frui proclamabunt. Sint viri primores impendiò loquaciores, & velut Architæ crepitacula diem confabulando extrahant: affabiles, comes, perjucundos, feſtivos, ſummáque humanitate præditos dilaudabunt. Sint tetrarchæ, ac viri Principes ignaviæ labe infecti, atque otio, & torpedine; in negotiis è bono reipublicæ agendis, ſegneſcant: maturos, & graves, atque omnia ſuis momentis probè exigere, ſorúmque agere non præcipiti juris regulâ edicent. Et has palliatas gnathonum artes non ignorabat, multo doctus experimento Sigiſmundus Imperàtor. Quare ut ejuſmodi lenocinia, fraudis fuco obducta, Proceres aulæ ſuæ dedoceret, & ad veri amuſſim normámque Miniſtros Regiæ efformaret, quendam eorum palpum ſibi obtrudentem non leviter depalmavit, totúmque in caput ejus pugnum ingeſſit, quò gnathoniſ-

nismum excuteret, & verò congrua loqui Principi suos erudire.

CAUSA. Ego sanè existimo, gravi rationis pondere inclinatum fuisse ad hoc insolens factum, moderationis legibus alioquin deditum, tantum orbis Germanici Monarcham. Quippe non erat nescius, quæ, quantàque ab hoc perditissimo hominum genere malorum ilias in regna, ac provincias invehatur, Falsa etenim assentatorum præconia, mentes à recti tramite avertunt, ab æqui trutina ad iniquitatem detorquent, & in ipso vetitorum usu, pravaque consuetudine vivendi, etiam viros Principes stabiliunt, confirmántque. Delectat enim ea facere; in quibus non solum non metuitur reprehensor, sed etiam laudatur operator, Nec quicquam est, quo faciliùs corrumpantur virorum licèt fortium animi; quàm blandis laudibus palponum. Plùs persæpe nocent illecebrosę adulatorum linguę, quàm patula bella hostiliter armatorum. Et quid fiducię ponere valeant magni principes in gnathonibus, qui amicos se profitentur in exteriori, apparentéque officio, & adversarii sunt in animo? Quis eis fidem habeat, qui compti sunt in verbis, turpes in factis, læti in prosperis, fragiles in adversis, immoderati in gaudio, mærentes in lamento, ovantes ad pręconia, anxii ad opprobria, faciles ad nefasta, difficiles ad honesta? An non jure abhorreat Princeps à palatinis canibus, morsum inferre jugiter clanculùm tentantibus? An non detestetur fabros laudis, ignominiam, ac dedecus vafrâ, occultáque arte procudentes? An non detestetur architectos falsitatis, omnem veri rationem, quę Imperantûm est basis, evertentes? Quid juverit magniloquam commendationis rubam Principis auribus admovere, si classicum insonet hostile? Quid mellitę adulationis favos eructare si plùs fellis, & aloës habeant, quàm mellis? Quid cassiâ, aut stacte assentationis caput Principis unguere, & interim crumenas ejus, ac æraria identidem emungere? Quid auribus summatûm pulvinaria subjicere, ab eorum purpura fictitium pulverem excutere, implumē vestem leniter deplumare, & interea vafras artes in eorum interitum ma-

machinari? Abeant in malam pestem, malúmque cruciatum ejusmodi fraudem Dædali, dolosíque palpones, qui à voluntate vultum, ab animo verbum, à mente linguam, ab intellectu loquelam amplo dissensionis intervallo disjungunt. Abeant corvos pastum, qui exterius plausibiliter collaudant Principem; quem interius sardonicè derident. Abeant, quò digni sunt, vafri aretalogi, qui à foris vultu arrident virgineo, intus scorpionis pungunt aculeo, quíque foris mellicos adulationis depluunt imbres, intus detractionis evomunt tempestates.

CONTRARIA. Et tamen (ô tempora! ô mores!) & tamen (ô præpostera vivendi ratio!) cæcâ laudis ambitione plurimi ducuntur Principum; majorémque habent fidem gnathonibus; quam sibimet ipsis, eósque beneficiis ampliant, quos torquere deberent, & à præsumptione assentationis deterrere. Rectius sanè ageretur cum rerum publicarum Præsidibus, si nossent inter adulationem, verámque laudem facere, ut par est, discerniculum, neque eis gratiæ locum faverent, qui palpant blanditiis, auréisque famæ bibulas agarhonia inebriant cantione. Atque indè consectarium est, ut veri inopiâ laborent magna fastigia omniáque possidentibus desit, qui liberè edicat veritatem. O inauspicatos, fortunáque iniquiore utentes terræ Principes; qui è myriade aulicorum vix unum sortiuntur, vera audientem profari. At hoc delictum in ipsa vergit capita regnorum. Non pertimescerent nonnulli ministrorum, qui reipublicæ commodis, non sibi deserviunt, vera nonnunquam edicere, si vera Principes non renuerent audire. O quam prosperum cursum res Imperantum tenerent, omniáque illis è sententia caderent; si nulla impunis abiret assentatio, si falsa denunciantibus sua adstaret pœna, & præmia manerent aulicos veritati studentes. At cum veridicos pœna, assentatores verò præmia sequantur, nullus in assentationis officio dormitat, illúdque gnaviter accurant omnes, quò molli adulationis propysmate ad clavum Imperii sedentes demulceant, sempérque ad eorum gratiam

loquantur. Starent etiamnum inconcussa præteritorum sæculorum Imperia, quorum sola duntaxat lugubris exstat memoria, starent, inquam, si innixa fuissent basi veritatis. Est enim verò familiare vitium assentationis eversio regnorum, ruina, & clades virtutum, causáque malorum omnium; quæ non duntaxat aularum studia remorantur ab honesti ratione, sed & in vitia præcipites agit Principes, qui veritatis nixi fulcimine, unà cum posteris in gloriæ fastigio consistere valuissent. Et tamen etiamnum hodie latissimè suum exercet dominatum hæc palponum conditio; quódque est palmare vitium, gravissimúsque error Principum, demissionis, ac benevolentiæ locum assentatio apud eos obtinet, summóque habetur in pretio, ac æstimatione. At verò ex adverso; qui virtuti primas tribuunt, longéque ab hac lenocinandi arte sunt alieni, aut invidiæ malo tabescere, aut arrogantius se efferre reputantur. Ita nempe præpostera multorum opinione, vitia amictum virtutis induunt, ipsæque adeo virtutes, in naturam vitiorum, malè sentientium arbitratu detorquentur. Atque ità adulatio, virtutis schemate non rarò investita, perpetuum, maximúmque Regum est malum, quorum facultates crebriùs, quàm aperta hostium arma, evertit.

SIMILE. Haud obscuræ suppetunt hujus veritatis parabolæ, ab rebus obviis nullo negotio petendæ. Et comprimis quidem se se mihi objiciunt volitantes liberè per aërem muscæ, ac humi jugi operâ distentæ myrmecides, quæ si oleo perunctæ fuerint, continuò dispereunt, & in natale tabum resolvuntur. Nec aliter evenire Principibus est necesse, adulationis unguine delibutis. Horum unctio est eorum emunctio, commendationis allusio, haud dubia delusio; laudis arrisio, fœda derisio, quique obsequio, & assentatione palponum, in exitium suum trahuntur, unáque florentissimum Reipublicæ statum atrahunt in ruinam. Nec à vero defuit, qui parasitos corvorum genium asseruit proximè æmulari. Hi enim morticina sectantur, ac eorum oculos effodiunt: isti vivos exedere, ac consumere satagunt, corúmque animos frequenti pal-

palpo excæcant. Nepam quoque, seu scorpium cum assentatore non abs re compararim. Illa palpando incedit, & caudâ ferit: iste Principem apertè demulcet, ac clandestinè trucidat. Canes Actæonis sunt adulatores. Ut enim Actæon multo Ichnobati, ac Lælapi vitam suam credidit, ab iisque tamen concerptus est, ac laniatus: ità Summates, qui plus æquo gnathonibus fidei præbent, & se, suáque intempestivo illis committunt consilio, ab eis, dum minimè rentur, devorantur. Quis inficias ire audeat, teredines, cossos, termites, & ejusmodi insecta id genus homines rectè compellari? Quemadmodum enim hi vermes frugibus, aut tignis insidentes, non antè discessionem ab illis faciunt, dum vacua; & inania reddiderint: haud aliam parasitastes vivendi ineunt rationem, qui eò usque copiosis, ac locupletibus adhærent eísque homagia deferunt, ac clientelas dum opibus valent: at ubi nudos vident à fortunis, & imparatos à re nummaria, terga iis vertunt, aliam deinceps quercum in sua commoda excussuri. Quem fugit, naturam luporum ejusmodi thrasones imitari, qui perniciem Principum blanditiis, ac callidis artibus eo pacto intendunt, út lupi titillando, ac scalpando asinos, in rabidam fame alvum demittunt. An quemquam latet; cum apibus venire in similitudinem parasitos? Nam velut apum examina, per vernantem florum luxuriem volitantia, mella in ore ferunt favos stipatura, in occulto verò gerunt spiculum: non aliter comparatos videas assentatores qui lingua sesamum, merámque dulcedinem verborum propinant, re verò ipsâ clam Principes feriunt, ac sæpe inferunt vulnus insanabile. Ne multis. Denique sicut heliotropium cum lucis parente se circumagit interdiu; concubia verò nocte, velut desiderio Solis languens florem contrahit: non secus gnathones Phœbum Principem eò sequuntur; dum serena illos arridet gratia: ubi verò nubilosa vident ire tempora, aut mærore contabescunt, aut in Principis exitium conjurant.

EXEMPLA. Hoc assentationis malo, in ultimum discrimen adductus est maximi nominis Justinianus Imperator,

tor, consummatum alioquin juris prudentiæ exemplar. Forsan Tribonianus non tam leguleius; quam aretalogus, ad gratiam locuturus tanti Principis, palàm jactare ausus est, non decessurum Cæsarem de vitæ statione pro more recepto aliorum mortalium, sed corpore animòque novâ apotheosi ad superos migraturum. Fidem tribuit assentatori sapientissimus licet Imperator, atque indè cristas extulit coronatus vertex, itàque fastu, & insolentiâ tumuit; ut legum divinarum contemptor, pestiferis hæreseos opinionibus corruptus, vitam fine pessimo terminarit. Usque adeò dissipuit, qui sibi maximè sapere videbatur. (a) At longè sapientius egisse perhibetur Canutus Daniæ, & Angliæ Rex, qui formosos Pythones eorúmque astum feliciter delusit, ac castigavit. Forsan hic Princeps ad leges modestiæ conformatus, animi causâ, secundum Oceani littus ambulabat: cùm unus aliquis è gnathonibus aulæ, Canutum Regem Regum omnium potentissimum, thrasonicis verbis compellat, qui hominibus, qui mari, qui terris latè imperitaret. Has verborum illecebras, ut factis refelleret sui ipsius Rex Canutus, sedem in littore capit, æstu tum ex alto se se incitante, atque in hæc verba majestate facta erumpit: unda tibi impero, nè pedes meos tangas. Vix hæc pauca protulerat, cùm aquis justa sequi reluctantibus totus superfunditur. Tum ille ad aulicos, latus regium stipantes, conversus, palpúmque eorum repressurus edixit: quo jure ergo me potissimum dicitis: qui nè minimum maris fluctum cohibere valeo? (b) Dignum fastis immortalibus Regem, qui se bullis fastuum non passus est inflari! In hujus laudem mille dignus præconiis accedit Carolus V, qui Parisiis publica oratione mirum quantum dilaudatus, oratori reposuit: grata est mihi affinis Regis in me benevolentia, sed laudes tuæ non qualis sim, sed qualis esse debeam, me docent. (c) Sed nè recentioribus duntaxat exemplis immòremur, veterum monumenta revolvamus; in quibus orbis Principes edo-

(a) *Evagrius lib.4.c.16.& ult* (b) *Polydor. Virgil. ex Chron. German.* (c) *Crantz in hist. Saxon.*

edocentur, qui assentatorum palpi sint refringendi. Et comprimis quidem se offert Alexander Macedo, qui Philosophum quendam quo aliàs ob sapientiam familiariter utebatur, eâ propter à suo removit consortio, quod in vitium assentationis deflexerit, neque unquam verba fecisset de rebus Alexandri statum concernentibus. Si enim, inquiebat, mala, quæ facio, non intelligit, insipiens est: si intelligit, & non arguit, est malevolus adulator: utroque nomine dignus, qui à regia familiaritate penitùs arceatur. (d) Idem Regum invictissimus, atque assentatorum gravissimus osor, Aristobulum hoc pacto à lenocinandi arte deterruit. Scripserat de rebus ejus gestis Aristobulus volumen laudibus plenum, multáque supra fidem conficta, coram Rege, dum navigio veheretur, recitârat. Offensus Alexander rebus verò minus consentaneis, è manibus ei codicem eripuit, & in Hydaspem fluvium abjecit, edicens: te sic mergere deberem: tu hoc balneo dignior esses. [e] Neque hic prætereundus videtur Antiochus Rex Asiæ, feris agitandis plurimum delectatus. Hic Regum potentissimus, positâ aliquando veste regiâ, purpuráque in viliorem amictum commutatâ cervum insequens, à via longiùs aberrârat. Cum verò inclinato jam die, noctéque appetente, de reditu ad suos actum esse videret; in obvium pauperis tugurium divertit, quietem in eo capturus. Hic nactus opportunitatem cum aperto homine, puróque à fraude sermones miscendi; quæsiit ex illo, quæ hominum esset de Rege sententia, quæque opinio subditorum? Reposuit incognito Principi vir antiquæ fidei, inópsque gurgustii incola: Regem equidem probitati, clementiæque esse deditum, sed pravis hominibus, qui ei sunt à consiliis, jugiter stipari, atque ideo evenire, ut iis authoribus Princeps seria regni negotia venatui ferarum posthaberet. Placido hæc accepit animo Rex Antiochus veri perquam studiosus: Ubi verò cum Solis reditu ad augustal suum revertit, hæc ad aulicos, continuo in munia sua officiosè advolantes, verba fecit, inquiens: Heri demum

(d) *Eras. Roder. lib. 8. Apophth.* (e) *idem ibidem.*

veritatem intellexi , nec à quoquam vestrum tanto tempore mihi deservientium , liberiorem vocem audivi. ( ) Ita nempe rarior in aulis sonat veritas , magisque assentationi , quàm plerumque exosæ veritati opera navatur. Utinam a Regum manibus in vitam redirent Ladislai Reges Poloniarum , & castigatione alapæ gnathones ferirent , aut pro more aliorum Principum , ejusmodi palpones è regnis proscriberent , & ad ultimam mundi Thulem ejecerent nunquam redituros [g]

TESTIMONIA. Et tamen hodiedum in ædibus Regnantium , suum obtinet assentatio dominatum. *Habent enim hoc naturale in se blanditiæ* , teste Seneca , *etiam cum rejiciuntur placent*: *sæpe exclusæ , novissimè recipiuntur.* (h) Imò ex ejusdem Romani Sapientis mente, *apertis , & propitiis auribus recipitur adulatio , & in ima præcordia descendit , eò ipso gratiosa , quo lædit.* (i) Et *ic quæstus nunc est multò uberrimus.* Terent. (k) Nam *ad quæstum suum omnia adulator instituit.* Arist. (l) Quis verò hoc possit probare , ità *versare naturam suam* : *& regere ad tempus , atque huc illuc torquere , & flectere : cum tristibus severè , cùm remissis jucundè , cum senibus graviter , cum iuventute comiter , cum facinorosis audacter vivere* ? Ità latinæ princeps eloquentiæ. (m) Qui tamen ipsis hoc vitio laboràsse fertur. Nam ut inquit Seneca : *Cicero malè audiebat , tanquam nec Pompejo certus amicus , nec Cæsari , sed utriusque adulator. Quum enim jocatus esset ad Laberium transeuntem : recepissem te , nisi angustè sederem Laberius remisit: atqui soles duabus sellis sedere.* Ità de M. T. Cic. præfatus author. (n) Qui etiam Principem in hunc sensum affatur : *Ne adulatoribus latus præbeas : artifices sunt ad captandos superiores. Par illis , etiamsi bene caveris, non eris.* (o) Et tamen *semper adulatio magnæ fortunæ comes*

[f] *Plut. in Apophi. Reg.* [g] *Panuinus.* [h] *lib.* 4. *quæst. natu.* [i] *epist.* 45. [k] *in Evn* [l] *lib.* 4. *Ethic. c.* 9. [m] *pro Cal.* [n] *Sen. Rhet. lib.* 3. *controv.* 8 [o] *lib.* 4. *quæst. nat.*

mos est. Vel Paterc. (p) *Perpetuum Regum malum.* Curt. [q] *Purpuratis solitâ vanitate spem inflantibus.* Idem [r] *Quibus omnia Principum honesta, atque inhonesta laudare mos est*: Tacit. (s) *Morbum puto, non hilaritatem, semper arridere ridentibus, & ad omnium oscitationem, ipsum quoque os diducere.* Sen. (t) Unde idem morum magister asserit: *maluerim veris offendere, quàm placere adulando.* (u) Quippe *adulatio vitiorum nutrix.* Ammon. Marcell. [x] Verum itaque est illud Catonis: *melius de quibusdam acerbos inimicos mereri, quàm eos amicos, qui dulces videantur: illos verum sæpe dicere hos nunquam.* Cic. [y] Sæpe enim

Impia sub dulci melle venena latent. Ovid. [z]

Sed assentatio quamvis perniciosa sit, nocere tamen nemini potest, nisi qui eam recipit, atque ea delectatur. Ità fit, ut is assentatoribus patefaciat aures suas maximè, qui sibi ipsi assentetur, & se maximè delectet. Cic. [aa] Quapropter.

Non si quid turbida Roma
Elevet, accedas, examenve improbum in illa
Castiges trutina, nec te quæsiveris extra. Persius (bb) Sed potius

Respue, quod non es: tollat sua munera credo.
Tecum habita, & nôris, quàm sit tibi cura suppellex. Idem

(cc) *Procul itáque sint à latere Principis assentatores. Habet enim adulatio principia jucunda, sed exitus amarissimos adfert. Et cujus aures clausæ veritati sunt, ut ab amico verum audire nequeat, hujus salus desperanda est.* Cic. (dd)

EPILOGUS. Quamobrem magis optandum est AA. à quolibet amicè in reprehensionem vocari, quam ab adulante fallaciter dilaudari. Nullus quippe Aristarchus formidandus est, amator, promotórque veritatis. Laudator plerumque est adulator, confirmatque suo errore errantem. Nè fidem date perfidis præconibus, qui cùm vos

(p) *lib.* 2. *c.* 104. (q) *lib.* 4. (r) *lib.* 3. (s) *lib.* 2. *annal.* (t) *lib.* 1. *de clem. c.* 6. [u] *ibid. c.* 2. (x) *lib* 20. [y] *de amicit.* [z] *lib.* 1. *amor* [aa] *de amicit.* (bb) *Satyra* 1. [cc] *ibid.* (dd) *in Cæl.*

vos assentationibus foverint, & cum vos impotentes mentis effetis effecerint, si subitò reflexeritis obtutum, visuri estis aut pecoris Arcadii auriculas post vos agitare gnathones, aut ciconiarum colla curvare, aut æstuantiis canis protendere linguam; vel aliâ quacunque demum ratione vos deridiculo haberi. Cane pejus, & angue fugite hos placidos hostes, insidas Sirenes, mansuetos tortores, versatiles rotas, astrologos vanos, & mendaces, dolosos angues; qui quantò plus latent, tantò plus nocent. Qui sapit, ùt oportet, se ipsum in animi sui penetralibus ad trutinam rationis exigit, non qualis sit aliis credit. O sanè fortunatos, rebúsque secundis affluentes, qui nil habent, ob quod eis quispiam fucum faciat, versutéque imponat. Non facit blanda oratio hominem aut Numâ religiosiorem, aut Socrate sanctiorem, sed niveæ probitatis candor, egregiáque vitæ sinceritas, clarum reddit, atque conspicuum mundo. Amica sunt virtutibus fortia, & austera. Dulcia lenocinantur delictis, vitiísque serviunt blandimenta. Dum lenocinans oratio adrepet auribus, lethale virus autumemus. Si fallax gnathonis sermo animum percusserit, palpúmque nobis obtruserit, fraudis strophas opinemur, quibus minus providis exitium per vafras artes machinantur. Ad extremum, si ità lubet, ac legibus honesti non adversatur, feriamus malam parasiti cum Sigismundo Cæsare, aut saltem verborum fulmine palponis linguam, in exitium mortalium jugiter exertam, retundamus.

* * * * *

CHRIA

CHRIA XI.

Alphonſus Aragoniæ Rex, in Alvarum Lunam ingrati animi vitio laborantem, perquam munificus exſtitit; cúmque ob id à Regiæ miniſtris argueretur, repoſuit: an ignoratis, ingenti beneficio ingratitudine ſatis fieri?

Æneas Sylvius lib. 1.

EXORDIUM. CUM aliquando in effictam de Pario marmore Orphei ſtatuam, ac copioſo ſudore manantem, fortè fortuna incidiſſet Alexander ille Macedo orbis domitor invictiſſimus, tanta animum ejus non viſi hactenus portenti inceſſit admiratio, ut penè in rupem obriguerit, ſtupenda rei novitate perculſus. Cùm verò ſibi redditus, hoc oſtentum, ſupra naturæ vim, ac ordinem, ut rebatur, poſitum conſulta ratione exegiſſet, neque in hujus prodigii cognitionem deſcendere valuiſſet, ſciſcitatus eſt ex ariolo ponè adſtante, quid inſolens ille ſudor, guttæque propè decumanæ, ex inanimata Orphei ſtatua adeò largiter emanantes miri denotarent? Huic quæſtioni citra ſudorem, ac pulverem occurrit prodigii interpres aruſpex, tantíque Principis ductus reverentia, ejuſmodi reſponſum dedit, quod ad ſtomachum ejus facere poterat, & orexim. At quid demum repoſuit? Proximam aſſentationi commentus eſt æquiparationem: inquies: quemadmodum hæc efformata è Porphyrite Orphei ſtatua, copioſum ad præſentiam Alexandri M. emittit ſudorem: ità aliquando maximoperè deſudaturos rerum ab illo geſta-

gastarum scriptores ; qui facta ejus immortalibus fastis dignissima, posteritati essent consignaturi. Et verò desudarint in elucubrandis Alexandri Macedonis laudibus veterum sæculorum historiographi , & exaggerato laudum præconio gesta ejus celebrarint. Alium ego hodie orbis Principem longè maximum, non est in superstitioso gentilitatis gremio enutritum, at in sinu Fidei Orthodoxæ , lacteque ipsius Sapientiæ à primis altum incunabilis Alphonsum Regem Aragoniæ laudandum suscíperem, si parem mihi tantis rebus eloquentiæ facultatem benignior natura tribuisset. Quare desudent alii eloquentiæ consulti in encomio tanti Monarchiæ Hispanorum: quibus divinior vis dicendi à fonte bonorum omnium est infusa. Me unum ejus factum, dictúmque, pro mensura constricti limitibus suis ingenii mei juverit declarare, munificam videlicet in hominem minùs gratum dexteram, & sapiens de eodem effatum.

PARAPHRASIS. Et comprimis quidem in liberalem ejus manum animos, oculósque advertite , ut eò clariùs ingratitudinis nefas elucescat. Erat hic Princeps laude munificentiæ clarissimus, atque adeò ubertim, magnificéque largus , ut ipsa largitas in eum immigrâsse videatur. Nunquam non explicatas habuit manus ad tribuendum , paratus plura dare , quàm accipere clientes. Oceanum existimate fuisse Alphonsum ; qui eò redundavit , omníque bonorum affluxit copia , ut in subjectos refunderet quàm largissimè. Censuit nimirum sapientissimus Principum, non esse suum, quod terra , marique veniret in tributum, sed esse rem populi, boníque publici ; cui Reges maximè sunt vectigales. Neque ideo opulentia flagellat arcas Principum , ut ampliores fortunæ in iis gementes delitescant , sed in communia erumpant regnorum , & provinciarum emolumenta. Non fænerant opes ergastulo damnatæ , vel quibus Pluto insidet. Nec tangit veros Principes auri sacra fames, nec opibus inhiant suæ duntaxat tributarii felicitate. Quare Alphonsus loculos exosus , publici juris fecit, & in suos munificentissimâ liberalitate dispertiit. Hos inter non infimum locum tenuit palatinus

aq.

nomine Alvarus Luna, haud vulgariter alioquin præditus rerum gerendarum usu. In quem non duntaxat liberalem manum sæpe sæpius protendit Alphonsus, sed per amplissimos dignitatum gradus, ad honoris fastigia præ aliis Regiæ Ministris evexit. Sed quas grati animi vices retulit Luna tot beneficentiæ monumentis? quas aliti luporum catuli referre solent. Nulla apud eum viguit acceptarum gratiarum memoria; sed magnitudinem tantorum erga me meritorum detestanda oblivio, fortunæque insolentia obruit, ac delevit. Hoc ingrati animi crimen cùm non uno notarent indicio alii Ministrorum, moti indignitate rei, Principem pro familiari consuetudine sunt adorti, suavíque affatu eum objurgantes, à beneficentia in Alvarum derivanda avertere nitebantur. Accepit pro innato sibi animi moderamine, vacuam fuco parenesim Alphonsus, illúdque plenum sapientiâ effatum reposuit: an ignoratis, ingenti beneficio non nisi ingenti ingratitudine satisfieri?

CAUSA. Non latuit equidem sagacissimo præditum ingenio Regem, multos gratiæ vicem non referre, sed beneficiis malitiæ venenum interdum misceri, ac contumeliam gratiæ eos persæpe facere, qui dantis munus grata mente non susciperent. Licèt, inquam, hæc non fugerint Alphonsum, nihilo tamen seciùs adeò latè patuit ejus benignitas, ut acceptarum quoque gratiarum immemores beneficiis redderet locupletes. Ex quo haud dubiam facere licet conjecturam miræ, præcelsæque virtutis; quæ Principis hujus animum ex asse sibi vendicavit. Et sane magna virtus est, culpabilem negligentiam in persolvendo debitæ gratitudinis officio pati posse, & quem vix terra ferre valet, illum æquo animo præferre. Quis enim quamquàm robustæ virtutis Princeps, amœno, liberalique oculo ejuscemodi hominem intueatur; qui non solum beneficium sibi collatum dissimulatione prætereat: sed & acceptum neget; aut penitùs oblivioni tradat, quódque summum, ac immane est nefas, ipso etiam maleficio rependat? Quis non totâ mente, ac omnibus artubus contremiscat ad hoc ingrati animi vitium; quod

quod ipsa adeò natura humana velut exitiale monstrum detestatur? Est enim verò ingratitudo animo inimica, exterminatio meritorum, dispersio virtutum, exinanitio beneficiorum, ventúsque urens, qui fontem sibi gratiæ exsiccat, & fluenta charismatum, eorúmque cursum remoratur. Nam qui accipientes munera, immemores eorum fuerint tanquam minus digni, subministratione plurium jure deinceps æquissimo fraudantur. Et quantò majora beneficia sunt collata, tantò graviora ingrati sunt delicta. Unde non levium pœnarum rei evadunt; qui scorpium [ut vulgaris habet paræmia) pro perca reddunt, & de referenda gratia parum, aut nihil laborant. Cùm omnia crimina, tum verò prætermissæ gratiæ, neglectíque officii culpa gravissima, & cœlis, terrísque admodùm est odiosa. Quare indignus est adjutorio, qui parvi istud, aut nihili æstimat. Qui non magni facit benefactoris dexteram, haud illa frui porro meretur. Æquum est, ut hominum oblivionem incurrat, qui bene de se meriti abjicit memoriam, quæ intermori non deberet. Neque ullum hominum genus acerbiorè homines insectantur odio, quàm qui gratiam bene meritis non rependunt. Ut enim naturæ legibus sancitum est, amantem redamare: ità monstrosum est, amanti, ac bene volenti gratum se non præbere. Eliminetur è censu hominum, qui meritis, ut par est, non respondet.

CONTRARIUM. Verùm enim verò apud quos grata beneficiorum viget recordatio, quíque referendæ gratiæ voluntatem, quo ad vixerint, non abjiciunt; omnibus sunt in pretio, ac amore. Est enimverò gratitudo virtus pulcherrima, cui nihil est in omni vitæ cursu antiquius, quàm ut beneficium ad dantem non sinè fœnore redeat, & si non valet remunerando, saltem gratus animus illustrat accepta prædicando. Neque danti quidquam gratius ut accipiente rependi potest, quàm si gratum habuerit, quod accepit. Hæc optima est custos beneficiorum. Semper quippe invitat ad magna, qui gratanter suscipit modica: & spem de futuris recipit, qui transacta beneficia recognoscit. Meliora, amplioráque meretur suscipere, qui

collata sibi beneficia non probatur amittere. Optima beneficiorum custos est, ut supra retulimus, eorum memoria, & jugis confessio gratiarum. Neque ullum officium magìs requirit humana conditio, quàm gratiam gratiæ referre. Et si jubemur è nonnullorum mente, majori mensura rependere; quæ in usum rei familiaris à benevola manu accepimus: quid provocatis gratuito munere erit faciendum? Agrum nos esse juverit feliciter provenientem, qui amplissimum reddit fœnus spargenti sementem. Et si non ambigimus bene ex animo velle, amicissiméque illum complecti, quem auxilio nobis futurum spe ducimur: quas ei gratiarum vices reddere oportebit, qui nobis in re domi angusta præsentaneam opem tulit? Equidem nostri est arbitrii, sitúmque in cujuslibet potestate, munificam in alios manum protendere, vel contrahere; at benefacta non rependere, cùm possis, id enimverò citra injuriæ notam non licet. Et quamquàm is minùs auspicatus sit nonnullorum ordo temporum, ut quosdam non ea accedat fortuna, quò gratiam iis reddere possint, à quibus acceperunt: illud tamen palam profiteri non erubescunt, se referre non posse. Hos ego pluribus beneficiis dignos ajo, eáque perbene apud eos collocari jure affirmâro. At tamen reperire est haud paucos, quibus benè facta excidunt, gratiæque non duntaxat sunt ingrati, sed acceptam odio sequuntur, & in perniciem dantium convertunt.

SIMILE. An non ejusmodi acceptarum gratiarum immemores animi, naturam hæderæ pravis suis moribus induunt, beneficia maleficiis pensantes? Ut enim hoc vilissimum terræ germen florentissimas quasque arbores, quarum auxilio in altum exsurgit, in cariem agit, disperditque, haud aliter ingratus vitii labe corruptus, optimè de se meritum non rarò miserandum in modum pessumdat. Quis inficias ire audeat cœlo turbido, nimbísque agglomerato persimiles esse ingratos? Illi Solis virtute in sublime evecti, ipsum astrorum principem, & serenissimam ejus faciem piceâ caligine circumfundunt: isti à Principe ad illustriores dignitatum gradus, & honorum fasti-

fastigia sublimati, gratiæ lumina aut tenebris involvunt oblivionis, aut lucem gloriæ Principibus eripiunt, eorúmque opacant Majestatem. An quisquam jure negare valeat immensis undarum campis jure æquissimo ingratos comparari? Hi enim dulcia, vastissimáque in se recipiunt plenis alveis flumina, & salsas, multàque acrimonia conditas remittunt aquas: illi acerba pro dulcibus, fel, & absynthium pro melle, mala pro bonis nefariè reddunt, & quæ non? At proximè verò accesserim, si pullo equino, aut satiùs mulo immemorem beneficiorum compararo. Nam hic post lactis copiam à matre acceptam, eandem calcibus identidem ferit: iste sæpe sæpius à Principe beneficiis saginatus, largitérque adipatus, non tam recalcitrat; quàm authorem suæ felicitatis, si non libratà manu, saltem linguâ cædit, & authoritatem ejus maledicentiâ vellicat, ac concidit. Quod ut clariore parabolâ elucescat, demus ultra rem Calicratis opulentum terræ Principem, qui in annos singulos Myriadem aureorum de ærario suo erogari cuipiam faciat Ministrorum, ejusmodi munificentiam minimè promerenti. Jam verò si hoc tanto munere donatus, illos obryzi millenarios in præsentaneum toxicum, vel lethalia impenderet arma, quibus beneficum Principem è medio tolleret: an non grave conscivisse nefas, milléque mortibus dignus censeretur? ita sanè. Et quas scelerum pœnas dependere is deberet; qui Principis dona non solùm in ejus perniciem, sed in totiùs Reipublicæ interitum detorqueret? Hunc enimverò palo affigi, candentibus laminis ustulari, rota membratim conteri, in frusta dissecari, in rogum conjici, omníque suppliciorum genere internecioni dari oporteret. Nec duntaxat hoc ingrati animi vitium per Ministros Principum, & myricas populi, sed & non raròserpit per cedros Summatum.

EXEMPLA. Luculentum hujus præbet documentum Basilius Macedo Imperator; qui meritam haud persolvit gratiam vitæ suæ servatori. Forsan venatu sese exercuit, feráisque indagavit Basilius, & in cervum offendit inusitatæ magnitudinis, & elata in altum cornua ge-

stan-

ſtantem. Hunc ocyſſimè Princeps ſequitur, ſtricto enſe, aut miſſili percuſſurus. Jámque vicinior belluæ, ferrum lateri ejus immergere feſtinabat. Et en tibi cervus pro vita ſua feliciter depugnare, ramóque uno cornuum zonæ Imperatoris infixo, illum ſublimem ferre cornibus ſuſpenſum. Ac forſan citra dubium periturus erat, nî fidus quidam Miniſtrorum, ſummo in diſcrimine vitæ poſitum videns Principem, illicò accurriſſet, diſſectáque gladio zona, libertati, uſuræque lucis reddidiſſet. At quam recuperatæ ſalutis mercedem ſervi fides retulit? Pudet profari. Caput ei à cervicibus avelli præcepit, ſpecioſam prætexens cauſam, quod enſem adverſus Imperatoriam ſtrinxiſſet, Majeſtatem. (a) O indignum ſolio Imperantis animi ingrati nefas; At æqua hanc iniquam remunerationem pœna ſuo tempore eſt inſecuta. Nam dum aliàs cervum agitaret, adeò ejus cornu percuſſus eſt, ut ſceptrum cum cupreſſo debuerit commutare. Sed nè veterum exempla miſſa faciamus: quis ignorat tantum laudis Scipionem Naſicam toga, quantum armis utrumque Africanum meruiſſe; qui peſtifera Tiberii Gracchi manu oppreſſam Rempublicam peſſumdari non eſt paſſus? Et tamen ob iniquiſſimam virtutum ſuarum apud Romanos æſtimationem ſub nomine ablegati Pergamum ſucceſſit, & quod vitæ ſuperfuit, ibidem ſinè ullo ingratæ patriæ deſiderio peregit [b] Quo nimbo, qua procella verborum impium Publii Sextili caput obrui meretur; quod Cajum Cæſarem, à quo tum ſtudioſè, tum etiam feliciter, reus graviſſimi criminis defenſus fuerat, Cinnanæ proſcriptionis tempore profugum, atque præſidium ſuum in fundo Tarquinienſi cladis conditione implorare, & beneficii jura repetere coactum, à ſacris perfidæ menſæ, & alacribus nefandorum penatum avulſum, truculento victori jugulandum tradere non exhorruerit? (c) Quid de Theſeo dicam? Detrahe illum Athenienſibus, nulla aut non tam claræ erunt Athenæ. Siquidem ille vicatim diſperſos cives ſuos in unam urbem contraxit, & agreſti more vivendi populo, ampliſſimæ civitatis formam, atque

[a) *Baron. tom. 10. ann. 869.* (b] *Vell. Paterc.* (c] *Livius*

atque imaginem imposuit. Idem sæva potentissimi Regis Minois imperia, vixdum ætate pubescente, repulit: nec non effrenatam Thebanorum insolentiam edomuit, & quicquid ubique monstri, aut sceleris fuit virtute animi, ac robore dexteræ comminuit. Hujus tamen tanti herois submoti ab ingratis Atheniensibus, Scyros exulis minor insula ossa mortui cœpit. [d] Eandem mercedem recepit Themistocles, qui nobilissimis factis principatum peperit Græciæ, & cujus digna laude immortali facinora, maxima, clarissimáque effulsêre. Hunc tamen adeò inte rnecino persecuti sunt cives odio, ut locum exilio, aut ad salutem tegendam asylum, in Græcia habere non valuerit; quin eum ad cædem investigarent.. Neque securitatem alibi nancisci potuit, quam apud eos, quos profligaverat, & quorum spoliis urbem suam instauravit ac decoravit. Præclara illius circumfertur apud Græcos sententia, τικοπῖᾶται ὑπὸ τῶν ἀυτὸν ἐυχρῆς ϑμενοι. Quid eis negotium facessitis, qui vobis fuêre benefici? Is ipsius subinde platano consimilem se prædicabat, ad quam decurrerent, quos infestaret imber: mox verò serenitate reddita, violetur ab eisdem, & convitiis proscinderetur. [e] An quemquam Lycurgo aut majorem, aut utiliorem virum Lacedæmon genuit, utpote cui Apollo Pythius oraculum petenti reposuisse fertur: nescire se utrum illum hominum, aut Deorum numero aggregaret. Huic tamen neque vitæ summa integritas, neque constantissimus erga patriam amor, neque leges salubriter excogitatæ auxilio esse potuêre, quò minùs infestos cives experiretur. Sæpe enim imbre lapidum impetitus, aliquando ejectus publico furore, etiam privatus oculo, ad ultimum ipsâ patriâ est exturbatus. (f) Quid aliæ facient urbes, ubi etiam illa, quæ constantiæ, ac eximiæ sibi moderationis laudem vendicavit, adeò ingrata adversus tam bene meritum existit? Possem hic sexcenta alia ingrati animi exempla in medium producere, sed sceleris perculsus horrore, lubens, volénsque his enarrandis supersedeo, & ad

(d) *Valer. lib. 5. c. 3.* [e] *Plut. in apoph.* [f] *Val. Max. lib. 5. c. 3.*

ad testes gradum facio de malignitate hujus vitii differentes.

TESTIMONIA. At quid de eo memoriæ posterorum reliquêre veteris sapientiæ intrepretes? Multa sanè, ex quibus pauca duntaxat lubet delibare. Et comprimis quidem Romanus sapiens ità de hoc vitio disserit. *Ingratus est, qui se beneficia accepisse negat, ingratus est qui dissimulat, ingratissimus omnium qui oblivi scitur.* (g) Enimverò *nihil carius æstimamus quam beneficium, quamdiu petimus, nihil vilius, quum accepimus.* Idem [h] *Verùm id minus rectum est. Nam non ferre beneficiis gratiam & est turpe, & ab omnibus habetur.* Idem. (i) Et demum inquit: *quis non detestetur ingratum hominem? Ingratus enim habet omnia nequitiæ semina.* (k) *Dixeris maledicta cuncta, cùm ingratum dixeris.* Publ. Syr *Et tamen inter plurima, noxiáque vitia, nullum esse frequentius, quàm ingrati animi cernes.* Sen. [l] Scilicet *apud paucos post rem manet gratia.* Idem [m] Nam *antiqua dormit gratia, hominésque fiunt immemores.* Pindarus [n] Præterea *per se fugienda res est, esse ingratum.* [o] *Et nihil æquè dissociat concordiam humani generis, ac distrahit, quam hoc vitium.* (p) *Testes ingratorum omnes Deos metuit; urit, & angit illum indepti officii conscientia.* [q] Ità rursum Seneca non uno in loco. Unde Cicero hoc vitium detestans, *ego, certè*, inquit, *beneficii vinctus, ingratus esse non possum.* [r] & Quintil. ait: *nec ingratis quidem benefacere absistam.* (s) *Nam & post malam segetem ferendum est, & post naufragia maria tentantur.* Sen. (t) Quare *beneficii etiam tui infelicitas tibi placeat.* Idem. (u) Sed ut ingratitudinis naturam dilucidè explanemus, libeat sequentem Jambum haud ignobilis Poetæ auribus, animísque accipere.

[g] *lib.* 3. *de benefic.c.*1. (h) *epist.* 81. (i) *lib.* 3. *de benefic.c.* 1. (k) *lib.* 3. *de benefic.c.*16. (l) *lib.* 1. *de benefic.c.*1. (m) *ibid.* (n) *in Isthm.* [o] *Sen. lib.* 4. *de benefic.c.*18. [p] *lib.* 3. *de benefic.c.*17. [q] *ibid.* (r) *lib.* 10. *epist.* 5. *ad Attic.* [s] *apud Liv. lib.* 36. [t] *epist.* 81. (u) *ibid.*

Ingratus est vitandus, ut dirum scelus.
Nil cogitari pestilentius potest.
Nec esse portentosius quicquam puto.
Ingratus aut malè facit, aut malè cogitat,
Sibique tantum parcit, aliis detrahit.
Et odit, omnes qui bonis benefaciunt.
Ingratus est audacior, quò nequior,
Audáxque cuncta semper in pejus movet.
Ingratus est seminarium scelerum omnium.
Hinc est avara mens, & animus perditus:
Hinc fastus impotens, & ambitus gravis.
Ingratus hoc unum benefacit, cùm perit.
Quippe ipsa tellus fœdius nihil creat.
Portentum id omnium est habendum maximum (x)

Unde rectè Seneca adnotavit: *humanis legibus nullam ingratitudini pœnam constitutam esse, quia tanta est ejus iniquitatis, ut soli DEI justitiæ rigidissima punienda relinquatur.* (y)

EPILOGUS. Idcirco omnibus author sum, ut ingrati animi nefas, plurimorum bonorum largitionem præpediens, totis viribus detestentur. Nullum enim perinde vitium tantoperè displicet datori. Nec ullam meretur gratiam accipere, qui de referenda parùm laborat. Atque adeò magni ducere beneficia par est, laudibus ea prædicare, parique si facultas suppetat, ratione pensare. At si res angusta domi vetat officia paribus compensare officiis; ad minus illa memori corde identidem recognoscat, qui accepit, & beneficium, gratiámque abeundè retulerit. Nam cui gratia referri non potest, quanta debetur, habenda tamen est, quantam maximam animi nostri capere possunt. Optima quippe beneficiorum custos est, jugis memoria, & perpetua confessio gratiarum. At hæc meliora suscipere meretur, qui collata sibi beneficia de corde non probatur amittere, nulláque oblivione delere. Amanter te quis habuit: redde munera amoris. Benigne tibi fecit, ac studium in omni re commodavit: grati animi laudem à te requiri nè patiare, at suppar studium exhibe, ac

(x) *Petrus Crinitus lib. 2. Poëmatum.* (y) *epist.* 48.

ac benignitatem. Officiis quiſpiam amicitiam tuam coluit: ſit tibi individuus, jugíque familiaritatis uſu ſis ei obſtrictus. Auxit te quiſpiam rebus ſuis, & fortunis omnibus vacuum, ad meliorem provexit ſortem: tu quoque mole egeſtatis oppreſſum ſubleva, & ſuppetias ei adfer, à quo olim accepiſti. Nemo erubeſcat gratiam de ſe bene merenti referre; cum videat etiam animantes ratione caſſas refugere nomen ingrati. Demum ſcitote, nullum apud eos locum habere ingratitudinis vitium, qui ſapientiæ nomen dederunt, virtutémque nôrunt rebus omnibus præferendam.

CHRIA XII.

Alexander Macedo cum daret civitatem cuidam dicenti: non convenire eam humili fortunæ ſuæ, repoſuit: non quæro quid oporteat te accipere, ſed quid deceat me dare. *Ælian. lib. 1. var. hiſt.*

EXORDIUM. QUanta Alexandi Macedonis futura aliquando eſſet animi excelſitas, & magnitudo; quanta terrarum ſpatia, finéſque mundi victoriis peragraturus, quámque hæc Imperantûm Aquila, fortunæ, præclaréque factorum alis ſubnixa, ſuper omnium Regum gloriam ſeſe levatura eſſet, vel exinde conjecturam facere licuit, dum in lucem edito, geminæ avium reginæ utrumque domûs paternæ faſtigium occupârunt, Aſiæ, Europæque Imperium recens nato portendentes. Et verò auſpicium ſuo non caruiſſe eventu, ſatis, ſupérque manifeſtum facit adultior ætas. Quæ enim mundi terraquei re-

regio sese prodidit, quæ ditiones, quæque floruêre provinciæ, quas armata Alexandri manus gloriosè non involarit? Quæ hostium acies, quas non fuderit, aut fugârit? Quæ municipia, urbésque facilè principes quas non reddiderit sibi tributarias, ac vectigales? Quæ inaccessæ rupes scabro suo vertice cælum invadentes, quæ non fregerit, ac superarit? Quæ gloriæ fastigia, ac honorum gradus, quos non transcenderit? Quæ demum Auroræ frena, quæ non (ut perhibent rerum ab eo gestarum scriptores] armis suis fatigarit? Neque hæc quemquam admiratione perculserint, qui magnos magna decere noverit, sublimique præditis animo excelsa gloriæ competere dictitarit. Verum me non tam relata de hostibus trophæa, non tam victrices laureæ, ac triumphi, in admirationem rapiunt, quàm invicta illa animi magnitudo, qua sui ipsius victor mentem in adversis indomitam, in secundis moderatam, rebusque in omnibus infractam gerebat adeò, ut nullis fortunæ procellis cesserit, nulli adversorum tempestati succubuerit, inferior nulli, superior universis. Nolim ego hodie pumilus etiamnum orator, ad culmen tantæ altitudinis, humi adhuc serpente eloquentia mea gressum moliri non ignarus, Alexandrum non nisi ab Alexandro pro merito laudari posse. Sed cùm in tyrocinio facultatis oratoriæ constitutus, specimen doctrinæ è moderatorum, imperio dare jubear; unum ex innumeris virtutum argumentis, quæ in æmulationem posteris reliquit magnus ille Macedo, imbecilli dicendi genere prosequar, vestra AA. fretus benevolentia, & animatus.

PARAPHRA. Quamquàm hic orbis triumphator longè maximus, omnium propè virtutum amplitudine insignis fuerit, eásque rebus universis nunquam non prætulerit singulari tamen beneficientiæ laude excelluit, adeóque latè patuit ejus benignitas; ut Principem in animo ejus locum obtinuisse videatur. Plus enimverò præstitit manibus in egenos, ac familiares suos protensis, quàm in signa infestiora sæpenumerò extensis: crebriores retulit palmas clientelarem turbam beneficiis obruendo; quàm

quàm copiosum hostium cruorem effundendo. Pulchriora erexit trophæa per liberalitatis monumenta, quam per exuviarum ab universariis relatarum argumenta. Testantur id non levia munificentiæ documenta, quibus ubertim, & magnificè largus affatim comprobatur. Fortè cuipiam de se, ac Reipublicæ perbene merito, animum præstare memorem decrevit. Alexander, ejúsque officia multo fœnore remetiri. Quàm hic mutuam retulisse gratiam arbitramini Macedonem, quod redhostimentum? An in amplissimo dignitatis gradu eum constituit, ac honore singulari donavit? Id enimverò egisse censeam Alexandrum. Ad hanc beneficentiam regiæ potestati minimè commensurandam rebatur. Num amplas, & copiosas in benè merentem effudit opes, fortunísque opulentioribus locupletavit? Nec hic interminatæ suæ liberalitati terminos posuit, collocavit. An illo nihil habuit antiquius, arctissimóque sibi familiaritatis vinculo obstrinxit? Hanc equidem Alexander cum eo consuetudinem iniit; at latius satius suam patere voluit benignitatem. Quo demum munificas protendit manus? Quæ hic vobis AA. insidet opinio, quæ sententia animum versat? Non auditam à seculis concipite beneficentiam. Urbem quandam Principem ei munus dedit, non tam opus rectè factum pensaturus, quàm magni animi sui specimen in munificentiam effusi palàm orbi daturus. O beneficentiam post homines natos inauditam! Sed quid ad hæc tanto munere donatus cliens Alexandri? Primum ejus animum non mediocris incessère admiratio doni supra meritum positi, tum mente versare livorem æmulorum, dein conditionem suam corde dimetiri; tandem plenâ libertate palam edicere: non convenire donum adeò singulare humili fortunæ suæ. Dictum hoc continuò retudit Alexander inquiens: *non quæro, quid oporteat te accipere, sed quid deceat me dare.* O animus, in quem tota munificentia immigrâsse videatur!

CAUSA. Verùm enim verò quam ob rem, quóve rationis momento stimulos addente, tanto sibi devinxit be-

beneficio clientem ? Haud erat ignarus (ut ego quidem de mente tanti Principis asseverantiùs dicere possum) haud, inquam, erat ignarus, Principes, ac moderatores terrarum ad Deum fontem illum, ac immensum pelagus bonorum omnium munificentiâ proximè accedere, nihilque divinius mortalibus in hac rerum humanarum vicissitudine evenire posse; quam fructus suæ erga alios liberalitatis uberrimos colligere, & de omnibus perbene mereri. Feliciùs est dare, quam accipere, optabiliúsque suam messem aliis elargit, quàm decerpere invitis. Quid enim? an non multò præclarius, ac laudabilius est beneficiorum, quam trophæorum multitudinem posteris relinquere, nunquam in accipientium memoria obliterandam? Nemo Principum Diis, hominibúsque plaudentibus in regno agit: nemo prosperum vitæ cursum tenet, omniaque sibi virgulâ divinâ evenire videt; qui non jugem felicitatis comitem sibi munificentiam adsciscit. Omnes sibi persuadeant velim orbis Monarchæ, nullam esse in universo virtutum choragio virtutem, quæ Cælum, hominésque æquè sibi concilict, & in sui pelliciat amorem, ac liberalitas, & beneficentia, effusa rerum possessarum proma conda. Et quid ipsa adeò naturæ jura convenientiùs dictitare, ac suadere possunt; quam beneficia apud alios collocare, fœnus olim benevolentiæ ac gratiarum relatura? An non hanc profusam cum moderationis lege in alios virtutem, incorruptus æquitatis ordo flagitat? Si enim non tam è Zeleuci regula, quàm à lege omnibus insita, id præstandum est aliis, quod sibi quisque ih re familiari domi angusta præstari exoptat: an non è justitiæ erit trutina, conferre beneficia in alios, cùm nemo non in se beneficentiam præstoletur? Neque existiment Principes res suas in extremum discrimen adducendas, aut facturos jacturam aliquam fortunarum, si in alios munera liberalius erogârint: quandoquidem non sunt nescii, nullâ re magis corrogari opulentiam, magísque vim ingentem obrizi conflari, quam benevolâ eorum profusione. Tum quippe solum pretium accedit muneribus dantis, cùm usu largiendi desinunt possideri. Et vero si ne-

necessitudinis jura apud omnes locum habeant est necesse, ac familiarium universa esse communia oportet: quis non indè etiam Principum sibi calcar admoveri sentiat, ad dispertiendas facultates in gazophylaciis gementes? Hæc, aut his affinia rationum momenta, ad eam beneficentiæ altitudinem provexêre Alexandrum, utique non ignarum, nil dignitati Principum esse congruentius, nihilque dignius regia majestate, quam plurimos sibi beneficiis devinctos reddere, benéque de omnibus mereri.

CONTRARIUM. Ex quo consectarium est, eos Principes, qui non beneficâ manu facultates suas erogant; sed per tenacitatis compedes illas irretiunt, minimè dignos esse hoc nomine, minus omine Imperantûm. Quid juverit, si orbis Domini amplissimam messem faciant, & rem familiarem indies augeant, maximámque bonorum myrmecinam congerant posteris, si alienis diu, noctuque inhient fortunis; neque conquisita ad calculum revocent, sed jam subducant acqui. enda? Nunquam ità veri Principes suarum facultatum ostia repagulis obstruunt; ut ea benignitatis virtus non valeat reserare. In fædissimum Princeps cadit dedecus, nullâque abolendam ætate ignominiam, qui vectigales plus æquo facit populos, immensa irrogat tributa, acerbissimámque capitum, ac officiorum imperat exactionem; ut fortunæ bonis ejus superfluant gazophylacia: dum interim alii rei nummariæ difficultate laborant, & cum egestate miserandum in modum confligantur. Non ideo Pelopis talenta, Pactolíque fortunæ ingentibus plaustris ad Imperantûm Augustalia devehuntur, ut cùm in eorum arcam semel ingressa fuerint, tanquam in Labyrintho, aut turri Danaës conclusa, exitum deinceps non inveniant, sed ut publicæ deserviant: utilitati, & in egenti..m stipem, ac emolumentum familiarium conferantur. Non sint Principes barathrum, ac Charybdis divitiarum, omnia absorbentes. Pessimè omnium audiunt rerum potientes, qui avaritiæ vitio laborant. Inglorii sunt, terræque filii Monarchæ, apud quos lucri bonus est odor ex re qualibet. Nullius est ordinis, ac loci Princeps, quem tanta divitiarum fames occupat;

ut vel à mortuis tributum extorqueat, auferátque vectigal. Nullus Regum in explebili auri aviditate, ac hydropisi intumesceret; si mala ex avaritiæ scatebra emanantia secum, ut par est, volutaret. Nam præterquàm quod Princeps aurum immodicè sitiens, de capite, deque honore in singulas horas periclitetur, & innumeris fortunæ telis nunquam non expositus patet; anxiam semper, plenámque curis vitam agit, ac jugi cruciatu, metúque afficitur, ne laverniones, ac vecticularii clam de medio removeant congestas non uno lustro facultates, Principémque omnibus fortunis exturbent. Ab hoc infesto animi tortore immunem degunt ætatem magnificè largi Principes, qui collectas in regno opes non damnant tenebris; sed in lucem producunt, in familiarium, ac Irorum manus effundendas.

SIMILE. Nilum fluviorum principem referant munificentiâ Primicerii, quibus fasces Imperii sunt commissi. Quemadmodum enim hoc liberale naturâ suâ flumen statis anni temporibus extra ripas suas per vastum camporum æquor exspacians, late patentes agros in fœcunditatem animat, nulli suam benignitatem subtrahens; haud secus Principes opibus affluentes, laxatis munificentiæ ripis, facultates suas in alios emanare patiuntur; nè quisquam calamitatem, adversæque fortunæ mala perpeti cogatur. Sed altius conscendat dissertatio nostra ad ipsum siderum monarcham, Principum archetypum, & exemplar. Ut enim Sol non rogatus omnibus exoritur, ac beneficus fertilitatis parens, universam sterilis terræ faciem caloribus suis fæcundat: ut decrepidas arescentium frondium exuvias ad fructiferum revocet vigorem, ac fugatis, depulsísque quaquaversum tenebris non tam orbem illustrat, quàm suæ lucis aspectu mirificè exhilarat mortales; ità sanè municipii sui facilè Principes, subditis non exorati succurrunt, largam in egentes stipem conferunt, omnibus benignè faciunt, eorum rationibus paternè provident, de penu liberalitatis suæ gratuitò eis munera suppeditantes. Et nè à beneficio illo siderum principe, cælique clementia longius discedamus; benignum co-

eorum influxum tantisper videamus. Quemadmodum enim terræ fruges, seu quas luxuries telluris profundit; seu quas arbustiva producunt loca, seu quas viridaria ad illecebram oculorum, ac delicias erexis progerminant, ut, inquam, fruges terræ, non tam ingenio soli, quàm cœli beneficio, ac meliori temperie lætius, fæcundiúsque exuberant: ità Principes liberalitatis laude clari ad meliorem reducunt frugem subditos, morem gerentes reddunt imperiis, gnavos rerum suarum efficiunt curatores, & statum Reipublicæ suo conservant in flore, & vigore. Principes quippe ferentes beneficia, fructum sibi, ac bono publico amplissimum metunt.

EXEMPLA. At regiæ liberalitatis exempla in posterorum æmulationem nonnulla demus. Et primùm quidem rerum gestarum scriptores nobis offerunt à benefico Macedone, Alexandrum Severum, hæc virtutis amplitudine Principem omnino insignem. Hujus Cæsaris eam fuisse perhibent munificentiam antiquitatis monimenta; ut nullum diem abire siverit, quo non sibi beneficiis aliquem obstrinxerit. Sciscitatus est ex hoc munifico Principe quispiam pro familiari usu, quisnam sibi videretur Regum optimus? continuò reposuit: qui amicos muneribus in amicitiæ fœdere retinet, & inimicos sibi reddit beneficiis devinctos. Hic adeò in omnes beneficus existit, ut etiam de se nihil meritos ad petendum quidpiam invitaret, dicerétque sæpe sæpiùs: quid est, quod nihil petis? Pete, nè privatus de me queraris, (a) O singulare munifici animi documentum? Huic non inferior liberalitate accedit Cyrus Rex Persarum, ab omni genere beneficentiæ orbi pervulgatus. Non is aggestas opes, amplissimaque fortunæ munera gazophylacium regium vocitabit, sed amicitia sibi junctos, apud quos plurimum divitiarum identidem collocabat, Fortè huic bene merenti de omnibus Principi alius rerum potiens vestes ostro perfusas, & acu Phrygia concinnè elaboratas, aliáque de Hydaspe, ac Erythra dono misit munera, in quibus videri poterat natura, & ars de ingenio concertasse, & palmam alteri al-

(a) *Lamprid. in Alex. Sev.*

alteram mangonum arbitrio dubiam fecisse. Accepit hæc quidem Cyrus benevolè ad confirmandam armorum societatem; sed nulla mora interposita, in amicos penè adstantes summâ benevolentiæ significatione dispertiit. Id cùm attonitum haberet nonneminem, admirationéque suspensum, quærere ex Rege non dubitavit, eccur nihil sibi reliquum faceret, universa in familiares coferendo! Occurrit illico quæstioni sapientissimus Principum inquiens: corpus meum his omnibus ornari nequit, At verò cùm familiares meos his ipsis decore investitos intuitus fuerò; maximum indè mihi ornamentum accidisse reputabo. [b) O eximium liberalitatis, ac benevolentiæ argumentum? Possem hic innumeros referre alios Tetrarchas, ac Eparchas mira beneficentiæ specimina olim edidisse, sed cùm gratia, ex veteri paræmia, properet, pluribus recensendis volens, lubensque supersedeo. Unicum duntaxat adhuc munificentiæ documentum ab liberali Macedone petere liceat, ut dicta de Alexandro, per Alexandrum ampliùs elucescant. Forsàn hic magnanimus Princeps, omnes alios belli gloria, ac virtute longè antecedens, novas in campo martio laureas messurus, signa in hosticum inferre jam jam apparabat. Verùm prius quàm in arenam descenderet; accitis omnibus, quos familiari usu devinctos habebat, amplissimis muneribus donavit. Et huic quidem campos segetum copia, & densitate fluctuantes obtulit, illi prædia cum armentis, opimisque gregibus transcripsit: illi basilicas ædes cum annuis proventibus extradi fecit; illi portoria elargitus est, aliis alia pro arbitrio partitus est, assumptisque, ac distributis propè regiis opibus, si ea excipias, quæ belli prosequendi ratio exposcebat, armis se accinxit, descensurus in prælium, novam gloriæ materiam, ac triumphi. Hac supparem prodigio beneficentiam, cùm stupore defixi vident familiares Alexandri, omnes propè fieri elingues, parúmque à mutis differre. At tandem Parmenio, cui maxima cum Alexandro intercessit consuetudo, in hæc pauca resolvi scitando: quid

(b) *Max serm.* 6.

quid tandem Regi supererit ? Haud diu moratus responsum est Principum maximus, inquiens: Alexander. (c) Quo dicto, ut ego quidem existimo, haud obscurè indicare voluit: omnia ei adesse fortunæ bona, incolumemque præstari orbis Monarcham, qui protensam semper in beneficia dextram gerit.

TESTIMONIA. Et verò digna Principe est munificentia; quàm Diocletianus Imperator *primam dotem Principis* vocitabat. [d) *Melius* enim *beneficiis Imperium custoditur, quam armis*. Sen. [e) Et *ditare magis est regium, quàm ditescere*. Plut. [f) Nam *multum occupare, habere invidiam potest.: multum tribuere, gloria carere non potest*. Val. Max. (g] Et *liberalitate qui utuntur, benevolentiam sibi conciliant, & charitatem*. Cic. h) *In beneficio autem jucundissima est tribuentis voluntas*. Sen. [i] Et *gratissima sunt beneficia parata, facilè occurrentia*, (k) *ubi nulla mora fuit, nisi in accipientis verecundia*. Idem [l) Nam *dono ipsi gratiam magnitudo quidem sua, sed efficaciorem aliquantò opportunitas conciliat*. Val. Max. (m] *Imò & gratius venit, quod facili, quàm quod plena manu datur*. Sen. [n] Unde *bis dat, qui citò dat*. Publ. [o] Et *bis est gratum, quod opus est, ultrò si offeras*. [p) At verò

Gratia, quæ tarda est, ingrata est: gratia namque
Cùm fieri properat, gratia grata magis. Auson:

Nam omnis benigni[illegible] *properat, & proprium est libenter facientis, citò facer*[illegible]. [q] *Quid tu non intelligis, tantum te gratiæ demere, quantum moræ adjicis?* Idem [r) *Eodem enim animo beneficium debetur, quo datur, & ideò non est negligenter dandum*. Idem. [s) Quin d tur sinè precibus. *Serò* enim *beneficium dedit, qui roganti dedit*, Sen. (t) *Non tulit gratis qui quum rogasset accepit. Molestum verbum est, onerosum, & demisso vultu dicendum, rogo. Et nulla res cariùs constat quàm quæ precibus*

(c) *Plut. in Apophț.* (d) *apud Pompon. Læt.* [e) *de brevit. vit.* (f) *in apoph.* [g) *lib. 4.* (h) *lib. 1. de fin.ib.* (i) *lib. 2. de benefic:* [k) *ibidem* (l] *ibid.* (m) *lib. 4.* (n) *lib. 1. de benefic.* (o) *Syrus* [p) *lib. 2. de benefic.* [q] *ibidem.* [r) *lib. 1. de benefic.* [s] *lib. 2. de benefic. c. 2.* [t) *ibidem.*

tibus empta est. Son. [u] Juverit, unà sinè interpolatione dona tribuere. Ità enim natura comparatum est, ut *antiquiora subvertas beneficia, nisi illa posterioribus cumules.* Nam *quamlibet sæpe obligati, si quid unum negas, hoc solum meminerunt.* Plin. (x)

EPILOGUS Quare Principis Augustal, quasi munificentiæ quædam officina, nulli non sit accedenti patula, quasque possidet legitimo jure facultates, velut bona patria in bene merentes erga manu dispendet. Ut verò benignitatem per se gratam Princeps reddat gratiorem, comitate eam adjuvet est necesse. Perosum enimverò se agit subditis, si vultu ad severitatem composito, ac linguâ in asperitatem efformatâ, opes suas explicet, invito eas animo tribuendo. Nec collata in amicos beneficia commemorare expedit; quod exprobrationis speciem habere videtur, animúmque premit, ac dilaniat clientis. Quid quod Princeps benefacta verbis adornans, non ideo prædicare videtur, quod contulerit, sed eam ob rem contulisse, ut sermonibus hominum celebretur. Atque ità quod magnificum, dignúmque præconio recensente alio evasisset; eo referente, qui gesserat, velut inglorium ac nullius loci habetur. Nonnulli equidem Principum in beneficia sunt effusi, sed ut rerum suarum faciant auctionem, suóque quæstui, ac lucris deserviant. Hæc utique res est fœnebris, & in fœdam venit [illegible]ionem dare, ut recipias. Virtutis est apud alios beneficia ponere, at vitio proximum est, alia de causa contulisse, quàm ut collata sint. Verùm nè Princeps opum decoctor, ac gazophilacii dissipator audiat, eique profusa luxuries speciem liberalitatis imponat; modum in erogandis facultatibus adhibeat oportet. Tribuat egenti, sed nè ipse olim egeat suo, ac Reipublicæ detrimento. A mente, consilióque eum deductum esse censeam; cui major est benignitas, quàm facultas, quíque antè non dimetitur rationis decempedâ, quid beneficiorum profundere expediat, quidve possit. Nemo Principum singulari præditum sapientia se esse arbitretur, cui elargiendi ratio defuerit; cum ea om-

(u) *ibidem* (x) *lib.* 3. *epist.* 4.

omnis honeſtis invidua ſit comes. Cæterum talem ſe civibus præbeat, qualem ſibi bonorum omnium largitorem DEUM exoptat. Nemo illum hucuſque munere vicit: Princeps à nemine ſe vinci in beneficentia ad leges rationis conformata patiatur; exiſtimétque minùs flagitioſum eſſe Regem armis vinci, quàm munificentia. Atque ità cum Alexandro Macedone juſta prædicatione ſe efferre poterit: à nullo beneficiis ſum victus.

CHRIA XIII.

Themiſtocles cùm prædium ſuum lucri causâ venum proponeret; juſſit præconem illud addere: vicinum habet bonum, *Plutar. in Polit.*

EXORDIUM. NOn ſemper commenta, apologíque veterum in anilia veniunt errata, & incondita, nonnullorum opinione, deliramenta, cùm non rarò ſub concinno ſchemate pulchram tegant veritatem; cujus aſpectu nemo non ſapientia conſpicuus maximoperè delectetur. Unum hic liceat ingenioſum Æſopi figmentum in lucem publicam educere quod in rem noſtram haud obſcurum lumen adferet, clarámque dicto Themiſtoclis aſperget veritatem. Fortè ad ſupremi deorum Principis tribunal, cæteris cum animantibus adrepſit cochlea, donum aliquod, pro effuſa Jovis in omnes munificentia demiſſiſſimè petitura. At quod efflagitaſſe munus hanc domiportam arbitramini AA.? Unum id ſummis precibus repente licèt eloquentia Jovem rogavit: ut annexam ſibi naturæ beneficio teſtam jugiter circumferre daretur. Hic quærere poſtulati Jupiter, non invitus in cochleæ votum deſcenſurus, ſi congruam ad ejus ſolium petiti, deponeret rationem. Non ſegnis

in

in responsa fuit domiporta, edicens: sibi è re sua videri satiùs, atque opportunius, hanc pergravem quamvis molem omni loco deferre; quàm ponè vicinos pravis moribus imbutos jugem figere stationem, cùm iisque non citra molestiam commorari. Hoc commentum ab erudito Æsopi ingenio profectum non ignorasse videtur celeberrimus Atheniensium Dux Themistocles, cujus factum, dictúmque paraphrasi aliqua lubet enodare.

PARAPHRASIS. Ac primùm, quod factum ejus attinet, haud abest à vitio è mente scriptorum, eò quod lucris & opibus inhiasse Themistoclem veterum perhibeant monumenta. Equidem memoriam sui nominis à situ, & pulvere vindicavit, universámque sibi devinxit Græciam præclaris bello facinoribus; sed ab inexplebili auri cupiditate, qua fertur laborasse, ignominiosam gloriæ suæ maculam inussit. Hanc miram divitiarum famem ut adimpleret, sumptuosam quandam dominatûs sui ædem subhastavit: aut, ut nonnulli volunt, prædium suburbanum cum latè patente agrorum vicinia venum proposuit. Quò verò majori pretio fundum abalienaret, jussit præconem altiori voce proclamare illud: vicinum habet bonum. Sic enimverò rebatur sitientissimus auri Themistocles, contermini accolæ commendatione, villam ampliori ære commercandam, quæ alioquin tanti non stetít, minúsque peculii pro merito retulisset. Quid? ergóne ædibus confinem habere virum, à probitate, fidéque commendabilem, majorem eis faciat, addátque æstimationem, ac probæ monetæ requirat ampliùs, si nundinari eas sit necesse? An bonitas finitimi municipis tanti est pendenda; ut ejusdem fruendæ causa vel Calicratis fortunæ sint expendendæ? Ità equidem censuit Themistocles; ita omnes, quos vel tenuis afflavit sapientiæ radius, arbitrantur.

CAUSA. Quid enim, ut id ipsum argumento doceamus, quid humanæ societati utilius, quid reipublicæ bono accommodatius evenire potest, quàm finitimum nancisci concivem, apud quem vitæ bonitas jugiter æstivat, hibernátque? Ecquid in hac alternante rerum serie, tot fu-

fucis, logísque obnoxia accidat optabilius, quàm ejusmodi gaudere accola, cujus ad familiaritatem te tutè applicare valeas, cui aperire pectus sine formidine, cui tacenda committere absque timore, qui in prosperis æquè, ac adversis sis amori? Multa sanè complectitur bona communis vitæ ratio, quæ probos inter reperitur. Accipies vulnus acerbum ab infestiore fortuna: bonitas, fidésque vicini præsentaneum est vulneri tuo malagma. Incessant te hostilem in modum adversarii: probitas vicini tutissimum tibi erit adversus hostes asylum. Honor tuus, atque dignitatis fastigium machinis æmulorum ruinam minitetur: obstrictus fide vicinus validum erit labanti fulcimen. Periclitaris fama, nominísque tui jacturam anxiè metuas: bonus concivis nomen tuum capitis, fortunarúmque suarum discrimine sartum, tectúmque conservabit. Deviet tua in erratum aliquod, proclivis suopte pondere in vitium natura: probior vicinus te ad recti semitem reducet, normámque melioris vitæ tibi præscribet. Quid multis? una mente hoc pacto vivitur, eáque est voluntatum, ac studiorum consensio; ut non duntaxat omnia sint communia, quæ rem concernunt familiarem, sed placidissima agant pacis alcyonia, nullo adversitatum turbine infringenda.

CONTRARIUM Verùm (ô iniquitatem temporis nostri?] quàm parvi, imò nihili penditur hæc finitima, probáque animorum consensio, sed omnia veteratoriis artibus, ac livore sunt plenissima, proximi bono succensetur, de vicini malo, ac infortuniis multum lætitiæ capitur & quò major est locorum vicinitas, eò majorem persæpe videmus distantiam animorum. Raro sine rancore, ac simultatibus vicinia agit. Et quamquàm interdum contiguos indigenas à dissidiis, belloque intestino longiùs abesse opinemur, sensúsque eorum inter se congruere arbitremur: non eam tamen inter se alunt consensionem animorum, quam probitatis ratio efflagitat; sed quam vitiorum nexus, si tamen vinculi nomen meretur, connectit, & adunat. Vivitur equidem ex usu familiari, sed qui pravis cupiditatibus statet, & à rectæ rationis ob-

obsequio plurimùm avertit. Quis eam probârit vicinorum concordiam, quæ tempori duntaxat servit; quæ vulpinandum cum vulpibus censet; quæ fallaciis, blandisque sermonibus illaqueat; & insidias vitæ, fortunisque contermini vafris artibus nunquam non struit? Quis hanc veram dixerit accolarum unionem, quæ satius dicenda esset discrepantia animorum. Citiùs dulcedo amaritudini cohæreat, pugna paci, nubilum serenitati, fæcunditas sterilitati, tranquillitas tempestati, quàm verè conveniat inter eos è virtutis præscripto, qui vitio sunt confines. O periculosam sanè, proximámque fatali ruinæ ejusmodi conjunctionem.

SIMILE. Hanc veritatem non incongruo emblemate adumbrârunt ingeniosa Poëtarum commenta per geminas ollas, seu urnas; quarum altera ære fusa, altera figlino opere constructa erat. Fortè utraque singillatim, rapido, præcipitíque flumine deferebatur. Cùm verò aquarum furias reprimere, sistereque non valerent, ænea ad terream conversa, sonante prece illam orat, obsecrátque, sibi continuò jungatur: aut saltèm hæreat contigua lateri, quò viribus unitis ruentia aquarum flumina continerent. Quid ad hæc compacta de limo urna? Renuit æreæ societatem adire, illud edicens: grave sibi ab ea impendere discrimen sive fortuitò in se rueret, sive magna vi aquarum ei allideretur. An non hic noxiæ typus viciniæ satis, supérque exhibetur? Nam sive nos corrupto vitiis finitimo achati jungamus; sive is ad familiaritatem nostram se se aggreget, Ægæum navigamus, & periculosæ plenum opus aleæ tractamus. Tantum quippe mali à pravo emanat vicino, quantum boni, ac commodorum ab studioso accola virtutum. Et cum ejuscemodi familiarem usum conflare juverit, nunquam non è re, bonóque nostro futurum. Ignis naturam affectus probitati vicinius genio suo refert; qui finitimum civem posita calliditate accedentem, in paria virtutum exempla inflammat. Chalybis pariter, cotísque facultatem induit virtute præstans contiguus Pylades, qui in paria pietatis opera exacuit conjunctum sibi quotidiano usu Orestem. Ex adverso verò si juxta

juxta claudum habites, claudicare condisces, oscitante illo oscitabis, vivendíque perperam ex illo capies documenta. Ita nempe multum refert, cui te adjunxeris, & qualem vicinum am[...]ctaris.

EXEMPLA. Unde sapientissimus ille morum institutor Marcus Cato, iis, qui præsente argento ædes; vel arva comparare in animo habebant, author erat, ut antè solerti studio indagarent, quod vitæ genus conterminus teneret, si vitiis obnoxius foret, ab licitatione dehortabatur: si verò famâ vulgante, non tam opum, quàm virtutum laude esset cumulatus, mercatum ut inirent copiosiori licèt ære, illis consulebat (a) Hoc eximio virtutum splendore olim clarescebant Praysii, solo jam nomine mundo noti, qui non duntaxat finitimis facem ad pietatem præferebant, sed & vicinos penuriâ laborantes sublevabant, & rei familiaris jacturam suis facultatibus amicissimo jure sarciebant. (b) Quid quod ipsi adeò Scythæ, quorum vel nomen exhorrescit lingua depromere, maximam viciniæ, convictúsque religionem coluêre, & sacrosanctam etiam (ut veterum referunt annales) Hyperboreas gentes habuêre, in dedecus, ac probrum æviternum populi Christiani. (c) Plura in hoc genere melioris viciniæ documenta hic, & nunc non [...]ppetunt, ut palàm orbi fiat, quàm rari sibi adjaceant; qui usu virtutis sibi consuescant. Unum hic adnectere liceat exemplum, quod nullos metuat confines, de sua virtute sibi conscium, quæ omnibus esse patula non exhorrescit. At quod illud? Memorat Plutarchus, Julium Drusum ædes incoluisse, quæ pluribus ex partibus vicinorum prospectui habebant. Hoc minus accommodum viro majoris notæ habitaculum, quidam structor domorum non imperitus, se correcturum impendio quinque talentorum, interpositâ fide, in se recepit Quo accepto Drusus dena se ei talenta daturum appromisit, si eam ædibus suis formam adaptaret; quâ undequaque oculis patescat omnium, ut non confines duntaxat, sed omnes urbis indigenæ perspicere possint, quonam pacto domus ejus ad rectè vivendum esset comparata. (d) Alium longè videre est rerum statum in hoc depravato vitiis sæculo, in quo non unum audias, à cujus ædibus virtus ex-

(a) *Plu. in Cat.* (b) *Stob. ser.* 38. (c) *Plin.* (d) *Pl. in apopht.*

beneficio clientem ? Haud erat ignarus (ut ego quidem de mente tanti Principis asseverantiùs dicere possum) haud, inquam, erat ignarus, Principes, ac moderatores terrarum ad Deum fontem illum, ac immensum pelagus bonorum omnium munificentiâ proximè accedere, nihilque divinius mortalibus in hac rerum humanarum vicissitudine evenire posse; quam fructus suæ erga alios liberalitatis uberrimos colligere, & de omnibus perbene mereri. Feliciùs est dare, quam accipere, optabiliúsque suam messem aliis elargiri, quàm decerpere invitis. Quid enim? an non multò præclarius, ac laudabilius est beneficiorum, quam trophæorum multitudinem posteris relinquere, nunquam in accipientium memoria obliterandam? Nemo Principum Diis, hominibúsque plaudentibus in regno agit: nemo prosperum vitæ cursum tenet, omniaque sibi virgulâ divinâ evenire videt; qui non jugem felicitatis comitem sibi munificentiam adsciscit. Omnes sibi persuadeant velim orbis Monarchæ, nullam esse in universo virtutum choragio virtutem, quæ Cælum, hominésque æquè sibi conciliet, & in sui pelliciat amorem, ac liberalitas, & beneficentia, effusa rerum possessarum proma conda. Et quid ipsa adeò naturæ jura conveniențiùs dictitare, ac suadere possunt; quam beneficia apud alios collocare, fœnus olim benevolentiæ, ac gratiarum relatura? An non hanc profusam cum moderationis lege in alios virtutem, incorruptus æquitatis ordo flagitat? Si enim non tam è Zeleuci regula, quàm à lege omnibus insita, id præstandum est aliis, quod sibi quisque in re familiari domi angusta præstari exoptat: an non è justitiæ erit trutina, conferre beneficia in alios, cùm nemo non in se beneficentiam præstoletur? Neque existiment Principes res suas in extremum discrimen adducendas, aut facturos jacturam aliquam fortunarum, si in alios munera liberalius erogârint: quandoquidem non sunt nescii, nullâ re magis corrogari opulentiam, magísque vim ingentem obrizi conflari, quam benevolâ eorum profusione. Tum quippe solum pretium accedit muneribus dantis, cùm usu largiendi desinunt possideri. Et vero si ne-

necessitudinis jura apud omnes locum habeant est necesse, ac familiarium universa esse communia oportet: quis non indè etiam Principum sibi calcar admoveri sentiat, ad dispertiendas facultates in gazophylaciis gementes? Hæc, aut his affinia rationum momenta, ad eam beneficentiæ altitudinem provexêre Alexandrum, utique non ignarum, nil dignitati Principum esse congruentius, nihilque dignius regia majestate, quam plurimos sibi beneficiis devinctos reddere, benéque de omnibus mereri.

CONTRARIUM. Ex quo consectarium est, eos Principes, qui non beneficâ manu facultates suas erogant; sed per tenacitatis compedes illas irretiunt, minimè dignos esse hoc nomine, minus omine Imperantûm. Quid juverit, si orbis Domini amplissimam messem faciant, & rem familiarem indies augeant, maximámque bonorum myrmecinam congerant posteris, si alienis diu, noctúque inhient fortunis; neque conquisita ad calculum revocent, sed jam subducant acquirenda? Nunquam ità veri Principes suarum facultatum ostia repagulis obstruunt; ut ea benignitatis virtus non valeat reserare. In fœdissimum Princeps cadit dedecus, nulláque abolendam ætate ignominiam, qui vectigales plus æquo facit populos, immensa irrogat tributa, acerbissimámque capitum, ac officiorum imperat exactionem; ut fortunæ bonis ejus superfluant gazophylacia: dum interim alii rei nummariæ difficultate laborant, & cum egestate miserandum in modum conflictantur. Non ideo Pelopis talenta, Pactolíque fortunæ ingentibus plaustris ad Imperantûm Augustalia devehuntur, ut cùm in eorum arcam semel ingressa fuerint, tanquam in Labyrintho, aut turri Danaës conclusa, exitum deinceps non inveniant, sed ut publicæ deserviant utilitati, & in egentium stipem, ac emolumentum familiarium conferantur. Non sint Principes barathrum, ac Charybdis divitiarum, omnia absorbentes. Pessimè omnium audiunt rerum potientes, qui avaritiæ vitio laborant. Inglorii sunt, terræque filii Monarchæ, apud quos lucri bonus est odor ex re qualibet. Nullius est ordinis, ac loci Princeps, quem tanta divitiarum fames occupat;

 ut

ut vel à mortuis tributum extorqueat, auferátque vectigal. Nullus Regum in explebili auri aviditate, ac hydropici intumesceret; si mala ex avaritiæ scatebra emanantia secum, ut par est, volutaret. Nam præterquam quod Princeps aurum immodicè sitiens, de capite, deque honore in singulas horas periclitetur, & innumeris fortunæ telis nunquam non expositus patet; anxiam semper, plenámque curis vitam agit, ac jugi cruciatu, metúque afficitur, ne laverniones, ac vectigularii clam de medio removeant congestas non uno lustro facultates, Principémque omnibus fortunis exturbent. Ab hoc infesto animi tortore immunem degunt ætatem magnificè largi Principes, qui collectas in regno opes non damnant tenebris; sed in lucem producunt, in familiarium, ac suorum manus effundendas.

SIMILE. Nilum fluviorum principem referant munificentiâ Primicerii, quibus fasces Imperii sunt commissi. Quemadmodum enim hoc liberale naturâ suâ flumen statis anni temporibus extra ripas suas per vastum camporum æquor exspacians, late patentes agros in fœcunditatem animat, nulli suam benignitatem subtrahens; haud secus Principes opibus affluentes, laxatis munificentiæ ripis, facultates suas in alios emanare patiuntur; nè quisquam calamitatem, adversæque fortunæ mala perpeti cogatur. Sed altius conscendat dissertatio nostra ad ipsum siderum monarcham, Principum archetypum, & exemplar. Ut enim Sol non rogatus omnibus exoritur, ac beneficus fertilitatis parens, universam sterilis terræ faciem caloribus suis fæcundat; ut decrepidas arescentium frondium exuvias ad fructiferum revocet vigorem, ac fugatis, depulsísque quaquaversum tenebris non tam orbem illustrat, quàm suæ lucis aspectu mirificè exhilarat mortales; ità sanè municipii sui facilè Principes, subditis non exorati succurrunt, largam in egentes stipem conferunt, omnibus benignè faciunt, eorum rationibus paternè provident, de penu liberalitatis suæ gratuitò eis munera suppeditantes. Et nè à beneficio illo siderum principe, cæliq; clementia longius discedamus; benignum

co-

eorum influxum tantisper videamus. Quemadmodum enim terræ fruges, seu quas luxuries telluris profundit; seu quas arbustiva producunt loca, seu quas viridaria ad illecebram oculorum, ac delicias erexis progerminant, ut, inquam, fruges terræ, non tam ingenio soli, quàm cœli beneficio, ac meliori temperie lætius, fæcundiúsque exuberant: ità Principes liberalitatis laude clari ad meliorem reducunt frugem subditos, morem gerentes reddunt imperiis, gnavos rerum suarum efficiunt curatores, & statum Reipublicæ suo conservant in flore, & vigore. Principes quippe serentes beneficia, fructum sibi, ac bono publico amplissimum metunt.

EXEMPLA. At regiæ liberalitatis exempla in posterorum æmulationem nonnulla demus. Et primùm quidem rerum gestarum scriptores nobis offerunt à benefico Macedone, Alexandrum Severum, hæc virtutis amplitudine Principem omnino insignem. Hujus Cæsaris eam fuisse perhibent munificentiam antiquitatis monimenta; ut nullum diem abire siverit, quo non sibi beneficiis aliquem obstrinxerit. Sciscitatus est ex hoc munifico Principe quispiam pro familiari usu, quisnam sibi videretur Regum optimus? continuò reposuit: qui amicos muneribus in amicitiæ fœdere retinet, & inimicos sibi reddit beneficiis devinctos. Hic adeò in omnes beneficus existit, ut etiam de se nihil meritos ad petendum quidpiam invitaret, dicerétque sæpe sæpius: quid est, quod nihil petis? Pete, nè privatus de me queraris, (a) O singulare munifici animi documentum? Huic non inferior liberalitate accedit Cyrus Rex Persarum, ab omni genere beneficentiæ orbi pervulgatus. Non is aggestas opes, amplissimaque fortunæ munera gazophylacium regium vocitabit, sed amicitia sibi junctos, apud quos plurimum divitiarum identidem collocabat. Fortè huic bene merenti de omnibus Principi alius rerum potiens vestes ostro perfusas, & acu Phrygia concinnè elaboratas, aliáque de Hydaspe, ac Erythra dono misit munera, in quibus videri poterat natura, & ars de ingenio concertasse, & palmam alteri al-

(a) *Lamprid. in Alex. Sev.*

alteram mangonum arbitrio dubiam fecisse. Accepit hæc quidem Cyrus benevolè, ad confirmandam armorum societatem; sed nulla mora interposita, in amicos pone adstantes summâ benevolentiæ significatione dispertiit. Id cùm attonitum haberet nonneminem, admirationéque suspensum, quærere ex Rege non dubitavit, eccur nihil sibi reliquum faceret, universa in familiares conferendo! Occurrit illico quæstioni sapientissimus Principum inquiens: corpus meum his omnibus ornari nequit. At verò cùm familiares meos his ipsis decore investitos intuitus fuerò; maximum indè mihi ornamentum accidisse reputabo. (b) O eximium liberalitatis, ac benevolentiæ argumentum? Possem hic innumeros referre alios Tetrarchas, ac Eparchas mira beneficentiæ specimina olim edidisse, sed cùm gratia, ex veteri paræmia, properet, pluribus recensendis volens, lubensque supersedeo. Unicum duntaxat adhuc munificentiæ documentum ab liberali Macedone petere liceat, ut dicta de Alexandro, per Alexandrum ampliùs elucescant. Forsan hic magnanimus Princeps, omnes alios belli gloria, ac virtute longè antecedens, novas in campo martio laureas messurus, signa in hosticum inferre jam jam apparabat. Verùm prius quàm in arenam descenderet; accitis omnibus, quos familiari usu devinctos habebat, amplissimis muneribus donavit. Et huic quidem campos segetum copia, & densitate fluctuantes obtulit, illi prædia cum armentis, opimisque gregibus transcripsit; isti basilicas ædes cum annuis proventibus extradi fecit; illi portoria elargitus est, aliis alia pro arbitrio partitus est, assumptisque, ac distributis propè regiis opibus, si ea excipias, quæ belli prosequendi ratio exposcebat, armis se accinxit, descensurus in prælium, novam gloriæ materiam, ac triumphi. Hac supparem prodigio beneficentiam, cùm stupore defixi vident familiares Alexandri, omnes propè fieri elingues, parúmque à mutis differre. At tandem Parmenio, cui maxima cum Alexandro intercessit consuetudo, in hæc pauca resolvi scitando: quid

(b) *Max serm.* 6.

quid tandem Regi supererit? Haud diu moratus responsum est Principum maximus, inquiens: Alexander. (c) Quo dicto, ut ego quidem existimo, haud obscurè indicare voluit: omnia ei adesse fortunæ bona, incolumemque præstari orbis Monarcham, qui protensam semper in beneficia dextram gerit.

TESTIMONIA. Et verò digna Principe est munificentia; quàm Diocletianus Imperator *primam dotem Principis* vocitabat. [d] *Melius enim beneficiis Imperium custoditur, quam armis.* Sen. [e] Et *ditare magis est regium, quàm ditescere.* Plut. [f] Nam *multum occupare, habere invidiam potest.: multum tribuere, gloria carere non potest.* Val. Max. (g] Et *liberalitate qui utuntur, benevolentiam sibi conciliant, & charitatem.* Cic. h) *In beneficio autem jucundissima est tribuentis voluntas.* Sen. [i] Et *gratissima sunt beneficia parata, facilè occurrentia,* (k) *ubi nulla mora fuit, nisi in accipientis verecundia.* Idem [l] Nam *dono ipsi gratiam magnitudo quidem sua, sed efficaciorem aliquantò opportunitas conciliat.* Val. Max. (m] *Imò & gratius venit, quod facili, quàm quod plena manu datur,* Sen. [n] Unde *bis dat, qui citò dat.* Publ. [o] Et *bis est gratum, quod opus est, ultrò si offeras.* [p) At verò

Gratia, quæ tarda est, ingrata est: gratia namque
Cùm fieri properat, gratia grata magis. Auson:

Nam omnis benigni ... properat, & proprium est libenter facientis, citò facere. [q] *Quid tu non intelligis, tantum te gratiæ demere, quantum moræ adjicis?* Idem [r) *Eodem enim animo beneficium debetur, quo datur, & ideò non est negligenter dandum.* Idem. [s) Quin d tur sinè precibus. *Serò enim beneficium dedit, qui roganti dedit,* Sen. (t) *Non tulit gratis qui quum rogasset accepit. Molestum verbum est, onerosum, & demisso vultu dicendum, rogo. Et nulla res cariùs constat quàm quæ precibus*

(c) *Plut. in Apophth.* (d) *apud Pompon. Læt.* [e) *de brevit. vit.* (f) *in apoph.* [g) *lib. 4.* (h) *lib. 1. de finib.* (i) *lib. 2. de benefic.* [k) *ibidem* (l] *ibid.* (m) *lib. 4.* (n) *lib. 1. de benefic.* (o) *Syrus* [p) *lib. 2. de benefic.* [q] *ibidem.* [r) *lib. 1. de benefic.* [s] *lib. 2. de benefic. c. 2.* [t) *ibidem.*

cibus empta est. Son. [u] Juverit, unà finè interpolatione dona tribuere. Ità enim natura comparatum est, ut *antiquiora subvertas beneficia, nisi illa posterioribus cumules.* Nam *quamlibet sæpe obligati, si quid unum negas, hoc solum meminerunt.* Plin. (x)

EPILOGUS Quare Principis Augustal, quasi munificentiæ quædam officina, nulli non sit accedenti patula, quasque possidet legitimo jure facultates, velut bona patria in bene merentes larga manu dispendet. Ut verò benignitatem per se gratam Princeps reddat gratiorem, comitate eam adjuvet est necesse. Perosum enimverò se agit subditis, si vultu ad severitatem composito, ac linguâ in asperitatem efformatâ, opes suas explicet, invitq eas animo tribuendo. Nec collata in amicos beneficia commemorare expedit; quod exprobrationis speciem habere videtur, animúmque premit, ac dilaniat clientis. Quid quod Princeps benefacta verbis adornans, non ideo prædicare videtur, quod contulerit, sed eam ob rem contulisse, ut sermonibus hominum celebretur. Atque ità quod magnificum, dignúmque præconio recensente alio evasisset; eo referente, qui gesserat, velut inglorium ac nullius loci habetur. Nonnulli equidem Principum in beneficia sunt effusi, sed ut rerum suarum faciant auctionem, suóque quæstui, ac lucris deserviant. Hæc utique res est fœnebris, & in fœdam venit ^itc^ ionem dare, ut recipias. Virtutis est apud alios beneficia ponere, at vitio proximum est, alia de causa contulisse, quàm ut collata sint. Verúm nè Princeps opum decoctor, ac gazophilacii dissipator audiat, eique profusa luxuries speciem liberalitatis imponat; modum in erogandis facultatibus adhibeat oportet. Tribuat egenti, sed nè ipse olim egeat suo, ac Reipublicæ detrimento. A mente, consilióque eum deductum esse censeam; cui major est benignitas, quàm facultas, quíque antè non dimetitur rationis decempedâ, quid beneficiorum profundere expediat, quidve possit. Nemo Principum singulari præditum sapientia se esse arbitretur, cui elargiendi ratio defuerit; cum ea om-

[u] *ibidem* [x] *lib. 3. epist. 4.*

omnis honestis invidua sit comes. Cæterum talem se civibus præbeat, qualem sibi bonorum omnium largitorem DEUM exoptat. Nemo illum hucusque munere vicit: Princeps à nemine se vinci in beneficentia ad leges rationis conformata patiatur; existimétque minùs flagitiosum esse Regem armis vinci, quàm munificentia. Atque ità cum Alexandro Macedone justa prædicatione se efferre poterit: à nullo beneficiis sum victus.

CHRIA XIII.

Themistocles cùm prædium suum lucri causâ venum proponeret; jussit præconem illud addere: vicinum habet bonum. *Plutar. in Polit.*

EXOR-DIUM. NOn semper commenta, apologíque veterum in anilia veniunt errata, & incondita, nonnullorum opinione, deliramenta, cùm non rarò sub concinno schemate pulchram tegant veritatem; cujus aspectu nemo non sapientia conspicuus maximoperè delectetur. Unum hic liceat ingeniosum Æsopi figmentum in lucem publicam educere quod in rem nostram haud obscurum lumen adferet, clarámque dicto Themistoclis asperget veritatem. Fortè ad supremi deorum Principis tribunal, cæteris cum animantibus adrepsit cochlea, donum aliquod, pro effusa Jovis in omnes munificentia demississimè petitura. At quod efflagitasse munus hanc domiportam arbitramini AA.? Unum id summis precibus repente licèt eloquentia Jovem rogavit: ut annexam sibi naturæ beneficio testam jugiter circumferre daretur. Hic quærere postulati Jupiter, non invitus in cochleæ votum descensurus, si congruam ad ejus solium petiti deponeret rationem. Non segnis

in

in responsa fuit domiporta, edicens: sibi è re sua videri satiùs, atque opportunius, hanc pergravem quamvis molem omni loco deferre; quàm ponè vicinos pravis moribus imbutos jugem figere stationem, cùm iisque non citra molestiam commorari. Hoc commentum ab erudito Æsopi ingenio profectum non ignorasse videtur celeberrimus Atheniensium Dux Themistocles, cujus factum, dictúmque paraphrasi aliqua lubet enodare.

PARAPHRASIS. Ac primùm, quod factum ejus attinet, haud abest à vitio è mente scriptorum, eò quod lucris & opibus inhiasse Themistoclem veterum perhibeant monumenta. Equidem memoriam sui nominis à situ, & pulvere vindicavit, universámque sibi devinxit Græciam præclaris bello facinoribus; sed ab inexplebili auri cupiditate, qua fertur laborasse, ignominiosam gloriæ suæ maculam inussit. Hanc miram divitiarum famem ut adimpleret, sumptuosam quandam dominatûs sui ædem subhastavit: aut, ut nonnulli volunt, prædium suburbanum cum latè patente agrorum vicinia venum proposuit. Quò verò majori pretio fundum abalienaret, jussit præconem altiori voce proclamare illud: vicinum habet bonum. Sic enimverò rebatur sitientissimus auri Themistocles, contermini accolæ commendatione, villam ampliori ære commercandam, quæ alioquin tanti non stetít, minúsque peculii pro merito retulisset. Quid? ergóne ædibus confinem habere virum, à probitate, fidéque commendabilem, majorem eis faciat, addátque æstimationem, ac probæ monetæ requirat ampliùs, si nundinari eas sit necesse? An bonitas finitimi municipis tanti est pendenda; ut ejusdem fruendæ causa vel Calicratis fortunæ sint expendendæ? Ità equidem censuit Themistocles; ita omnes, quos vel tenuis afflavit sapientiæ radius, arbitrantur.

CAUSA. Quid enim, ut id ipsum argumento doceamus, quid humanæ societati utilius, quid reipublicæ bono accommodatius evenire potest, quàm finitimum nancisci concivem, apud quem vitæ bonitas jugiter æstivat, hibernátque? Ecquid in hac alternante rerum serie, tot fu-

fucis, logíſque obnoxia accidat optabilius, quàm ejuſmodi gaudere accola, cujus ad familiaritatem te tutè applicare valeas, cui aperire pectus ſinè formidine, cui tacenda committere abſque timore, qui in proſperis æquè, ac adverſis ſis amori? Multa ſanè complectitur bona communis vitæ ratio, quæ probos inter reperitur. Accipies vulnus acerbum ab infeſtiore fortuna: bonitas, fidéſque vicini præſentaneum eſt vulneri tuo malagma. Inceſſant te hoſtilem in modum adverſarii: probitas vicini tutiſſimum tibi erit adverſus hoſtes aſylum. Honor tuus, atque dignitatis faſtigium machinis æmulorum ruinam minitetur: obſtrictus fide vicinus validum erit labanti fulcimen. Periclitaris fama, nominíſque tui jacturam anxiè metuas: bonus concivis nomen tuum capitis, fortunarúmque ſuarum diſcrimine ſartum, tectúmque conſervabit. Deviet tua in erratum aliquod, proclivis ſuopte pondere in vitium natura: probior vicinus te ad recti ſramitem reducet, normámque melioris vitæ tibi præſcribet. Quid multis? una mente hoc pacto vivitur, eáque eſt voluntatum, ac ſtudiorum conſenſio; ut non duntaxat omnia ſint communia, quæ rem concerunt familiarem, ſed placidiſſima agant pacis alcyonia, nullo adverſitatum turbine infringenda.

CONTRARIUM Verùm (ô iniquitatem temporis noſtri?] quàm parvi, imò nihili penditur hæc finitima, probáque animorum conſenſio, ſed omnia veteratoriis artibus, ac livore ſunt pleniſſima, proximi bono ſuccenſetur, de vicini malo, ac infortuniis multum lætitiæ capitur & quò major eſt locorum vicinitas, eò majorem perſæpe videmus diſtantiam animorum. Raro ſinè rancore, ac ſimultatibus vicinia agit. Et quamquàm interdum contiguos indigenas à diſſidiis, bellóque inteſtino longiùs abeſſe opinemur, ſenſúſque eorum inter ſe congruere arbitremur: non eam tamen inter ſe alunt conſenſionem animorum, quam probitatis ratio efflagitat; ſed quam vitiorum nexus, ſi tamen vinculi nomen meretur, connectit, & adunat. Vivitur equidem ex uſu familiari, ſed qui pravis cupiditatibus ſcatet, & à rectæ rationis ob-

obsequio plurimùm avertit. Quis eam probàrit vicinorum concordiam, quæ tempori duntaxat servit, quæ vulpinandum cum vulpibus censet, quæ fallaciis, blandisque sermonibus illaqueat, & insidias vitæ, fortunisque conterminì vafris artibus nunquam non struit? Quis hanc veram dixerit accolarum unionem, quæ satius dicenda esset discrepantia animorum. Citiùs dulcedo amaritudini cohæreat, pugna paci, nubilum serenitati, fæcunditas sterilitati, tranquillitas tempestati, quàm verè conveniat inter eos è virtutis præscripto, qui vitio sunt confines. O periculosam sanè, proximámque fatali ruinæ ejusmodi conjunctionem.

SIMILE. Hanc veritatem non incongruo emblemate adumbrârunt ingeniosa Poëtarum commenta per geminas ollas, seu urnas; quarum altera ære fusa, altera figlino opere constructa erat. Fortè utraque singillatim, rapido, præcipitíque flumine deferebatur. Cùm verò aquarum furias reprimere, sistereque non valerent, ænea ad terream conversa, sonante prece illam orat, obsecrátque, sibi continuò jungatur: aut saltèm hæreat contigua lateri, quò viribus unitis ruentia aquarum flumina continerent. Quid ad hæc compacta de limo urna? Renuit æreæ societatem adire, illud edicens: grave sibi ab ea impendere discrimen sive fortuitò in se rueret, sive magna vi aquarum ei allideretur. An non hic noxiæ typus viciniæ satis, supérque exhibetur? Nam sive nos corrupto vitiis finitimo achati jungamus; sive is ad familiaritatem nostram se aggreget, Ægæum navigamus, & periculosæ plenum opus aleæ tractamus. Tantum quippe mali à pravo emanat vicino, quantum boni, ac commodorum ab studioso accola virtutum. Et cum ejusmodi familiarem usum conflare juverit, nunquam non è re, bonóque nostro futurum. Ignis naturam affectus probitati vicinius genio suo refert; qui finitimum civem posita calliditate accedentem, in paria virtutum exempla inflammat. Chalybis pariter, cotísque facultatem induit virtute præstans contiguus Pylades, qui in paria pietatis opera exacuit conjunctum sibi quotidiano usu Orestem. Ex adverso verò si juxta

juxta claudum habites, claudicare condisces, oscitante illo oscitabis, vivendíque perperam ex illo capies documenta. Ita nempe multum refert, cui te adjunxeris, & qualem vicinum am[illegible]ctaris.

EXEMPLA. Unde sapientissimus ille morum institutor Marcus Cato, iis, qui præsente argento ædes; vel arva comparare in animo habebant, author erat, ut antè solerti studio indagarent, quod vitæ genus conterminus teneret, si vitiis obnoxius foret, ab licitatione dehortabatur: si verò famâ vulgante, non tam opum, quàm virtutum laude esset cumulatus, mercatum ut inirent copiosiori licèt ære, illis consulebat (a) Hoc eximio virtutum splendore olim clarescebant Praysii, solo jam nomine mundo noti, qui non duntaxat finitimis facem ad pietatem præferebant, sed & vicinos penuriâ laborantes sublevabant, & rei familiaris jacturam suis facultatibus amicissimo jure sarciebant. (b) Quid quod ipsi adeò Scythæ, quorum vel nomen exhorrescit lingua depromere, maximam viciniæ, convictúsque religionem coluêre, & sacrosanctam etiam (ut veterum referunt annales) Hyperboreæ gentes habuêre, in dedecus, ac probrum æviternum populi Christiani. (c) Plura in hoc genere melioris viciniæ documenta hic, & nunc non [illegible]petunt, ut palàm orbi fiat, quàm rari sibi adjaceant; qui usu virtutis sibi consuescant. Unum hic adnectere liceat exemplum, quod nullos metuat confines, de sua virtute sibi conscium, quæ omnibus esse patula non exhorrescit. At quod illud? Memorat Plutarchus, Julium Drusum ædes incoluisse, quæ pluribus ex partibus vicinorum prospectui habebant. Hoc minus accommodum viro majoris notæ habitaculum, quidam structor domorum non imperitus, se correcturum impendio quinque talentorum, interpositâ fide, in se recepit Quo accepto Drusus dena se ei talenta daturum appromisit, si eam ædibus suis formam adaptaret; quâ undequaque oculis patescat omnium, ut non confines duntaxat, sed omnes urbis indigenæ perspicere possint, quonam pacto domus ejus ad rectè vivendum esset comparata. (d) Alium longè videre est rerum statum in hoc depravato vitiis sæculo, in quo non unum audias, à cujus ædibus virtus ex-

Hh ulat

(a) *Plut. in Cat.* (b) *Stob. ser.* 38. (c) *Plin.* (d) *Pl. in apopht.*

ulat, inter dolores querulari, omnium oculis esse expositas, eáque identidem patere, quæ ab aspectu viciniæ remotissima esse peroptarent. At longè alia est eorum sententia, qui jugem virtuti in ædibus suis favent incolatum, atque rectè factorum testem oculum non pertimescunt.

TESTIMONIA. Non vos latet, ut opinor AA. Romani Sapientis dissertatio, ità de proborum idea disputantis. *Nulla res magis honesta inducit, dubiósque, in pravum inclinatos revocat ad rectum, quam bonorum virorum conversatio, Paulatim enim descendit in pectora, & vim præcepti obtinet, frequenter audiri, frequenter aspici: occursus me hercule sapientum juvat, & est aliquid, quod ex magno viro vel tacente proficias, Sumuntur enim à conversantibus mores,* ità Sen. (e) Et *ad rationem vitæ etiam exemplis erudimur.* Plin. (f) Rectè igitur Comicus: *Reges sapientes fiunt sapientium conversatione.* Euripides. (g) *Mores* quippe *eorum quibus cum conversaris, plurimum possunt ad virtutem, & vitia.* Plato. (h) Id quotidianâ docemur experientia. Nam *unum exemplum aut luxuriæ, aut avaritiæ multum mali facit.* Sen. [i] Et *malignus comes, quamvis candido, & simplici rubiginem suam affricuit.* Idem (k) Idcirco *quantum possumus, à lubrico recedamus: in sicco quoque parùm firmiter stamus.* Idem (l) *Recede in te ipsum, quantum potes: cum his versare, qui te meliorem facturi sunt: illos admitte, quos tu potes facere meliores.* Idem [m] Non pigeat sequi monitum Pythagoræ: *Ne cuivis injicias dextram.* (n) *Sed hominem, quo cum conversaris, tribus modis considera: nempe ut præstantiorem te, aut inferiorem, aut æqualem. Præstantiori quidem auscultare, & obtemperare convenit, inferiori persuadere modestè, æquali autem consentire. Hoc sane modo nunquam in contentionem incides.* Ita Epictet. [o] Quare *aspice quid faciant commercia.* Joven. (p)

EPILOGUS. Ex his quis sanæ mentis non eam faciat clausulam, bono jungi aceolæ plurimum prodesse tum ad probitatis testimonium, tū quod ab eo vivendi accipiat similitudinem, cum quo rectæ conversationis hausit cupiditatem. Neq; ullum

(e) *Epist.* 94. (f) *in paneg.* (g) *in suppl.* (h) *in polit.* (i) *ep.* 7. (k) *ibid.* (l) *epist.* 16. (m) *epist.* 7. (n) *apud Stob.* (o) *in Ench.* (p) *Satyra.* 2.

ullum majus indicium bonæ mentis quiſquam valet exhibere, quàm ut ſibi jungat homines, famâ virtutéque conſpicuos iiſque familiariter utatur. Omnes quippe continuò de illo judicium ferent, eum talem eſſe; quales ij, quibus cum iniit conſuetudinem. Nemo, ſi rebus tuis, ut par eſt, proſpicis, ad amicitiam tuam facilem aditum habeat vitiis obnoxius. Ut enim contagionis morbo graſſante, cautela providè eſt adhibenda, nè corruptis jam corporibus, morbóque flagrantibus quiſquam aſſideat: cum afflatu uno in par diſcrimen pronum ſit venire: haud ſecùs in legendis amicorum ingeniis danda eſt opera, ut quàm minimè inquinatos in uſum familiarem aſſumamus. Facilè quippe vitia eorum imitamur, quibus cum vivimus, ſi quidem dociles imitandis turpibus, & pravis omnes ſumus, pluréſque exemplis; quàm peccandi licentia lædamur. Pertinaciùs nobis adhærent quæ deteriora ſunt. Quamobrem nullam omnium ſocietatum præſtantiorem, nullamque firmiorem eſſe reputate, quàm ſi cum iis quotidianam inieritis conſuetudinem, qui probis vos reddere moribus ſimiles, ejuſdémque virtutis participes efficere poſſint.

CHRIA XIV.

Trajanus Imp. cùm juſtè ablatum Regi Thraciæ regnum, filio ejus decreviſſet reſtituere: ubi eum difformia veritati loquentem comperit, mutatâ ſententiâ edixit: tanquam mendax indignus es regno: nec decet Romam matrem veritatis, filium habere mendacem. *Alex. ab Alex.*

EXORDIUM. TRajanus Imperator Prô quantum nomen! Explicavit illud Plinius fuſiore panegyrico; nec tamen latè patenti comprehendit encomio. Magnorum quippe virorum elogia, nulla explanare valet facundia. Præſtat venerari ſilentio, quod durum explicatu ipſi venit Tullio. Abſiſto proinde à tanti Imperatoris præconio, quod Neſtore-

um licèt eloquium longiſſime tranſcendit. Ne tamen ſilentii injuriâ tantum orbis Monarcham affeciſſe videar; id dixiſſe ſuffecerit, fuiſſe Principem omni Principe illâ ætate majorem. Quod benigna rerum parens natura tribuit omnibus, ſingillatim in unum plenâ manu effudit Trajanum Fuerint alii amor populi: in hunc Principem ipſa amabilitas poterat immigrâſſe videri. Nulli fuit gravis, ac peroſus, niſi hoſtibus, quàmquàm & hi, qui odiſſe eum propalam verbis aſſerebant, vi quadam naturæ impulſi animo complectebantur. Adeò fuit erga omnes humanus, ut ab ipſa humanitate altum fuiſſe nemo non cenſuerit. Ea comitas à vultu clementiſſimi Principis elucebat, ut omnes in ſui pelliceret venerationem, ac amorem. Nunquam iraſci viſus eſt niſi vitiis. Nullo tangebatur livore, ſupra omnem invidiam poſitus. Nec quiſquam excelſiorem ejus fortunam livido ſuſpexit oculo, de ſua felicitate, & annis Trajano addere paratus. Ornabat honoribus probos, ut redderet meliores. Adeò munificentiæ laude claruit, ut vel non rogantibus beneficia ubertim conferret. Nulla in manus ejus gentium tributa affluxerunt; quæ in publicam utilitatem continuò non effluerent; Veritatis fuit perquam ſtudioſus, itàque amore ejus tenebatur, ut verba à vero abhorrentia ſummo odio ſequeretur mitiſſimus licèt Imperator. Nunquam liberam, impunémque abire patiebatur falſitatem, quod ſequenti argumento brevior paraphraſis edocebit.

PARAPH. Forté Rex Thraciæ arrogantiæ ſpiritu inflatus, tollénſque criſtas plus æquo ampliùs, ſervitutis vincula, quibus Romæ gentium dominæ obſtrictus erat, rumpere moliebatur. Quare nullum jam vectigal, nullúmque munus clientelare Romanis ſanxerat deferre. Id cùm Trajanus certis rumoribus accepiſſet, non continuò in iram aſperari, non infeſta quæcunque comminari, ſed fecialem ad Regem delegare, qui ei placidiore eloquentiâ author eſſet, quantocyùs ad officium, & Romanam poteſtatem, imperiúmque rediret. Sed inſuper habuit benignam parænesim animi elatioris princeps. Hanc nimio ſibi confiſam Regis Thraciæ arrogantiam non ferendam eſſe porrò ratus mitis alioquin Imperator, adverſus perduellem arma movit, Regemque cũ Byzantio ſuæ

rurſum

rursum adjecit ditioni. Nè verò caput perduellis impunitatem haberet, suffragante populo Romano regiis insignibus illum exuit, aliis mundi Principibus in providam cautionem, nè colla debitæ servitutis jugo subtraherent; pari, aut graviori pœnâ de jure plectendi. Erat perduellionis reo Patri unicus in amoribus filius, qui nè, omni noxâ immunis eadem cum genitore pœnâ involveretur, benignè illum Trajanus habuit, peramanter fovit, bonis artibus integerrimísque moribus instituendum curavit. Quid quod eò benignitatis Cæsarum clementissimus processit: ut ereptum è merito patri regnum filio reddere decreverit, Et verò sancitum hoc executioni daturus fuisset protinus, nî levitas, aut malignitas adolescentis remoram objecisset. Dum enim die quadam in subjectum augustæ domûs viridarium, animi relaxandi gratia Trajanus oculum demitteret, conspexit pubem sibi aliàs percharum nescio quos fructus avidè carpentem. Nec ægrè tulit juvenilem licentiam, in delicias horti, pro genio illius ætatis, largius effusam. Cùm verò ad augustal rediret adolescens, officium humanitatis Cæsari depositurus, sciscitatus est ex eo Trajanus, unde rediret? Reponit intrepidè projectus in audaciam pubes: se à ludo literario reverti. Hoc responsum à veritate alienum indignè ferens Cæsar, spe imperii illico eum dejecit, inquiens, ***non decet Romam veritatis matrem filium habere mendacem.*** Atque ita Bizantii habenas alteri concessit, quem veritatis studium regno idoneum fecit.

CAUSA. Existimabat enim Regum sapientissimus, hominem è mendaciis, fraudibúsque compositum, neutiquam dignum esse, cui cardines reipublicæ committantur. Si quippe orationis fallacia nullum non hominem dedecorat, quantò magis Principi est opprobrio, in cujus animo nunquam non regnare debet veracitas, fidelitásque. Unde sibi, ac majestati suæ Princeps non abolendam sæculis inurit infamiæ notam, cujus verba tantùm distant à verò, quantùm cygnus à corvo. Et verò si populus, totúsque reipublicæ status, verbo Principis ceu oraculo innititur, & ab ejus ore pendet subditus, morem gerens in omnibus, quæ legibus non adversantur: ecquam ei fidem habebit, quem à veritate noverit alienum? Quid abs Rege ad fucum faciendum a[illegible]tissimo aliud præsto-

lari gentes valeant, quàm plurima sibi detrimenta, bonóque publico irroganda? An non ejusmodi à veritate sejunctus Princeps æquitatem multis jactabit injuriis; honestatem in nefas detorquebit, pollicita pro arbitrio retractabit, sancita revocabit, donata rursum extorquebit, & nè alia brevitatis memor referam, pulcherrimam regni faciem fœdissimum chaos commutabit. Est enimverò, ac comprimis in terrarum moderatoribus non unius vitii origo, ac fundamentum opposita veritati oratio, nullamque injuriæ speciem est reperire, cui mendacium non sit admixtum. Nulli tamen ejusmodi mendaciorum fabri, licèt scepto in vicem martelli utantur, pejorem excudunt fabam, quàm sibimet ipsis, ut non uno liquidè probari posset argumento.

CONTRARIUM. E diametro verò fecundissimis rebus affluunt Principes, omniáque eis virgulâ divinâ eveniunt, & cadunt è sententia, quorum sermo nunquam deviat à veritate. Quod enim vulnus à fortuna timendum habeant, qui infestioribus ejus telis, velut tutissimum opponunt scutum veritatem? Hæc enim de omnibus adversariis palmam refert, triumphósque agit immortales. Nulli subjacet infelicitati Princeps, quem veritas, fidésque semper assistens lateri tutatur. Rarius circumvenit populus vafris artibus Principem, nisi antè illius fallacia circumventus. Etenim si verba ejus menti congruant, & opera non dissentiant à verbis, nemo non fascibus regendis dignum reputat, omnes honore debito, observantiáque illum sequuntur, & ut omittam alia, partes ejus pro virili tuentur. Illum sanè ferunt in oculis Principem fideles subditi, toti ex illius arbitrio pendent omnique ejus dicto sunt audientes, quem usu quotidiano noverint spectatæ probatæque esse fidei, & cujus dictis non sunt aut Apollinis oracula, aut folia Sybyllæ veriora Quid enim vetat voluntatem subditi ad Principis aggregari, si Rhadamanti polleat judicio, suumque cuique ex æquo partiatur, promissis, conventísque stet fideliter, bonoque Reipublicæ vitam consecret, omniumque, ac singulorum studeat utilitati? An non hæc, & id genus alia speret emolumenta populus à Principe veritati ex asse dicato consecrato? Et hujus imperium non revereatur, hujus jussa detrectet, atque obsecun-

dare renuat in iis; quæ justo legis ordine à veraci Regnatore præcipiuntur? Neminem profecto ita è ratione aversum existimem, atque à consilio, mentéque deductum. Nullus non amat Principem amantem veritatis. At ex adverso omnia videmus evenire alia cum Regni moderatore, veritati, fideíque adversante.

SIMILE. Quemadmodum enim qui nummos arrodunt, concidúntque aureos; vel improbam, & adulterinam percutiunt monetam, gentibus sunt perosi, & à republica exterminati, gravibus pœnis subjiciunt; haud secus Principes veritatem astu, falsóque corrumpentes populis sunt in odio, meritò declinantur, tandémque è solii majestate circa injuriam exturbantur. Et veluti improbatæ ejusmodi, ac iniqui ponderis monetæ, ab una manu transeunt ad aliam, plurimisque non sinè rei familiaris jactura imponunt; ita Principis vita præstigijs, commentísque plena pervenit ad imitationem subditorum, & grandi persæpe tum rempublicam, tum privatos homines afficit detrimento. Quare nè hæc insanabilis plaga bono communi, privatóque infligatur nunquam desciscant Principes à veritate, validissimo regnantium fulcimento. Non sit Princeps factum deforis affabre horologium, quod aliud sonat, aliud signat, ne in subditorum cadat detestationem, qui Principem à veritate alienum odio capitali insectantur. Non sit paries albo duntaxat tectorio veri illitus, intrinsecus verò falsi carie vitiatus; quem populus facile agat in ruinam, nullâ arte sarciendam. Ne rector populorum artem agat histrionicam, & personatus larvam assumat comicam, ut non funestam videat castrophem suæ felicitatis. Nolit Princeps volantem per sublime gloriæ suæ aquilam; in olorem svaviter licèt cantantem, sed incantantem transformare: nolit cum cygnis foris candore certare intus acerrimum eorum colorem vincere, nè exosus subditis, post immane fatum ad corvorum pabula ablegetur. Nullus orbis Monarcha bellum indicens veritati, provectam agit in solio ætatem. Veritas cubo, sed quadrato lapidi solide innititur: variæ, ac commutabili se credit sphæræ: qui suam in commentis, & vafritie ponit, locátque felicitatem.

EXEMPLA. In hoc labili, vacillantéque rerum statu, nè

aliquando versatetur sanguinis altissimi surculus, Basilii Imperatoris filius, inter alia regendi lemmata, hanc ad illam aliquando genitor parænesim habuit, quam ex rerum gestarum scriptoribus ad verbum damus. Maximi pendito, & veracem te esse in sermone, & veraces homines in familiaritatem admittere: ità enim firmus, & constans in omnibus factis, & dictis æstimaberis, & veram, ac non suspectam tuorum erga te benevolentiam retinebis. Si autem in vanitatis, ac mendacitatis suspicionem veneris, indigna facere Imperatoria majestate convinceris, efficiésque, ut semper formidenda subditi, rerúmque omnium incerti, & titubantes vacillent. Quantum enim veritatis oratio amabilem hominem reddit, tantùm mendacii deprehensum, aut etiam suspecta odiosum, qui ea utitur, facit. (a) Hæc ad natum suum Basilius Imperat. At quà ratione rerum potiens veritatem in omnibus sectari potest? Hanc quæstionem dissolvit Ptolomæus, super hoc ipso negotio ab Ægyptiorum Rege olim quæsitus, ità inquiens: si primum statueris, magnum dedecus esse hominibus mentiri, multò magis verò Regibus, qui cùm habent potestatem agendi, quæ velint, cur mentiantur non habent. (b) Unde Græcorum Imperatores in solemni ad hanc dignitatem inauguratione jure jurandi religione se obstringebant remota fallacia dicturos se veritatem. (c) Princeps quippe debet non tantùm veritatis esse assecla, sed & tutor, & patronus. Nec decet Principem à vero unquam abesse nisi sibi ipsi deesse velit. Rectè proinde unus aliquis palatinorum Aspar nomine, Leonem Imperatorem, quod promissis non stetisset, veste prehensa objurgavit in hæc verba: nefas est, purpura amictum mentiri. (d) Hanc labem nè maximo nomini suo aspergeret Alphonsus Rex Aragonum, veritatis semper erat studiosus, illúmque duntaxat probabat Principem, cujus simplex verbum tantum ad fidem valeret, quantum privatorum hominum jusjurandum. (e)

TESTIMONIA. Hanc fidem ab omnibus mendacio- rum

(a) *Joann. Curopalat. ad ann.* 886. (b) *Xenophon. lib.* 2. (c) *Plut.* (d) *Sigon. lib.* 14. *Imp. Occid.* (e) *Panormit. lib.* 1. *de gestis Alphonsi.*

rum præstigiis, ac falsitatis fuco longè alienam, suadet Musa Italiæ Silius, ità canens:

Ne rumpite fœdera pacis:
Nec regnis præferte fidem. (f)

At gravior Poeta Stagyrites author est Principibus *nè pejerent timentes & divinam ultionem, & humanam infamiam.* [g] *Nec ulla res vehementiùs rempublicam continet, quàm fides.* [h] *Perfidiosum* quippe *& nefarium est, fidem frangere, quæ continet vitam.* [i] Nam, ut Philosophus asserit: *infirmatis, violatisque pactis, tollitur inter homines commerciorum usus.* [k] Unde *fides sanctissimum est humani pectoris bonum, quæ nulla necessitate ad fallendum cogitur nullo corrumpitur præmio* Sen. [l] Et alio in loco inquit idem Romanus Sapiens: *malo mihi successum deesse, quàm fidem. Etiam hosti est æquus, qui habet in consilio fidem. Fidē qui perdit, nil potest ultra perdere. Fides unanima unde abiit, nunquā redit. Fidem nemo unquam perdit, nisi qui non habet. Viri boni est etiam non pollicitam fidem servare. Maximum majoribus nostris telum fidem fuisse, constat, ex qua plures pace susceptæ, quàm bello gentes fuerunt devictæ. Nocens fit, ubi succumbit fides sive veritas. Quā virtutem si assequi vis Princeps, da operam ut concordet sermo cùm vita. Turpe enim aliud loqui aliud sentire.* Hæc Seneca. [m] Unde Romani eloquii pater ita ex se scitatur: *ego veritatem contaminarem aliquo mendacio?* & reponit sibi: [n] *non faciam. Hæc sit propositi nostri summa, quod sentimus, loquamur, quod loquimur sentiamus. Simus veritatis cultores, fraudis inimici.*

EPILOGUS. Et adhuc amplecti veritatem, eámque fovere ambigent rerum potientes? An non Princeps votis omnibus avent regnum suum constituere in quodam gradu brevitatis? Et quid eo Principe, ejúsque ditione beatius, qui fruitur inconcussa, incommutabili, & excellentissima veritate? Quæ enim adversus eum vafra sycophantarum consurgent ingenia, quis insidiis vitam ejus appetet, falsóve circumveniet, pro quo ipsa facit veritas, armísque omnibus potentior fortissimè depugnat? Tantis enimverò pollet

Hh 5 vi-

(f) *lib.* 2. (g) *in Ethicis.* (h) *Cic. lib.* 3. *de offic.* [i] *pro Rosc.* [k] *l.* 1. *Rhet.* (l) *epist.* 8. (m) *in epistolis.* (n) *lib. de amicit.*

viribus, ac facultate germana veritas, ut nullis hostium machinis, nulláque arte unquam potuerit, aut possit agi in ruinam. Et quamquàm forte patrocinantem non habeat manum, nulliúsque ejus defensionem suscipiat: ipsa per se ipsam vindex est suæ libertatis, omnémque injuriam à capite, fortunísque suis naviter propulsat. Ex adverso verò qui Græca fide est præditus, & fallacibus commentis subdito imponit Princeps, nunquam partes suas pro virili tutabitur, nunquam famæ suæ, ut par est, consulet, omnium futurus deridiculum, mundíque cavillus, ac peripsema. Quis enim malitiam in Principe rectæ rationi repugnantem, quis abusum sermonis, artésque veteratorias non tam ignominia appetat, quàm cane pejus, & angue detestetur? Quare orbis Monarchæ veritatis studium primis in curis habeant oportet, & qui supremi Numinis in terris vices agunt, veritatis quoque primas gloriam satagant æmulari. Nè verò unquam memoriam deponant præcellentissimæ hujus virtutis, sapphirum veritatis symbolum, ad vellus Phryxeum è collo pendulum adnectant qui identidē eos commonefaciat, veritatē esse jugiter amplectendam, mendacium verò plusquàm novercali odio persequendum.

CHRIA XV.

Aurelianus Cæsar ab urbe Tiana exclusus, edixit; canem in hoc oppido non relinquam. Eâ expugnatâ, ad furentem militem cōnversus, præcepit; agite, canes omnes occidite: cives verò summâ clementia in fidem recepit. *Flavius Vopiscus in Aurel.*

EXORDIUM. Nullus Principum stabilē figit in throno pedem, cujus latera non ambiunt regiæ virtutes sociæ rerum agendarum, boníque publici administræ. Ac primum quidem sibi locum vendicant ad tribunal Principis virtutes cardinales, in quibus tota reipublicæ moles velut in cardine versatur. Proxima Regnanti adstat Prudentia, propria virtus Principum, qua consulit rebus Imperii, omniaque in agendo cauta circumspicit, ac providet singulis regni membris, ac universis. Huic succedit Justitia suum cuique tribuens, authorque est Principi, nè jugum stateràmque in momentis causæ unquam

unquam transcendat. Hanc excipit magnanima suscipiendis rebus in arduis Fortitudo, quæ non tam injurias solio, quàm populo inferendas strenuè propulsat. Nec deest unquam verò Monarchæ pulchra in moderandis cupiditatibus Temperantia, quæ in rebus aut fugiendis, aut expetendis dirigit ad amussim Principē, quò jugiter ductum rationis sequatur. Sed quamquàm pernecessariæ sint hæ virtutes moderatori regnorum, habent tamen quidpiam etiam commune cum aliis, quibus munia è merito conveniunt palatina. Verùm enim verò Clementia, ac benignitas in subditos præprimis eos decet quibus fasces Imperii legitimo jure sunt commissi. Aliæ virtutes velut minora sidera in thólo Principis elucent, at Clementia ejus, Solis instar radios suos per universum regni clima dispergit. Et hanc domesticam sibi fecit nullo satis efferendus præconio Aurelianus Cæsar, ut ex facto, dictóque tanti Principis affatim liquebit.

PARAPHR. Postquàm dictus Imperator, longè omnes belli gloria, & virtute superans, victoriosas lauros undequaque circumtulisset, ac totum penè orbem terrarum nominis sui fama implevisset: fortè fortuna haud ignobilē urbē, cui Tiana nomen, cum militaribus suis copiis accessit, non ambigens fortitudini suæ illico cessuram, portâsq; ejus patulas cōtinuò futuras. At indigenæ frequenti populo, ac viribus armorum freti objectis vectibus, ac repagulis, omnē aditū tanto Principi præstruxerunt, pro aris, & focis defensionem strennā suscepturi. Quid ad hæc potentissimus orbis Monarcha & militaris rei admodùm peritus Imperator? Primùm civium pervicaciam admirari, tum in voces plenas irarum (quas parbenignum Principem affinxisse crediderim) erumpere, dicerèq; canem in hoc oppido non relinquam. Hac voce milites in martiales flammas accendi, furorem, vultu, totóq; spirare, ac belli classicū ardentibus vo[...] præstolari. Nec moratus est Princeps inflammata eorum bellandum studia, sed continuò arietes, & catapultas mœnibus admoveri jussit, omnemque machinam, bellíque apparatum expediri ad urbem expugnandam, suæque potestatis faciendam. Et verò non magna temporis interjectà capedine, eam suæ ditioni Imperator adjecit. Hic verò milites spe prædę ducti, flagitare oppidi direptionem, in minerval laboris fortiter exantlati

lati.. Quid hic reposuisse autumatis AA. Mitissimum Cæsarem Aurelianum? Agite, inquit, canem me ajebam non relicturum: canes omnes occidite. Atque ità pollicitationi suæ satis esse factum ratus, cives benignissimè accepit, sacramento fidei jam sibi authoratos. O singularem Cæsaris clementiam, fastis omnium sæculorum inserendam?

CAUSA. Sed quamobrem plùs æquo indulgens fuit in pervicacem populum, tantæ Cæsaris potentiæ ausû temerario resistentem? Non fugit enimverò in togatæ, sagatæq; Palladis gremio à primis incunabilis enutritum Principem, benignitate magis quàm immanitate refractarios conciliari neque animos duriores, aut imbecilliores meliùs, efficaciúsque tractari, quàm mansuetudinis pharmaco, molliqué popysmate ad officium revocari. Neque ullum præsentius est medium, amicos juxtà, atque inimicos sibi reddere faventes, mititate. Hæc si domestica sit Principi, subditis est amori. Citiùs benignitate homines ad rectè agendum, quàm asperitate impelluntur. Cæsar clementiæ deditus regnum sibi facit perenne; jugi potitur tranquillitate, invictus redditur adversus hostium furias, alióśque in præmium mansuetudinis aufert Principatus. Tantum quippe est hujus virtutis robur, ut sola omnium sermonibus celebretur, à nemine non diligatur, omnibúsque aliis Regnantium virtutibus præferatur. Et quis non majoris faciat eum Principem, in quo non tam Domini suspicit Majestatem, quàm Patris benignitatem?

CONTRARIUM. Quis verò ex adverso non illum odio, ac maledictis incessat rerum potientem, quem jugis stimulus dissensionis exagitat, ira nunquam non perturbat, sævitia identidem exasperat, ac ignis crudelior semper inflammat? Nihil sanè est fædius, atque detestabilius Principe in furores præcipiti, ad immanitatem. Quis suam in eum conferat benevolentiam, qui cùm in omnes comis esse deberet, ac facilis, vultu torvum tuente, fronte corrugata, effrenatis superciliis, trementibus labiis, facie pallorem inter, ac ruborem variata, horrendùm fulminat, implétque terroribus universa? Hæc profectò in Principe animi impotentia non continet subditum inter honestatis limites, sed ad omne vitiorum genus invitat: quin contumaces reddit populos, factio-

factiosos, rerúmque novarum molitores. Nunquam grandiores annos Princeps attigit præceps in furorem. Nec diu sedet diadema in capite regnantis, quod ira semper commovet, nullam animo, corporíque favens quietem. Nec merentur d u amiciri corpus Principis perfusa ostro trabea, quæ populorum sanguine erubescit. At seditiosa populi consilia, tumultúsque sunt comprimendi? Id equidem è re sua, bonoque publico Princeps agit, sed sciat velim, nunquam furorem alio demulceri posse. Asperè, furioséque imperare est regnum pessumdare. Mollibus potius, quàm duris sermonibus compungitur animus delinquentis. Hac virtute cassus Princeps ab hominis, Regísque desciscit conditione, se, & populos in haud dubiam agens ruinam. Unde nihil ei utilius, nihílque subditis evenire potest salubrius, quàm si Princeps sub pedibus habeat iras, & furores, immitémque genium proterat, altior omni animorum tempestate.

SIMILE. Olympi celsitudinem transcendat virtute clementiæ providus terrarum Monarcha. Quemadmodum enim hic præcelsus Thessaliæ mons vertice suæ cælum tangit, & tumultuantia inter nubes tonitrua, insana ventorum prælia, nimborum, grandinúmque furias omnémque aëris intemperiem tranquillus intuetur: pari ratione sublimis animus Principis, ignobilia vùlgi bella, tonantes populi iras, fulgurantes plebis seditiones, omnésque civium turbas, & motus, in placidiore sua degens statione despicit, irridétque. Novit enimverò Principi in altissimam sortem evecto minimè congruere, furiis agitari, iracundia flagrare, immaniter desævire: cùm vel ipsis mortalibus ad ultimam conditionem ab iniquiore fortuna damnatis nefas sit in ejusmodi noxios affectus asperari. At non duntaxat imperturbatam montis Olympi serenitatem virtute clementiæ summa orbis capita æmulentur, sed altiùs se se efferant cum regina volucrum aquila, universam avium rempublicam excedente. Nam veluti aquila in altum sublimata, trochili gerras, aliarúmque garritus volucrum minimè pensi habet, neque idcirco in iras excandescit: ità sanè altissimus Principum genius

om-

omnes injuriantis populi ineptias infra se ducit, nullásque sumit vindicias à maledicentia, plebísque obtrectatione. Atque indè victoriosâ lauro circumdat tempora, cujus virtute non tam à se omnem propulsat injuriam, quàm ab illa edocetur fulmina irarum à se amoliri, quibus alioquin detonaret in capita subditorum. Nunquam etenim vera Principis clementia sanguine gaudet gentium, ruiná que populorum.

EXEMPLA. Et hac virtute olim spectatissimum se mundo reddidit ipsius ille, de quo in principio hujus dissertationis, Aurelianus Imper. ratus fulminum terrores minimè orbis Principi convenire. Fortè ei jam ad summum Imperatoriæ dignitatis fastigium evecto, obvius sese tulit homo perinfensus, nescio quo crimine obnoxius Aureliano. Hic viso Cæsare, quem evitare non dabatur, concuti pavore, omnibus membris contremiscere, ac ultima quæque formidare. At Cæsar placido vultu ad hominem timore perculsum conversus, [illegible] illud verbum edicere: evasisti. (a) Quo laconismo, ut ego quidem existimo, haud obscurè voluit indicare, non decere summa orbis capita vindictam de hostibus capere, quæ hominibus in viliore fortuna constitutis, est dehonestamento. Nec ab hac virtute, pro Romanæ gentis gloria, descivit Antoninus cognomento Pius, qui clementis animi dogmata sibi identidem dictabat, ac fideliter observabat, Ex hujus virtutis præscripto monetam conflari jussit, affabreque excudi, in qua fulmen molli thoro impositum cernebatur, quò mundo palam fieret, nihil æquè vires frangere iræ, ac furoris, quàm lenissimam mititatem. (b) At soláne Roma mundi domina clementis animi Principes effudit orbi? Haud quaquam. Nam & fæcunda magnorum virorum Græcia deditos huic virtuti Reges suspexit, manopereque adamavit. Unum è multis Periclem in medium producamus. Hic clementissimus Principum jam jam de vitæ, regníque statione decessurus, coronantes fatalem lectulum Summates, aliósque præsentes habuit familiares, qui ipsius in patriam merita, ac reportatos

(a) *Fulgos. l. 6.* (b) *Capitolin. in Antonin.*

tos de subjugatis hostibus triumphos condignis laudibus celebrabant. Quid ad haec jam debitum naturæ soluturus Pericles? Voce emortuali, eáque jam tenui, & pusilla mirari se edixit: quod illa duntaxat commemorent, quorum partem sibi fortuna vendicaret, prætereant verò excellentissimum, quod ex universis Athenarum civibus, quibus suprema potestate præerat, nullus illius causa pullam vestem assumpsisset. (c) Sed nec Alemannia mitis animi Principes unquam passa desiderari. Testem hujus veritatis habeo Ottonem M. Imperatorem, innumeros alios silentio præteream, in cujus perniciem tota propè qua patet Europa conspiravit. Horum partes secutus fuit ipse etiam Henricus frater ejus, arma identidem adversus Ottonem movens, pomi imperialis nunquam non corrivalis. Sed cum plurimis tandem prælijs devictus fuisset, & comitantibus non paucis Præsulibus, in genua decresceret, veniámque malè actorum suppliciter peteret, hoc responsum ab Ottone accepit: Equidem venia dignus non es: attamen non quod tua merentur facta, sed quod fratrem, & Regem deceat spectabo. Quo dicto summâ benevolentiæ significatione Henricum complexus est, ac primùm Lotharingæ præfecit, tum Ducem Bojorum constituit, omni memoria injuriarum penitùs oblitterata. [d] Missos hic facio Alphonsos Aragoniæ, Ludovicos Franciæ, Leopoldos Austriæ, ac infinitos propè alios orbis Christiani Principes, quorum clementiam historiographi fusius dilaudatam posteris exhibent legendam.

TESTIMONIA. Non ignorasse crediderim hos summos terræ moderatores illud Romani sapientis ità de hac virtute disserentis: *Clementia omnibus hominibus secundùm naturam, maximè tamen decora Imperantibus.* [e] Unde *nihil est, quod Imperatorem melius gentibus commendet, quàm clementia*; ajebat M. Antonin. Imp. [f] Et *nulla re homines propiùs ad Deos accedunt, quàm salutem dando* Cic. [g] *Quid quod non tantùm honestiores, sed tutiores præstat.* (h) *Hac ars inaccessa, hec inexpugnabile munimen.*

(c) *Plut. in Apoph.* [d] *Crantzius lib. 9, c. 3.* [e] *lib. 1. de clem.* [f] *in ult.* (g) *pro Ligar.*

mentum. Plin. (i) *Hæc ornamentum Imperiorum est, & simul certissima salus.* Sen. (k) *illius enim magnitudo stabilis est, quem omnes tam supra se, quam pro se sciunt.* (l) *Ipsamque natura clementiam Regibus monstrat. Ecce? iracundissimæ, ac pro corporis captu pugnacissimæ sunt apes, & aculeos in vulnere relinquunt. Rex ipse sine aculeo est. Noluit illum natura nec sævum esse, nec ultionem magno constaturam petere telúmque detraxit; & iram ejus inermem reliquit. Exemplar. hoc magnis Regibus ingens est.* (m) *Hæc clementia in quamcunque domum pervenerit, eam felicem tranquillamq; præstabit. Sed in Regia, quò rarior, eò mirabilior.* Ita Sen. (n)

Hæc docet, ut pœnis hominum, vel sanguine pasci.
Turpe, ferúmque putes: ut ferrum Marte cruentum.
Sic cum pace premas, ut non infensus alendis
Materiem præstes odiis, ut fontibus ultrò
Ignovisse velis, deponas ociùs iram.
Quum moveas, precibus nunquam implacabilis obstes.

Claud. (o) *Tunc enim præcipua laus mansuetudinis est* teste Plinio, *cùm iræ justissimæ.* (p) His omnibus subscribit Val. Max. ità de clementia differens: *hæc efferata barbarorum ingenia penetrat, truces hostium mollit oculos, ac victorum insolentissimos spiritus flectit. Nec illi arduum, atque difficile est, inter arma contraria, inter districtos cominùs mucrones placidum iter reperire. Vincit iram, prosternit odium, hostilemque sanguinem hostilibus lacrymis miscet.*

EPILOGUS Atque indè sciant Principes, qui tutam avent regni possessionem, vitamque cupiunt ad multam producere senectam, è legibus clementiæ agendum esse, atque alieno sanguini tanquam suo parcere, subjectoque sibi populo non prodigè, immanitérque abuti. Optimum alios regendi instrumentum est mititas morum in Principe, quæ nulli non subditorum venerationi est, ac amori. Hæc virtus summos æquè, ac infimos in benevolentiæ, observantiæque studium pellicit, itáque universorum tenet animos, ut eos quocunque demum libuerit, ac licuerit, citra imperii acer-

(h) *lib.* 1. *de clem.* (i) *in paneg.* (k) *lib.* 1. *de clem. c.* 11. (l) *ibidem c.* 3. (m) *ibid. c.* 19. (n) *lib.* 1. *de clem.* (o) *lib.* 1. *Stilic.* (p) *in paneg.*

acerbitatem facilè impellere queat. Princeps mansuetudini deditus, gratus, & amabilis est videntibus, gratus item & gentibus, quibus solo duntaxat nomine innotescit. Nec facilè ullum repereris mortalium, intra humanitatis limites consistentem, qui non prolixam advoveat ætatem Regnanti, benignitatis legibus ex asse dicati. Quod si tamen intemerati juris æquitas rigorem pœnarum flagitat, cum severitate disciplinæ, paternæ lenitatis, & mansuetudinis levamen supremi juris subditis impendant. Regat disciplinæ rigor mansuetudinem, & mansuetudo dirigat rigorem: & sic alterum commendetur ab altero, ut nec rigor sit rigidus, nec mansuetudo dissoluta.

CHRIA XVI.

Georgius Castriottus, seu Scanderbegus, M. sæpius de Ottomannis victor, illud usurpabat: Christianum nomen tuebor. *Barletius in vita.*

EXORDIUM. QUàm illustris olim bellator, manuque strenuus esset futurus, jam toto pervulgatus orbe Georgius Castriottus, qui Scanderbegi, seu Alexandri M. nomen à præclaris facinoribus non uno nomine promeritus est, vel ante incunabula cælã portendit, ac haud dubiè præmonstravit. Nam matri per quietem ab alto fuit oblata species, qua nascituri propediem filii gloriam non obscurè valuit prævidere. At quæ tandem imago à diviniore Morpheo genitrici in somnis est proposita? Plena sanè stupore, miráque dictu, & auditu. Videbatur quippe sibi videre immensæ magnitudinis serpentem, qui totam, quà latè patet, operiebat Epirum, adversus Ottomanicas vires eam protecturus. Quid porrò citra delusionem nocturni phantasmatis matri est repræsentatum? Visus est ei immanis hic coluber in ditiones regni Mu-

selmannici caput protendere, cruentisque suis faucibus, gentem illam crudelitate barbaram identidem absorbere. Nec syrma longè latéque protensum suo defuit officio, quod Veneti dominatûs terminos, aliáque Christianorum regna adversus rabiem Turcarum fortissimè propugnavit. Atque ideo non vanâ delusam fuisse imagine genitricem Scanderbegi, factis, dictóque illius nonnihil enucleandis liquidè patebit.

PARAPHRAS. Maxima illa Christianorum gloria Georgius Castriottus, nunquam non terror exstitit Ottomannorum, sempérque de illis victrices palmas retulit, jugis de hac effera gente triumphator. An non citra commentem dixerim, verum fuisse Herculem, qui perniciosam Mahometarum Hydram plùs quàm septenis capitibus tumentum vicit, prostravit, debellavit? An à veritatis calle deflexerim, si fulmen belli nominarim, quod superba Lunæ cornua ferreâ virtute sæpenumerò hebetavit? Quis inficias iverit validissimum fuisse portæ Ottomannicæ malleum, qui oppilata, intersepta Ambracidûm ostia sæpius perfregit; & invasit? Nolim hîc referre innumeras ejus victorias nullâ Tullii facundiâ explicandas, nullâ Hortensii distributione affatim recensendas. Illud de tali tantóque belli Imperatore citra fucum, & assentationem dixisse suffecerit: nondum illum hostes viderunt, & fugerunt: vix nomen audiverunt, & trepidârunt. Hic inquam virorum fortissimus, Heroum maximus, post tot erecta de prostratis hostibus trophæa, hoc Christiano, & martiali dignum pectore protulit effatum: Christianum nomen tuebor. O dictum ineffabile, non tam fusis ex auro tabulis, quàm Principum Christianorum cordibus celte insulpendum! At quid per hanc dignissimam posterorum memoria gnomam indicare voluit Scanderbegus? Non equidem illam paraphrasi egere censeam, cum omnibus æquè promptum sit sensum ejus perlegere, luce meridianâ clariorem. Nè tamen quispiam vel perbrevem hujus dicti elucidationem desiderare videatur: ajo Castriottum universo orbi manifestum facere voluisse, se apparatâ semper armorum panoplia, propriique sanguinis impendio Christianum nomen tuiturum, & in omnia capitis fortunarũque

que discrimina, pro bono, augmentóque Fidei Orthodoxæ ruiturum.

CAUSA. Nec unquam factis defuit heros inclytus, collatis identidem signis adeò strenuè depugnans; ut nunquam non victor gloriosus steterit in arena Martis. At fortè nonnemo ex me sciscitabitur, ecqua tandem ponderosa ratio ad fundendos, fugandósque tot multiplicatis vicibus hostes Scanderbegi animum inclinarit? Non aliam sanè existimem, quam ut orbi esset in propatulo, pulchrum esse Christiani nominis causa arma capessere, ac bellum frequens suscipere, próque illo gloriosam mortem oppetere, qui salutis nostræ ergó vitam posuit, & pro illius honore sanguinem fundere, qui suum adeò liberaliter pro humano genere ad diluendas animorum noxas effudit. Nec solùm amore Servatoris in discrimen vitæ crebriùs se objecit; sed ut res Christiana majora indies caperet incrementa, ejúsque labaris plures, ac plures, authorarentur, atque toto orbe Fides Orthodoxa staret inconcussa. Et has potissimùm rationes fuisse existimem, cur totam penè castris addixerit ætatem. Et verò bonorum omnium largitor DEUS, ab humana beneficentia non vinci ferens, redimivit in mercedem non una victoriæ lauro caput Scanderbegi, quod ultima quæque pro supremi Numinis gloria voluit experiri.

CONTRARIUM. In hunc meritorum censum nullatenus possunt venire Principes, ac belli Duces, qui immemores boni publici, reique Christianæ, inter pulvinos mollis otii segnescunt, domique suæ torpescunt inglorii Endymiones. Nunquam ejusmodi ignaviæ tabe infecti Principes salutem reipublicæ procurabunt, nunquam Imperii basim stabilient, nunquam viribus armorum præstabunt, neque opibus affluent, aut splendore gloriosi nominis inclarescent, nî se, ac sua pro tutela Fidei Orthodoxæ dicent, consecréntque. Columen quippe, ac solida regnorum basis est tuitio nominis Christiani. Hoc nî armis protegat belli Imperator, aut quicunque demum ad regni clavum sedet pro virili tueatur, vímque omnem, ac injuriam ab illo propulset, nec non semper famæ, ejusque integritati consulat: rerum suarum jacturam patietur, notámque sibi infamiæ asperget

nullâ ætate abolendam. Non ita copiæ militares, non aggestæ in gazophilaciis opes, aliáque regnorum præsidia firmum reddunt Principis statum, ùt tutamen, & vindiciæ Christianæ libertatis. Pro cujus partibus stantes in campo martio Principes, victrices lauros, ac palmas metunt, salutem adferunt suis ditionibus, regni fines dilatant, & nè alia referam in sinu felicitatis conquiescunt. Nec facilè quisquam Principum funestum videt ævi sui terminum, aut quavis aliâ fortunæ iniquitate jactatur acerrimus Fidei Christianæ assertor, & propugnator.

SIMILE. Quemadmodum enim Arcturus stellæ polari proximus, nocturna per gyrum suum spatia definiens, non patitur unquam occasum: ità sanè Princeps, aut belli Imperator, cardini non tam cæli, quàm immobili Servatoris vertici jugiter adhærens, nunquam vergit ad interitum, nunquam ad defectum proprii status inclinatur. Et quamquàm perpetienda forent adversa quædam, rèsque essent graves, ac tùrbidæ nonnunquam superandæ; omnia tamen magnanimo ausu evincit, gyrúmque laborum perficiens, ad occasum, impellente licèt graviori sorte, non festinat. Verum nè oculi vestri in sublime Arctophylacis sidus conversi nervo suo destituantur, aliam ab rupe parabolam, in medio oceani situata, desumere lubet. Hanc si nunquam oculo corporis intueri licuit, saltèm oculo mentis obite. Objicite, inquam, animo rupem in medio maris immobilem, quam neque intumescentes nimbi superare, neque debacchantes undarum furiæ prosternere, nec ventorum rabies loco movere, nec ulla vis tempestatum valeat edomare. An non hæc rupes imago est, & typus Ecclesiæ, quam nulli hostes immanitate debellare; nulla pravitas corrumpere, nulla tyrannis evincere, nulla barbarorum multitudo obruere potest. Hæc enimverò cùm impugnatur, vincit, cùm appetitur insidiis, superat, nunquam non de omni hoste gloriosa victrix, ac laureata triumphatrix. Et in hac firmissima rupe consistens Princeps, vel Ductor armorum exsurgentes adversarios reformidet? Ità nempe sacrosanctæ Religionis strenua, acrísque propugnatio semper hosti pennas, ac nervos incidit, & haud dubium de subjugatis æmulis triumphum reportat.

EXEM-

EXEMPLA. Hanc veritatem clara in luce perſpexerunt olim Principes licèt gentilitatis tenebris circumfuſi, & inanium Deorum cultores. Pulcherrimum hujus rei documentum exhibuit Philippus Macedo, cui quamvis exiles eſſent armorum vires, ſuæ tamen religionis defenſione, ad ſummam regni potentiam,famámque nominis immortalem eſt eluctatus.Forſan populi Phocenſes in Græcia, quibus cultus Apollinis Delphici ex officio incumbebat, cùm finitimis gentibus crebrò pugnam committebant. Nè verò peculio, quod bellorum eſt nervus, deſtituti, palmam hoſtibus cedere cogerentur,gazophylacium ejus delubri famâ celebre mutui nomine acceperunt; aut ut ſatius, veróque conformius loquar, expilarunt. Hujus rei fama cùm ad Græciæ Reges, aliósque orbis monarchas permanaſſet, omnes facti indignitate perculſi odium, atque execrationem Phocenſium conceperunt. Ac cùm bellum eis indicere alii Principes formidarent, ſolus Macedo animos generoſiores ſumens, non iræ, ſed vindiciarum ſtimulis adactus, bellum Phocenſibus denuntiavit. Nec illud detrectant hæ gentes, ſed copias militares, ſemper in prælium, ac demicationem promptas ſiſtunt in campo martio, belli aleam tentaturi. Quid quod Philippum deridiculo habuêre, cujus centuriatum militem, viribus ſuis longè inferiorem non ignorabant. At riſêre Principem brevì ab eo deridendi. Plùs quippe aſtus perſæpe valent, quam numerus innumerus bellatorum. Et verò technæ martialis adminiculo victrix laurea Phocenſibus eſt erepta. Nam providus Macedo antè quam in belli palæſtram adiret, capita ſuarum cohortûm frontibus Apollineis juſſit redimiri, eóque Deo auſpice, atque Duce, ſacrum tanto numini exercitum armis contendere, pugnámque felicem inchoare. Dum verò res ad manum venit, vident ex improviſo Phocenſes inſignita lauro capita Macedonum. His conſpectis primum metu penè exanimari, tum in pedibus ſalutem quærere tandem pœnas multo ſanguine dare, violatique Apollinis delubri crimen expiare. Atque ità fuſis, fugatiſque hoſtibus regni fines ampliare Philippus, rem familiarem augere, ac validiores efficere ſuas ditiones.

[a] Tanti refert pro aris capessere arma, ac defensionem pro religionis cultu suscipere. Hinc vires bellantibus accrescunt.

TESTIMONIA. Rectè proinde, ut testimoniis utamur veterum, scripsit Livius, *omnia prospera eveniunt colentibus Deos, adversa spernentibus.* (b) Siquidem *DEUS*. *qualis quisque sit, quid agat, quid in se amittat, qua mente, quâ pietate colat Religionem, intuetur, piorúmque & impiorum habet rationem.* Cic. (c). *Manet* enim *spectator desuper cunctorum DEUS, visionique ejus præsens semper æternitas, cum nostrorum actuum futura qualitate concurrit, bonis præmia, malis supplicia dispensans. Nec frustrà sunt in DEO positæ spes, precésque quæ cùm rectæ sunt, inefficaces esse non possunt.* Boetius (d) Maximè verò *pietas Principum tutum custodit Imperium.* Cassiod. (e) *Quis* verò *tueri possit eum, qui à DEO oppugnatur?* Idem (f) *Nihil prodest muros munire propugnaculis, & DEUM provocare peccatis.* Ambrosius (g) Quare *in omni republica primum est curatio rerum divinarum.* Aristot. (h) Liceat hic quoque illam apostrophem Oratoris aurei in testimonii provinciam adducere, quâ dimicandum adversus vitia, & hostes ita adhortatur hominem Christianum. *O Christiane! delicatus es miles, si putas sine pugna te posse vincere, sine certamine triumphare. Fortiter dimica, atrociter in prælio concerta, considera pactum, conditionem attende, militiam nosce, pactum quod spopondisti, conditionem ad quam accessisti, militiam cui nomen dedisti. Hoc enim pacto, quos miraris, omnes pugnaverunt, hac conditione omnes vicerunt, hac militiâ triumphârunt.* (i)

EPILOGUS. Et hoc bello Christianum Principem addecente, de vitiis; de se, de Ottomannis gloriosam semper retulit victoriam Scanderbegus. Hunc si orbis Monarchæ avent æmulari, qui christiano nomine gloriātur, an pro Orthodoxæ Fidei conservatione arma capessere detrectabunt, vitámque ponere pro ejus incremento formidabunt? Ecquis tanta laborabit

[a] *Diodor. lib.* 16. [b] 1. *decad lib.* 5. [c] *lib.* 2. *de leg.* [d] *lib.* 5. *consol.* [e] *in epist.* [f] *in epist.* [g] *de Fide.* [h] *in polit* [i] *In homil.*

borabit ignaviâ; qui pro amplianda æterni Numinis gloria, gazas renuat expendere, militem auctorare, in arenam belli descendere, hostes Servatoris & ejus dogmatum vincere, sternere, debellare? Erítne, quem vel jactura fortunarum; vel spes emolumenti temporanei, vel metus imminentium malorum, à præclarè factis arcere valeat, aut remorari? Neminem sanè Principum existimo hanc labem nomini suo inusturum. Nec est, quod dispendium famæ, aut fortunarum metuat, qui pro incolumitate rei Christianæ manus conserit, infestáque signa adversus juratum ejus hostem movet. Si enim Ecclesia civitas DEI est, nullis machinis, nulláque arte expugnanda, quis pro muris ejus stationarius, ac strenuus propugnator sinistrum casum reformidet? Si Ecclesia immobilis est columna; quis ei insistens timore panico queat commoveri? Si demum navis est, quæ naufragium pati non valeat, quis classis Præfectus, quis epibata, pyraticas manus pertimescat? Utque finem dicendi faciam, illud sibi probè persuasum omnes habeant Christiani Principes, bellique Duces, adfuturos haud dubiè Ecclesiæ triumphanti, si non defuerint militanti.

CHRIA XVII.

Diogenes dum improbum consuetudinis inveteratæ hominẽ commonefaceret, à pravo usu vivendi desuesceret: interrogatus à quopiam, quid ageret, reposuit. Æthiopem lavo.

Laertius in Dioge.

EXORDIUM. NOn mihi hodie erunt deliciæ cum cane Melitæo, non cum odorisequis canibus feras agitare, debellaréque est animus, nec cum molossis seu pecuariis, seu villaticis tricari, rixaríque libet, sed cum homine erit mihi negotium, qui se lycifcam identidem

est professus, passímque dentes in obvios fixit. At quemnam canis nomine gavisum fuisse existimatis AA? paucis accipite. Invisit aliquando posita tantisper majestate Alexander M. jocularem illum Philosophorum Diogenem, cúmque plurimùm avere jussit. Sed haud satis urbanam referens salutem morio doctissimus, illico ex Rege percontatus est: quisnam esset? Cùm verò Macedo placidâ, lenique voce reponeret: Ego sum Alexander ille Rex, At ego, inquit Diogenes, ille canis. Attonuit hæc vox libera primùm Alexandrum, tum dicti hujus causam pernosse cupiens, familiari sermone ex lepido capite sciscitari cœpit: eccur canis sibi nomen inderet, qui hominis gloria plauderet, & quidem sapiens apud summos, imósque audiret? Ne mireris, respondit sapiens morologus, canem me velle vocitari, cùm more canis dantibus blandiar, non dantibus oblatrem, malósque etiam morsibus petam. Hoc præconium caninum aliàs quoque sibi tribuebat; illud dictitare assolens: canes quidem mordent inimicos: ego autem pro libertate mea amicos, ut incolumes servem. Et verò multos familiarium dente cynico petiit in salutem, unum si excipias, de quo in præsenti.

PARAPHRA. Nemo est, ùt mea fert opinio, vel mediocriter versatus in veterum monumentis, qui ignoret Diogenem compluribus sui ævi mortalibus non tam salutarem tradidisse doctrinam, quàm ad frugem meliorem reduxisse. Multos ille juvenum, quibus instituendis præpositus fuerat, optimis informavit moribus, & frivolis, ventosísque rebus deditos, ad virtutis studium traduxit. Hos à fæda Epicuri licentia ad castra temperantiæ revocavit: illos à turpitudine, cui corpus addixerant, ad pudicitiæ amorem pellexit: illos bacchæis liquoribus immadentes, à frequenti ingurgitatione, & vinolentia abstraxit: alios opibus corradendis diu noctúque intentos ad contemptum divitiarum induxit, vitæque suæ fecit sectatores. Nonnullos à prava vivendi consuetudine, & inolitis per lustra vitiis ad terendum virtutis tramitem induxit, authórque fuit plurimis, probos mores rebus omnibus anteferrent. Verùm in uno operam malè posuit, actúmque egit, quem ab inveterato malorum usu abstra-

here

here satagebat. Erat senex acheronticus, & in proserpinæ peculo jam numeratus, vitiisque obnoxius, quibus a prima ætate insuevit, occaluítque. Hujus obduratum in pravitatem animum emollire adnisus Diogenes, omnes ingenii vires exeruit, saluti ejus in tempore consulturus. Sed arenæ semina mandavit, littúsque aravit. Hanc operam malè collocari sagacior quispiam cùm eminùs notaret, propior fit doliari Philosopho, & ex eo percontatur: quid adeò operosè actitaret? Reponit Diogenes: Æthiopem lavo. Quo dicto ut ego quidem non vanè conjicio, innuere voluit: prius fuliginem hominis è Mauritania oriundi posse dilui; quàm capulare hoc silicernium à labe inolita vitiorum ad nitorem, candoremque virtutis revocari.

CAUSA. Nec abs re hoc sapiens dictum ab ore sapientissimi Diogenis emanavit, siquidem nihil adeò firmum rebus in humanis est reperire; quàm veteris usûs tyrannidem animis mortalium dominantem. Quis enim alteram è mente eruditorum, & quasi affabricatam valeat in quidlibet flectere naturam? Unde pravæ consuetudines quospiam capientes, usque adeò tenent irretitos, ut ab eis vix queant licèt decumano labore se expedire. Dum quippe malo usui pro virili primitus non resistitur, abit in quandam necessitatem, liberúmque hominis arbitrium suæ facit potestatis. Atque ità cùm in frequentatos actus malignitas animi devenerit, adeò immobiliter illis adhæret, ut ab eis ægerrimè se ferat segregari, malítque cum eis vitam terminare, quàm molestam sine eorum asuetudine degere ætatem. Tanti refert quasi quibusdam vinculis pravæ consuetudinis adstringi. Et quamquàm hi mores inoliti, cujuscunque demum vitii, omni annisu ab animi penetralibus arceantur: sæpe tamen, ut quotidiano docemur experimento, præ foribus sunt importuni, aditumque sibi facere moliuntur. Nec pleno impetu more hostium urbem obsidione coronantium arcem mentis adoriuntur sed pedetentim accedunt, dum aliquam facultatem sui juris faciant, sensímque sine sensu irrepant in totum hominem, operosè admodùm repellendi.

CONTRARIUM. At quamvìs arduum sit & non modici laboris hos molliores, ac lenocinantes adversarios aditu pro-

mentum. Plin. (i) Hæc *ornamentum Imperiorum est, & simul certissima salus*. Sen. (k) *illius enim magnitudo stabilis est, quem omnes tam supra se, quam pro se sciunt*. (l) *Ipsamque natura clementiam Regibus monstrat. Ecce! iracundissimæ, ac pro corporis captu pugnacissimæ sunt apes, & aculeos in vulnere relinquunt. Rex ipse sine aculeo est Noluit illum natura nec sævum esse, nec ultionem magno constaturam petere, telúmque detraxit; & iram ejus inermem reliquit. Exemplar. hoc magnis Regibus ingens est*. (m) *Hæc clementia in quamcunque domum pervenerit, eam felicem tranquillamq; præstabit. Sed in Regia, quò rarior, eò mirabilior*. Ita Sen. (n)

Hæc docet, ut pœnis hominum, vel sanguine pasci.
Turpe, ferúmque putes: ut ferrum Marte cruentum.
Sic cum pace premas, ut non infensus alendis
Materiem præstes odiis, ut fontibus ultrò
Ignovisse velis, deponas ocius iram.
Quum moveas, precibus nunquam implacabilis obstes.

Claud. (o) *Tunc enim præcipua laus mansuetudinis est* teste Plinio, *cùm iræ justissima*. (p) His omnibus subscribit Val. Max. ità de clementia disserens: *hæc efferata barbarorum ingenia penetrat, truces hostium mollit oculos, ac victoria insolentissimos spiritus flectit. Nec illi arduum, atque difficile est, inter arma contraria, inter districtos cominùs mucrones placidum iter reperire. Vincit iram, prosternit odium, hostilemque sanguinem hostilibus lacrymis miscet.*

EPILOGUS Atque indè sciant Principes, qui tutam avent regni possessionem, vitamque cupiunt ad multam producere senectam, è legibus clementiæ agendum esse, atque alieno sanguini tanquam suo parcere, subjectoque sibi populo non prodigè, immanitérque abuti. Optimum alios regendi instrumentum est mititas morum in Principe, quæ nulli non subditorum venerationi est, ac amori. Hæc virtus summos æquè, ac infimos in benevolentiæ, observantiæque studium pellicit, itáque universorum tenet animos, ut eos quocunque demum libuerit, ac licuerit, citra imperii acer-

(h) *lib. 1. de clem.* (i) *in paneg.* (k) *lib. 1. de clem. c. 11.* (l) *ibidem c. 3.* (m) *ibid. c. 19.* (n) *lib. 1. de clem.* (o) *lib. 1. Stilic.* (p) *in paneg.*

acerbitatem facilè impellere queat. Princeps mansuetudini deditus, gratus, & amabilis est videntibus, gratus item & gentibus, quibus solo duntaxat nomine innotescit. Nec facilè ullum repereris mortalium, intra humanitatis limites consistentem, qui non prolixam advoveat ætatem Regnanti, benignitatis legibus ex asse dicati. Quod si tamen intemerati juris æquitas rigorem pœnarum flagitat, cum severitate disciplinæ, paternæ lenitatis, & mansuetudinis levamen supremi juris subditis impendant. Regat disciplinæ rigor mansuetudinem, & mansuetudo dirigat rigorem: & sic alterum commendetur ab altero, ut nec rigor sit rigidus, nec mansuetudo dissoluta.

CHRIA XVI.

Georgius Castriottus, seu Scanderbegus, M. sæpius de Ottomannis victor, illud usurpabat: Christianum nomen tuebor. *Barletius in vita.*

EXORDIUM. QUàm illustris olim bellator, manuque strenuus esset futurus, jam toto pervulgatus orbe Georgius Castriottus, qui Scanderbegi, seu Alexandri M. nomen à præclaris facinoribus non uno nomine promeritus est, vel ante incunabula cælã portendit, ac haud dubiè præmonstravit. Nam matri per quietem ab alto fuit oblata species, qua nasciturí propediem filii gloriam non obscurè valuit prævidere. At quæ tandem imago à diviniore Morpheo genitrici in somnis est proposita? Plena sanè stupore, miráque dictu, & auditu. Videbatur quippe sibi videre immensæ magnitudinis serpentem, qui totam, quà latè patet, operiebat Epirum, adversus Ottomanicas vires eam protecturus. Quid porrò citra delusionem nocturni phantasmatis matri est repræsentatum? Visus est ei immanis hic coluber in ditiones regni Mu-

ſelmannici caput protendere, cruentiſque ſuis faucibus, gentem illam crudelitate barbaram identidem abſorbere. Nec ſyrma longè latéque protenſum ſuo defuit officio, quod Veneti dominatûs terminos, aliáque Chriſtianorum regna adverſus rabiem Turcarum fortiſſimè propugnavit. Atque ideo non vanâ deluſam fuiſſe imagine genitricem Scanderbegi, factis, dictóque illius nonnihil enucleandis liquidè patebit.

PARAPHRAS. Maxima illa Chriſtianorum gloria Georgius Caſtriottus, nunquam non terror exſtitit Ottomannorum, ſempérque de illis victrices palmas retulit, jugis de hac effera gente triumphator. An non citra commentem dixerim, verum fuiſſe Herculem, qui pernicioſam Mahometarum Hydram plùs quàm ſeptenis capitibus tumentum vicit, proſtravit, debellavit? An à veritatis calle deflexerim, ſi fulmen belli nominarim, quod ſuperba Lunæ cornua ferreâ virtute ſæpenumerò hebetavit? Quis inficias iverit validiſſimum fuiſſe portæ Ottomannicæ malleum, qui oppilata, interſepta Ambracidûm oſtia ſæpius perfregit; & invaſit? Nolim hîc referre innumeras ejus victorias nullâ Tullii facundiâ explicandas, nullâ Hortenſii diſtributione affatim recenſendas. Illud de tali tantóque belli Imperatore citra fucum, & aſſentationem dixiſſe ſuffecerit: nondum illum hoſtes viderunt, & fugerunt: vix nomen audiverunt, & trepidârunt. Hic inquam virorum fortiſſimus, Heroum maximus, poſt tot erecta de proſtratis hoſtibus trophæa, hoc Chriſtiano, & martiali dignum pectore protulit effatum: Chriſtianum nomen tuebor. O dictum ineffabile, non tam fuſis ex auro tabulis, quàm Principum Chriſtianorum cordibus celte inſulpendum! At quid per hanc digniſſimam poſterorum memoria gnomam indicare voluit Scanderbegus? Non equidem illam paraphraſi egere cenſeam, cum omnibus æquè promptum ſit ſenſum ejus perlegere, luce meridianâ clariorem. Nè tamen quiſpiam vel perbrevem hujus dicti elucidationem deſiderare videatur: ajo Caſtriottum univerſo orbi manifeſtum facere voluiſſe, ſe apparatâ ſemper armorum panoplia, propriique ſanguinis impendio Chriſtianum nomen tuiturum, & in omnia capitis fortunarúque

que

que discrimina, pro bono, augmentóque Fidei Orthodoxæ ruiturum.

CAUSA. Nec unquam factis defuit heros inclytus, collatis identidem signis adeò strenuè depugnans; ut nunquam non victor gloriosus steterit in arena Martis. At fortè nonnemo ex me sciscitabitur, ecqua tandem ponderosa ratio ad fundendos, fugandósque tot multiplicatis vicibus hostes Scanderbegi animum inclinarit? Non aliam sanè existimem, quam ut orbi esset in propatulo, pulchrum esse Christiani nominis causa arma capessere, ac bellum frequens suscipere, próque illo gloriosam mortem oppetere, qui salutis nostræ ergò vitam posuit, & pro illius honore sanguinem fundere, qui suum adeò liberaliter pro humano genere ad diluendas animorum noxas effudit. Nec solùm amore Servatoris in discrimen vitæ crebriùs se objecit; sed ut res Christiana majora indies caperet incrementa, ejúsque labaris plures, ac plures, authorarentur, atque toto orbe Fides Orthodoxa staret inconcussa. Et has potissimùm rationes fuisse existimem, cur totam penè castris addixerit ætatem. Et verò bonorum omnium largitor DEUS, ab humana beneficientia non vinci ferens, redimivit in mercedem non una victoriæ lauro caput Scanderbegi, quod ultima quæque pro supremi Numinis gloria voluit experiri.

CONTRARIUM. In hunc meritorum censum nullatenus possunt venire Principes, ac belli Duces, qui immemores boni publici, reique Christianæ, inter pulvinos mollis otii segnescunt, domique suæ torpescunt inglorii Endymiones. Nunquam ejusmodi ignaviæ tabe infecti Principes salutem reipublicæ procurabunt, nunquam Imperii basim stabilient, nunquam viribus armorum præstabunt, neque opibus affluent, aut splendore gloriosi nominis inclarescent, nî se, ac sua pro tutela Fidei Orthodoxæ dicent, consecréntque. Columen quippe, ac solida regnorum basis est tuitio nominis Christiani. Hoc nî armis protegat belli Imperator, aut quicunque demum ad regni clavum sedet pro virili tueatur, vímque omnem, ac injuriam ab illo propulset, nec non semper famæ, ejusque integritati consulat: rerum suarum jacturam patietur, notámque sibi infamiæ asperget

nullâ ætate abolendam. Non ita copiæ militares, non aggestæ in gazophilaciis opes, aliáque regnorum præsidia firmum reddunt Principis statum, ùt tutamen, & vindiciæ Christianæ libertatis. Pro cujus partibus stantes in campo martio Principes, victrices lauros, ac palmas metunt, salutem adferunt suis ditionibus, regni fines dilatant, & nè alia referam in sinu felicitatis conquiescunt. Nec facilè quisquam Principum funestum videt ævi sui terminum, aut quavis aliâ fortunæ iniquitate jactatur acerrimus Fidei Christianæ assertor, & propugnator.

SIMILE. Quemadmodum enim Arcturus stellæ polari proximus, nocturna per gyrum suum spatia definiens, non patitur unquam occasum: ità sanè Princeps, aut belli Imperator, cardini non tam cæli, quàm immobili Servatoris vertici jugiter adhærens, nunquam vergit ad interitum, nunquam ad defectum proprii status inclinatur. Et quamquàm perpetienda forent adversa quædam, rèsque essent graves, ac túrbidæ nonnunquam superandæ; omnia tamen magnanimo ausu evincit, gyrúmque laborum perficiens, ad occasum, impellente licèt graviori sorte, non festinat. Verum nè oculi vestri in sublime Arctophylacis sidus conversi nervo suo destituantur, aliam ab rupe parabolam, in medio oceani situata, desumere lubet. Hanc si nunquam oculo corporis intueri licuit, saltèm oculo mentis obite. Objicite, inquam, animo rupem in medio maris immobilem, quam neque intumescentes nimbi superare, neque debacchantes undarum furiæ prosternere, nec ventorum rabies loco movere, nec ulla vis tempestatum valeat edomare. An non hæc rupes imago est, & typus Ecclesiæ, quam nulli hostes immanitate debellare; nulla pravitas corrumpere, nulla tyrannis evincere, nulla barbarorum multitudo obruere potest. Hæc enimverò cùm impugnatur, vincit, cùm appetitur insidiis, superat, nunquam non de omni hoste gloriosa victrix, ac laureata triumphatrix. Et in hac firmissima rupe consistens Princeps, vel Ductor armorum exsurgentes adversarios reformidet? Ità nempe sacrosanctæ Religionis strenua, acrísque propugnatio semper hosti pennas, ac nervos incidit, & haud dubium de subjugatis æmulis triumphum reportat.

EXEM-

EXEMPLA. Hanc veritatem clara in luce perspexerunt olim Principes licèt gentilitatis tenebris circumfusi, & inanium Deorum cultores. Pulcherrimum hujus rei documentum exhibuit Philippus Macedo, cui quamvis exiles essent armorum vires, suæ tamen religionis defensione, ad summam regni potentiam,famámque nominis immortalem est eluctatus.Forsan populi Phocenses in Græcia, quibus cultus Apollinis Delphici ex officio incumbebat, cùm finitimis gentibus crebrò pugnam committebant. Nè verò peculio, quod bellorum est nervus, destituti, palmam hostibus cedere cogerentur,gazophylacium ejus delubri famâ celebre mutui nomine acceperunt; aut ut satius, veróque conformius loquar, expilarunt. Hujus rei fama cùm ad Græciæ Reges, alióśque orbis monarchas permanasset, omnes facti indignitate perculsi odium, atque execrationem Phocensium conceperunt. Ac cùm bellum eis indicere alii Principes formidarent, solus Macedo animos generosiores sumens, non iræ, sed vindiciarum stimulis adactus, bellum Phocensibus denuntiavit. Nec illud detrectant hæ gentes, sed copias militares, semper in prælium, ac demicationem promptas sistunt in campo martio, belli aleam tentaturi. Quid quod Philippum deridiculo habuêre, cujus centuriatum militem, viribus suis longè inferiorem non ignorabant. At risêre Principem brevì ab eo deridendi. Plùs quippe astus persæpe valent, quam numerus innumerus bellatorum. Et verò technæ martialis adminiculo victrix laurea Phocensibus est erepta. Nam providus Macedo antè quam in belli palæstram adiret, capita suarum cohortûm frontibus Apollineis jussit redimiri, eóque Deo auspice, atque Duce, sacrum tanto numini exercitum armis contendere, pugnámque felicem inchoare. Dum verò res ad manum venit, vident ex improviso Phocenses insignita lauro capita Macedonum. His conspectis primum metu penè exanimari, tum in pedibus salutem quærere tandem pœnas multo sanguine dare, violatique Apollinis delubri crimen expiare. Atque ità fusis, fugatisque hostibus regni fines ampliare Philippus, rem familiarem augere, ac validiores efficere suas ditiones.

[a] Tanti refert pro aris capessere arma, ac defensionem pro religionis cultu suscipere. Hinc vires bellantibus accrescunt.

TESTIMONIA. Rectè proinde, ut testimoniis utamur veterum, scripsit Livius, *omnia prospera eveniunt colentibus Deos, adversa spernentibus.* (b) siquidem *DEUS*, *qualis quisque sit, quid agat, quid in se amittat, qua mente, quâ pietate colat Religionem, intuetur, piorúmque & impiorum habet rationem.* Cic. (c). *Manet enim spectator desuper cunctorum DEUS, visionique ejus præsens semper æternitas, cum nostrorum actuum futura qualitate concurrit, bonis præmia, malis supplicia dispensans. Nec frustrà sunt in DEO positæ spes, precésque quæ cùm rectæ sunt, inefficaces esse non possunt.* Boetius (d) Maximè verò *pietas Principum tutum custodit Imperium.* Cassiod. (e) *Quis* verò *tueri possit eum, qui à DEO oppugnatur?* Idem (f) *Nihil prodest muros munire propugnaculis, & DEUM provocare peccatis.* Ambrosius (g) Quare *in omni republica primum est curatio rerum divinarum.* Aristot. (h) Liceat hic quoque illam apostrophem Oratoris aurei in testimonii provinciam adducere, quâ dimicandum adversus vitia, & hostes ita adhortatur hominem Christianum. *O Christiane! delicatus es miles, si putas sine pugna te posse vincere, sinè certamine triumphare. Fortiter dimica, atrociter in prælio concerta, considera pactum, conditionem attende, militiam nosce, pactum quod spopondisti, conditionem ad quam accessisti, militiam cui nomen dedisti. Hoc enim pacto, quos miraris, omnes pugnaverunt, hac conditione omnes vicerunt, hac militiâ triumphârunt.* (i)

EPILOGUS. Et hoc bello Christianum Principem addecente, de vitiis, de se, de Ottomannis gloriosam semper retulit victoriam Scanderbegus. Hunc si orbis Monarchæ avent æmulari, qui christiano nomine gloriãtur, an pro Orthodoxæ Fidei conservatione arma capessere detrectabunt, vitámque ponere pro ejus incremento formidabunt? Ecquis tanta laborabit

[a] *Diodor. lib. 16.* [b] *1. decad lib. 5.* [c] *lib. 2. de leg.* [d] *lib. 5. consol.* [e] *in epist.* [f] *in epist.* [g] *de Fide.* [h] *in polit* [i] *In homil.*

borabit ignaviâ; qui pro amplianda æterni Numinis gloria, gazas renuat expendere, militem auctorare, in arenam belli descendere, hostes Servatoris & ejus dogmatum vincere, sternere, debellare? Erítne, quem vel jactura fortunarum; vel spes emolumenti temporanei, vel metus imminentium malorum, à præclarè factis arcere valeat, aut remorari? Neminem sanè Principum existimo hanc labem nomini suo inusturum. Nec est, quod dispendium famæ, aut fortunarum metuat, qui pro incolumitate rei Christianæ manus conserit, infestáque signa adversus juratum ejus hostem movet. Si enim Ecclesia civitas DEI est, nullis machinis, nulláque arte expugnanda, quis pro muris ejus stationarius, ac strenuus propugnator sinistrum casum reformidet? Si Ecclesia immobilis est columna; quis ei insistens timore panico queat commoveri? Si demum navis est, quæ naufragium pati non valeat, quis classis Præfectus, quis epibata, pyraticas manus pertimescat? Utque finem dicendi faciam, illud sibi probè persuasum omnes habeant Christiani Principes, bellique Duces, adfuturos haud dubiè Ecclesiæ triumphanti, si non defuerint militanti.

CHRIA XVII.

Diogenes dum improbum consuetudinis inveteratæ hominẽ commonefaceret, à pravo usu vivendi desuesceret: interrogatus à quopiam, quid ageret, reposuit. Æthiopem lavo.

Laertius in Dioge.

EXORDIUM. NOn mihi hodie erunt deliciæ cum cane Melitæo, non cum odorisequis canibus feras agitare, debellaréque est animus, nec cum molossis seu pecuariis, seu villaticis trica ri, rixaríque libet, sed cum homine erit mihi negotium, qui se lyciscam identidem

est professus, passímque dentes in obvios fixit. At quemnam canis nomine gavisum fuisse existimatis AA? paucis accipite. Invisit aliquando posita tantisper majestate Alexander M. jocularem illum Philosophorum Diogenem, cúmque plurimùm avere jussit. Sed haud satis urbanam referens salutem morio doctissimus, illico ex Rege percontatus est: quisnam esset? Cùm verò Macedo placidâ, lenique voce reponeret: Ego sum Alexander ille Rex, At ego, inquit Diogenes, ille canis. Attonuit hæc vox libera primùm Alexandrum, tum dicti hujus causam pernosse cupiens, familiari sermone ex lepido capite sciscitari cœpit: eccur canis sibi nomen inderet, qui hominis gloria plauderet, & quidem sapiens apud summos, imósque audiret? Ne mireris, respondit sapiens morologus, canem me velle vocitari, cùm more canis dantibus blandiar, non dantibus oblatrem, malósque etiam morsibus petam. Hoc præconium caninum aliàs quoque sibi tribuebat; illud dictitare assolens: canes quidem mordent inimicos: ego autem pro libertate mea amicos, ut incolumes servem. Et verò multos familiarium dente cynico petiit in salutem, unum si excipias, de quo in præsenti.

PARAPHRA. Nemo est, ùt mea fert opinio, vel mediocriter versatus in veterum monumentis, qui ignoret Diogenem compluribus sui ævi mortalibus non tam salutarem tradidisse doctrinam, quàm ad frugem meliorem reduxisse. Multos ille juvenum, quibus instituendis præpositus fuerat, optimis informavit moribus, & frivolis, ventosísque rebus deditos, ad virtutis studium traduxit. Hos à fæda Epicuri licentia ad castra temperantiæ revocavit: illos à turpitudine, cui corpus addixerant, ad pudicitiæ amorem pellexit: illos bacchæis liquoribus immadentes, à frequenti ingurgitatione, & vinolentia abstraxit: alios opibus corradendis diu noctúque intentos ad contemptum divitiarum induxit, vitæque suæ fecit sectatores. Nonnullos à prava vivendi consuetudine, & inolitis per lustra vitiis ad terendum virtutis tramitem induxit, authórque fuit plurimis, probos mores rebus omnibus anteferrent. Verùm in uno operam malè posuit, actúmque egit, quem ab inveterato malorum usu abstrahere

here satagebat. Erat senex acheronticus, & in proserpinæ peculo jam numeratus, vitiisque obnoxius, quibus a prima ætate insuevit, occaluitque. Hujus obduratum in pravitatem animum emollire adnisus Diogenes, omnes ingenii vires exeruit, saluti ejus in tempore consulturus. Sed arenæ semina mandavit, littúsque aravit. Hanc operam malè collocari sagacior quispiam cùm eminùs notaret, propior fit doliari Philosopho, & ex eo percontatur: quid adeò operosè actitaret? Reponit Diogenes: Æthiopem lavo. Quo dicto ut ego quidem non vanè conjicio, innuere voluit: prius fuliginem hominis è Mauritania oriundi posse dilui; quàm capulare hoc silicernium à labe inolita vitiorum ad nitorem, candoremque virtutis revocari.

CAUSA. Nec abs re hoc sapiens dictum ab ore sapientissimi Diogenis emanavit, siquidem nihil adeò firmum rebus in humanis est reperire; quàm veteris usûs tyrannidem animis mortalium dominantem. Quis enim alteram è mente eruditorum, & quasi affabricatam valeat in quidlibet flectere naturam? Unde pravæ consuetudines quospiam capientes, usque adeò tenent irretitos, ut ab eis vix queant licèt decumano labore se expedire. Dum quippe malo usui pro virili primitus non resistitur, abit in quandam necessitatem, liberúmque hominis arbitrium suæ facit potestatis. Atque ità cùm in frequentatos actus malignitas animi devenerit, adeò immobiliter illis adhæret, ut ab eis ægerrimè se ferat segregari, malítque cum eis vitam terminare, quàm molestam sine eorum asuetudine degere ætatem. Tanti refert quasi quibusdam vinculis pravæ consuetudinis adstringi. Et quamquàm hi mores inoliti, cujuscunque demum vitii, omni annisu ab animi penetralibus arceantur: sæpe tamen, ut quotidiano docemur experimento, præ foribus sunt importuni, aditumque sibi facere moliuntur. Nec pleno impetu more hostium urbem obsidione coronantium arcem mentis adoriuntur sed pedetentim accedunt, dum aliquam facultatem sui juris faciant, sensímque sine sensu irrepant in totum hominem, operosè admodùm repellendi.

CONTRARIUM. At quamvìs arduum sit & non modici laboris hos molliores, ac lenocinantes adversarios aditu

prohibere, & perquàm dura sit pugna, noxias consuetudines ab animi castro amoliri: si tamen quispiam sit virtute fortitudinis obarmatus: non duntaxat eis bellum indicere volet, valetque? sed & acie, ac dimicatione strenuâ vincere, ac debellare. Velle efficax, omnibus animi hostibus nervos incidere potest. Nec habet, quod metuat vitiorum obsidium, pro quo excubias agunt virtutes. De quo nè ambigendi locus relinquatur: demus coacta in cuneum vitia irruptionem adornare, castrúmque animæ velle occupare, recidet omnis in vanum machinatio, si præsidiariæ adsint virtutes. Accedat licèt elato gradu arrogantia, & turgido fastu animum inflare moliatur: demissio, suíque despicentia actutum ei obviat, cristas illi dejicit, omnémque ejus insolentiam continuò frangit. Oppugnet mollibus armis nec digna compellari nomine suo luxuria, & vetitæ cupiditatis æstu inflammare corpus adnitatur; adest sinè mora pudicitia, ejúsque ignes feliciter sopit, omnesque flammas impudicitiæ protinus restinguit. Consurgat immoderatio cibatûs, ac potûs cum omnibus suis discinctis nepotibus, suadeátque homini cuticulam jugiter curet, sumptuosas obtrudat comessationes, nocturnas affundat perpotationes, ac mensas proponat Sybariticas: occurrit huic temperantia, cunctásque ejus liquidas, solidásque conviviorum machinas illicò evertit. Et nè in bella aliorum vitiorum excurramus, quæcunque demum tela acuant, & depromant, ad subjugandum sibi perpetuò animum hominis: ea retundunt, hebetántque inexpugnabili armorum suorum panoplia oppositæ illis virtutes. Atque ità nullum adeò est ferox, insolensque vitium, licet assiduè hominem petat, quod non valido robore virtutis, animíque fortitudine queat superari.

SIMILE. Hanc veritatem si jubetis, ut parilitate aliqua, ceu lumine illustremus, imperio vestro non inviti obsecundamus. Ac comprimis quidem simile eruimus à subterraneis cuniculis; quos hostiles agere partes solent ad urbem quampiam labefactandam. Quemadmodum enim has adversariorum machinas, gnavi in rem suam præsidiarii milites, urbísque propugnatores nullo negotio valent subvertere, si oppositas per artem polemicam ope-

ras moliantur; pari ratione virtutes pro animæ castro excubantes, omnes veteratorias artes, ac strophas vitiorum elidere possunt, si liberum quidlibet agendi hominis arbitrium suo muneri non desit. Sed ut liquidiori similitudine veritas hæc patescat: an non rivulus, tenuéque adhuc fluentum, cùm primo à fonte scaturit, facilè quò lubuerit flecti valet, at ubi aliorum fluminum accessione augetur, vix ulla arte ejus impetus reprimi, cursúsque derivari potest: haud secùs cum vitiis evenire indies videmus, quæ recenter nata jugulari, ac interimi possunt, at verò ubi plurium annorum usu adoleverint, fuerintque roborata, vix ac nè vix quidem sustinent tolli, aut edomari. Hanc parilitatem à tenui fluento, per flumina Nili septemplici ostio influente juverit confirmare. Ut enim ad loca hujus celeberrimi fluminis, quæ catadupas Geographi vocitant, domicilium habentes sensu audiendi carent ex eo, quod nimio fluvij fragore ab altissimis montibus labentis nativam surditatem contrahant ità nonnulli hominum tumultibus suarum cupiditatum frequentiùs aditum præbentes tandem obsurdescunt, nullam deinceps consilij rationem, aut parænesim ad virtutis sequelam admittentes. Verùm solidiorem à lapide molari, alióve æquiparantiam damus. Quemadmodum enim saxum aliquod magnitudine, ac gravitate constans, in montis cacumine facilè sistitur, ac quietem capit, at ubi in subjectam vallem præceps actum fuerit nullatenus retineri potest: ad eum prorsus modum se res habet cum haud paucis mortalium, qui cùm in virtutis apice constiterint, altissima perfruuntur animi quiete, sed ubi in profundum vitiorum se abjecerint, suámque deamarint assuetudinem, nemo à ruina eos valet amplius remorari.

EXEMPLA. Possem hucusque dicta cùm sacris, tum profanis comprobare exemplis, sed nè pervulgata decantare videar, & per cœnum vitiorum gradiens collutulem pedes meos, aliqua duntaxat inveteratæ consuetudinis juverit depromere documenta, ut sole meridiano clariùs pateat, quàm difficulter eradatur, quod semel animi retenaciùs perbiberunt. Testem hujus veritatis appello Alexandrum Macedonem, qui in moribus, & incessu Leoni-

Poscentes videas, venienti occurrite morbo. Persius (f) *Affectus* quippe *frequentes, neglectique fecêre morbum: sicut distillatio una, nec adhuc in morem adducta tussim facit, assidua, & vetus phthisim.* Sen. (g) *Unde animus si in iram, amorem, aliosque se projecit affectus, non permittitur reprimere impetum. Rapiat illum oportet, & ad imum agat suum pondus, & vitiorum natura proclivis.* Idem (h) *Itaque in primis finibus hostis arcendus est. Nam cùm intravit, & portis se intulit, modum à captivis non accipit. Hinc faciliùs est excludere perniciosa, quam regere; & non dimittere, quàm admissa moderari. Cùm enim se in possessione posuerunt, potentiera rectore sunt: nec recidi se, minuive patiuntur. Deinde ratio ipsa, cui frena traduntur, tam diu impotens, quàm diu diducta est ab affectibus. Si verò miscuit se illis, & inquinavit, non potest continere, quos submovere potuisset.* Idem ibid. Enimverò *gravissimum est imperium consuetudinis.* Cur. (i) Nam *non ingenerantur hominibus mores tam à stirpe generis; quàm ex ipsis rebus, quæ ab ipsa natura loci, & à vita consuetudine suppeditantur. Unde corruptela malæ consuetudinis igniculi extinguuntur à natura dati, exoriuntúrque, & confirmantur vitia contraria.* Cic. (k)

EPILOGUS. Ab his proinde qui immunem agere vitam flagitat, succrescentia maligno usu vitiorum lolia nulla interposita mora satagat exstirpare, nè quæ jam sunt virgulta, temporis tractu, si augmentum vitio nostro capiant, in annosa robora succrescant. Ità enim natura comparatum est, ut quæ citra pulverem, ac sudorem primitùs evelli poterant, accedentibus annis vix asciis, ferreæque manui succumbant. Sylvestre germen valido ligone impacto haud ægre subvertitur: carecta vitiorum, sarculo virtutis facili negotio exstirpantur. Virtus pravam corrigit consuetudinem, quæ necdum transivit in naturam. Quamquam & hæc moderationi, ac freno subjacet rationis, quæ obliqua in rectum novit inflectere, ac declinare. Equidem primùm exhorrescit natura sensibus pergrata dimittere, sed ubi industria potior violentia accesse-

(f) *Satyra* 3. (g) *epist.* 75. (h) *lib.* 1. *de ira.* (i) *lib.* 5. (k) *lib.* 1. *de leg.*

accesserit, & virtuti hominem asseruerit, præ gaudii vehementia colliquescit. Nullum est malum corporis licèt inveteratum, cui pharmacum salutare nequeat admoveri; & inolita animi ægritudo suum non habeat malagma, & panaceam? Potest ferro ulcus inveteratum abscindi: & non possint vitiorum carcinomata à ratione invenire medelam? Impugnet licèt hominem pravitatum exercitus, non tamen præpedit imperium, triumphosque arbitrii humani. Vetustas erroris nova veritate corrigitur: tenebræ animorum virtutis luce fugantur. Bona consuetudo excutit, quod mala invexit. Accelerata correctio est pravi usûs abolitio. Neque ætatem quisquam seram arbitretur, ut se ipso melior evadat: nam velle vitia ponere, est posuisse, velle è profundo malæ consuetudinis emergere, est emersisse.

CHRIA XVIII.

Demosthenes cum pro Atheniensibus, eorumq; libertate verba faceret: offensus Rex Macedonum Philippus; ex eo ità quæsiit: num times, né caput abs te auferri præcipiam? Neutiquam, reposuit Demosthenes, nam etsi ipsum lòco moveris, patriâ immortalitate donabis.

Plutar. in Demost.

EXORDIUM. Non libet mihi hodie Principem Oratorum Græciæ Demosthenem cum rerum natura bella gerentem inducere, quo tanquam iniquiorem in se Matrem adeò feliciter devicit, ut non ei, sed industriæ summam dicendi gloriam retulerit in acceptis. Prætereo in litore maris verba facientem, cùm irarum, ventisque concitum æquor in streperas surgeret procellas, ut ad ferendas po-

po-

puli turbas, insanásque vociferationes, animum fortiter compararet. Non attingo suspensum è laqueari ensem, sub quo stans in moderatione gestús se exercebat, jugi actus formidine, nè si minùs ad decorem humeros attolleret, minúsve congruè moveret, ferri mucrone vulnus acciperet. Non perpendam ad speculare oraculum, commensuratum magnitudini corporis sui, consistentem, séque ipsum sibi declamando repræsentantem, ut ad amussim se componeret Oratoris. Nolim encomio prosequi jugem ejus vigilantiam, angustúmque pro cubatu grabatum, quò celerius se è strato levaret, ut opera sua solertius elucubaret, multáque limâ castigaret. Non reaccendo Demosthenis lychnuchum, quem ad annum usque quinquagesimum nunquam fertur extinxisse, nunquam oleum, & operam perdidisse, ut scripta sua ad unguem perpoliret. Non est mihi animus eloquentiæ peniculo acerrimum vigorem oculorum adumbrare, quo auditorum animos percellebat: nec stylo oratorio velim perscribere admirabilem vultûs Majestatem, quo præsentes attonabat: nec exactos corporis motus depingere, quibus in stuporem coronam auditorum convertebat. Hæc inquam, & complura alia tanti oratoris præconia silenti velariis involvo, unicam duntaxat ejus virtutem proditurus, qua, ob plenam libertate facundiam, intentatum sibi mortis discrimen, animo virili, & heroico contempsit, Rem ut venit, consueta benevolentia in hoc progymnasmate accipite.

PARAPHRASIS Ea hæc oratorum Græciæ aquila, non tam eloquentiæ vi, ac potestate præstitit, quàm consilii altitudine eminuit, ut omnes Philippi Regis machinas ingenii sui celeritate prævenerit, aut prævolârit. Nullam hic sagacissimus Principum rem astu tractavit, nullam artem veteratoriam est molitus: nihílque animo licèt arcanissimo deliberavit, quod aut Demosthenes non præpedivisset, aut pari arte non evertisset. Solus hic orator remoram, & obicem semper posuit Philippo; nè definita animo suo stratagemata in actum deducere valeret. Unde majora Regi Macedonum facessivit negotia, quàm omnis armorum seu terra, seu mari panoplia. Quid quod in quandam felicitatis suæ par-

partem Philippus reponebat; quod ad supremos Imperii fasces Demosthenes non esset sublimatus, cujus potenti eloquentia Athenis persæpe audita, Macedonum quassarentur consilia, velut quibusdam arietibus, & catapultis. Dum verò hic patheticus orator in corona optimatûm, & populi Atheniensis frequentia, die quadam igneam funderet orationem; ea pro incolumitate, & libertate eorum in medium attulit, quæ adversus Philippum animos hujus gentis poterant incendere, inflammare. Ejus rei fama cùm addicti Regis aures emanâsset, toto in Demosthenum stomacho exarsit, neci eum daturus illico, si par votis facultas in præsens foret. Sed cùm Athenis exosum caput degeret, citra omne discrimen vitæ tutum, & sinè metu, per ablegatum Philippus nomine suo ex illo quæri jussit: an aliqua formidine ageretur, nè Rex Macedonum capite eum minuat ob crimen læsæ Majestatis? Quid ad hoc fulgur Marpesia caute firmior Orator, Excipit forti animo, placidáque fronte nuntium, referríque jubet magno Principi, se nutiquam moveri ejus authoritate, nullóque metu affici, aut examinari. Nam si e vivis exturbare se velit, immortali vita esse donaturum. O vos digna sanè ore hominis Christiani, ad vitæ nunquam intermorituræ felicitatem anhelantis?

CAUSA. Est enimverò [ut secum ratiocinatam fuisse existimem Demosthenis sapientiam] est obitus noster transitus è vita mortali ad immortalem, votis flagrantibus expetendus à viris sapientia claris, ab heroibus fortitudine inclytis maximoperè desiderandus, ab omnibus, qui cum miseria conflictantur, unicè exoptandus. Etenim quis ab exilio non festinet in patriam, ab jugi mærore ad perpes gaudium, à cæcitate ad visionem, à decumanis laboribus ad quietem sempiternam, à continua dimicatione ad victoriæ lauros, triumphósque immortales? Et si mors portus est laborum: quis porrò vela facere in tempestuosa vitæ Oceano exoptet? Si ostium est ad æviternæ gloriæ augustal: quis in malè materiata corporis ruinosi inde ambiat diu commorari, Si mors erumnosæ vitæ est terminus, effugium miseriarum, translatio à corruptione ad incorruptionem, à turbis

ad

ad tranquillitatem, à curarum fluctibus ad malaciam animorum: quis adeò sit fatuus, & excors, ut hæc, & alia innumera propè mala præ vita immortali deligere non perhorrescat? Si demum universis supremâ lege decreta animæ separatio à corpore, vitiorum omnium est interitus, & sepultura, virtutúmque suscitatio: quis illis vale facere renuat, ut horum plenâ fruatur in perpetuum possessione? Et erit etiamnum quispiam, qui vitâ istâ delectetur, in qua quantò diutiùs quis commoratus fuerit, tantò majori oneratur sarcinâ ærumnarum? Quis captivitatem terrenam æternaturæ libertati præferat? Quis non vitam præ morte eligat? Atqui vera vita est vita immortalis, & dies migrationis est dies natalis? Tunc enim verè occipiunt homines vivere, cùm vitam mortalem videntur terminare. Nam qui in terra visibiliter moriuntur, protinus in beatiorem vitam enascuntur. Nec potest hæc æviternæ vitæ felicitas accedere, nisi hinc contigerit abire. O quam igitur faustè, fortunatéque moritur, qui moriendo oritur! quàm feliciter vitam finit temporalem, qui vevere incipit æternam. Et meliores profectò dies sunt, quibus ad æternam vitam renascimur, quàm illi, quibus in hæc tempora tot malis obnoxia procreamur. Primo enim ortu terram calamitatibus subjectam ingredimur, altero faustitati semper duraturæ præparamur. Nequaquam igitur mors est abhorrenda, quæ etsi vitam adimat, non perimit, adimit quidem, sed ad tempus, restituendam in tempore, duraturam sinè tempore in felici æternitate. Et obitum quamvis accelerandum votis ardentibus non exoptemus?

CONTRARIUM. At videor mihi hìc nonneminem audire obstrepentem: qui mortem expetendam asserere valeam, quam ipsa natura exhorrescit; quam reformidant fortissimi quique virorum, quámque universi vel remotè accedentem pertimescunt? Quid enim, an non inclemens mors omnes vitâ immaniter exturbat, quâ nihil nobis charius, nihilque pretiosius potest evenire? An non geminos oculorum soles obnubit, quibus serenissimam, gratissimámque lucem intuemur? An

non arctissimum corporis, animæque vinculum falce immiti secat, & tandem defluente per carnem tabe in pulverem artus redigit, solâ ossium compage relictâ? Et nè alia plena horroris referam, oggerit ille: an non mortis comitatus, & quæ illam feralia, funestáque circumstant, humano generi sunt expavescenda? Hæc mortis osor, plura de ea memorare reformidans. Sed hæc non hominis, at timoris ipsius sermocinatio vix meretur responsa. Nè tamen hunc Epeo, ac Pisandro timidiorem hominem, animóque turpiter abjectum in formidinis barathro hærere collo tenus patiar, ajo ego: multùm interesse, quo animo supremam hanc necessitatem excipiamus. Equidem non inficias iverim, ab obitu supremo naturam abhorrere, sed quam virtus in meliora prospectans non roborarit. Reformidant mortem ipsi adeò humanâ opinione heroës, sed qui longè absunt à vera fortitudinis virtute. Non diffiteor ab ea vitâ eliminari homines, sed ad meliorem transferri. Non ausim negare dulcissimo familiarium usu nos orbare, sed ad eos deducere ajo, quorum contubernium nullis fucis, logísque est involutum. Eripiat mors lucem oculis, sed ad eam promovet luminis claritatem, quæ noctis est nescia, & umbrarum. Discindat jucundissimum animæ, corporísque nexum, sed unionem efficit cum Superis nulla ætate dissolvendam. Alia verò, quæ aut obitum antecedunt, vel comitantur, aut consequuntur, plus habent de vana opinione, casśáque formidine, quàm veritate. Nemo profectò, quem serenior veri radius perstrinxit, mortem exhorrescit, nisi penitùs ignoret immortalia eam sequi. Eccur igitur ad ejus reminiscentiam lacrymarum fontibus diffluis? Quare metu concuteris; & ante tubam feralem trepidas? Quid illud extimescis, quod nulli datur evitare? Nemo mortem, licet ad tempus dilatam, arte medicâ potuit, potéstque effugere. Omnes te viâ mortalitatis antecesserunt, omnes sequentur. Hanc conditione terram intramus, ut exeamus. Universi hac necessitate ducuntur. Eo eundum est, quò omnes abierunt. Nullum iter est sinè exitu. Hanc viam Crœsi, & Iri terere coguntur. Fiat proinde

inde tibi voluntarium, quod futurum est necessarium. Nam cui contingit nasci, superest mori. Non invidus eò te conferas, ubi quietem, eámque sempiternam exspectas.

SIMILE. Quis enim (ut hæc similitudinibus declaremus) quis non omnibus lætitiis gestiat, si diurnis, nocturnísque tempestatibus in ponto jactatus, longáque maris pericula emensus, ad portum votis mille exoptatum feliciter appellat? Et erit, qui mærore conficiatur si post superata vitæ hujus procellosæ naufragia, littus immortalitatis contingat? Quid! an non longè fortunatiorem illum existimemus; quem venti acriores ocyùs sistunt portui, quàm is, quem segnes Favonii, & longior tranquillitas maris lentissimo tædio delassavit? Quis hæc sanæ mentis negaverit? Nemo profectò, nisi helleboro egeat, ad Anticyras transmittendus. Quis itaque beatiorem illum non reputet, quem festinata mors ex tot miseriarum fluctibus quantociùs emergere facit? Verùm nè Ægæum duntaxat navigemus: quis non lætitiâ gestiat, qui totam pene fortunam in nominibus habens, æréque alieno est obrutus, si hac mole se levare, & in assem creditori satisfacere possit? Et non mirificâ redundet hilaritate, qui dubium naturæ, cui omnes obstricti sumus, tandem exsolvit? Nemo itáque renuat hoc onere se continuò expedire, sed contractum jure naturæ debitum, ab omnibus definito tempore exigendum non vereatur dependere, ut eo exsolutus ibi degat, ubi nullo nomine erit obligatus. Quin cùm etiamnum agat in cœtu viatorum, identidem perquirat, ubi perpetua sit futura ejus sedes, nullis deinceps oneribus, nullíque debito subjecta. Æmuletur operas mercenarii sæpe sæpius ad calculos revocantis, quandonam anni curriculum ad metam sit decursurum. Proponat sibi imitandum gnavum agri cultorem, messis tempus indies præstolantem, lætitiáque incessat, si mors falcem suam expediat ad eum succidendum, & in horrea nulli corruptioni obnoxia transferendum. Sequatur demum imitatione candidissimum olorem; ex quo

 cum

cum pelargus, vulgò ciconia fuisset perconata, eccur ante obitum suavissimis concineret modulis? reposuisse fertur: id se agere ob spem vitæ melioris, & præsagium futuræ felicitatis.

EXEMPLA. Hujus faustitatis documenta maximi quique nobis subministrant. Utque à veteribus ordiamur, primum nobis erudita eorum monumenta sufficiunt divinum Platonem, nullâ unquam mortis formidine perculsum. Nam cum ei subinde valetudinis gravitate presso, author esset medendi peritus, ut relicta Academia loco minus salubri, pestilentíque situata, ad Lyceum, multa cæli temperie notum se transferret: nequaquam archiatri consilio stare voluit, edicens: se producendæ vitæ causa, ne in summitatem quidem montis, qui Atho dicitur, migraturum. [a] Tam parvi fecit vitam temporalem cum æterna commutandam. Hujus mentem primum attigisse videtur Æschines philosophus vitam in minimis ducens, cujus ea vox fuit: gloriosè mori summa felicitas est, cùm mors omnibus ex æquo sit fatalis. (b) Sed ab Academia ad campum martium transeamus. In hoc jacet lethali vulnere saucius Epaminondas Dux strenuus Thebanorum. Hic Ducum sui ævi fortissimus, dum jam sibi ad plures eundum esse persentiret, quæsiit ex commilitonibus: an clypeus suus salvus esset? iis affirmantibus salvum omnino esse, porrò sciscitatus est: an fusi essent hostes penitus? cum & hoc ex animi sui sententia comperit, non finis, inquit, commilitones vitæ meæ, sed melius, & altius initium advenit; nunc enim vester Epaminondas nascitur, qui sic moritur. [c] Adeò gloriosum est in arena Martis diem claudere extremum. Ejusdem quoque mentis fuit Agesilaus Dux Athenarum; qui percontanti cuidam, qua ratione sibi eximiam parere gloriam posset, reposuit: si mortem contempseris. Nihil quippe in bello præclari geritur ab eo, cujus animum mortis timor occupavit. [d] Verùm & alios in alio rerum ordine mortis contemptores videamus. Hos inter Pir-

(a) *Ælian. lib. 9. var. hist.* [b] *Stob. serm.* 117. (c) *Val. Max. lib. 3. c. 2.* [d] *Plut. in Lacon.*

principem sibi locum vendicat Phocion Athenarum Præfectus. Fuerat is cum aliis quibusdam ab ingrata gente, cui summa benignitate præerat, capite census, mortéque nunquam merita damnatus. Cùm verò spiculator cicutam adferret, eamque præsentes, nescio cujus criminis rei, in sui exitium assumpsissent, solus supererat Phocion eodem fato eneccandus. Hanc cùm maximi vir animi sibi quoque propinari expeteret: negabat juris iniqui minister, se eam oblaturum, nisi duodecim drachmæ numerarentur, quibus vænire cicutæ unicam afferebat. Hoc accepto Phocion, nè mors optata remoram pateretur, accito protinus ad se quodam familiarium, inquit: quandoquidem Athenis nè mori quidem gratis licèt, quæso huic pretium duodecim drachmarum dato. [e] O virum immortali vita dignissimum? Nec hìc magni animi Rubrius Flavius est omittendus. Defecit hic inclytus heros ab Lycaone Romanòrum Nerone, eamque ob rem in vincula conjectus, capitis pœnas dare jussus fuerat. Nec mori timuit, qui tot morti hucusque in acie militari consecravit. Cùm verò funestus Minister Flavium commonefaceret, ut fortiter cervicem protenderet: utinam, ait virorum fortissimus, ut tam fortiter ferias? [f] O fortitudinem fastis immortalibus inserendam? Sed nè vera duntaxat consectemur, quid sensûs de obitu extremo habuerint Christianis ritibus imbuti Principes, paucis edocebo. Et nè per multos dissertatio mea evagetur; unum plurimorum in vicem producere liceat Alphonsum Aragoniæ, & Sicilæ Regem. Eâ hic Princeps officiosus floruit in omnes humanitate, ac benignitate, ut gravi valetudine pressos sæpe sæpius viseret, eorúmque dolorem omni pharmaco meliùs verbis ad solatium compositis levaret. Hos inter erat suavissimus juxtà, ac splendidissimus adolescens Gabriel Surrentanus in fatalem lectulum prostratus. Ad quem cum invisisset Alphonsus, & à diro mortis aspectu maximoperè abhorrere accepisset: non est, inquit, cur tantopere mortem timeas; cùm hæc bene, puréque morientibus fit vita,

 ejús-

[e] *Plut. in apopht.* [f] *Sueton. in Nerone.*

ejúsque vitæ principium; quæ neque doloribus, neque metui, neque invidiæ, neque ærumnis ullis subjecta est. [g] O dignam Principe Christiano paræneſim ? Sed ab Aragania ad Italiam tantisper nos conferamus, & quidem ad principem urbium Romam, in eáque geminos in supremo Ecclesiæ senatu Partes purpuratos contemplemur, mortem infra se ducentes. Alter Cæsar est Cardinalis Baronius, scriptis publicæ luci datis, fama per orbem vulgatissimus. Nihil antiquius habuit hic Princeps Ecclesiæ, à sapientia, quàm purpura clarior, quàm ut de tabernaculi sui depositione, aut dissereret, aut cogitaret. Quid? quod ejus reminiscentia maximam capiebat voluptatem. Cùm verò is, qui medicinam Baronio admovebat, eum commoneret, ab assidua illa mortis meditatio ne temperaret; nè ea ratione sibi illam accerseret, vel accelerarct: quidni ego, inquit, de morte cogitem? Numne timere me putas illam, cùm qua quotidie familiariter ago, & loquor? Apage sis: haud equidem timere illam possum, quam ut sororem charissimam diligo. [h] Alter est Cardinalis Reginaldus Polus, mortem ne hujus quidem pendens. Fortè certis rumoribus acceperat, Henricum VIII. Angliæ Regem vitæ suæ insidias struere, funúsque cruentum sibi machinari. Nihil ad hoc nuntium Reginaldus ab animo virili remisit, sed illud voce intrepida reposuit: jam dudum hujus vitæ tædio affectus mortem optavi. Tanto eam studio efficere cùm Rex Angliæ contendat, nihil aliud facit, quàm si eunti dormitum, vestimentum detrahere conetur. [i] O gemina, clarissimáque Ecclesiæ militantis lumina, quæ jam Solis instar in triumphante refulgent.

TESTIMONIA. Sed non omnes ea virtute fortitudinis sunt præditi, ut à vivis excedere non perhorrescant. *Magna igitur est eloquentia utendum, ut homines mortem, vel optare incipiant, vel timere desistant.* Cic. [k] Certum namque est, *mortem non esse interitum omnia tollentem*

[g] *Panormit. de reb. gest. Alphon* [h] *Vita lib. 3. c. 1.* [i] *Sandinus lib. 1. Schism. Anglic.* [k] *lib. 1. tuscul. quæst.*

tem, atque dolentem? sed quandam quasi migrationem, commutationémque vitæ. Idem (l) Atque *ego sæpissime legi, & audivi, nihil mali esse in morte, in qua si resident sensus, immortalitas illa potiùs, quàm mors dicenda sit. Idem* (m) *Mors mihi securitas est* inquit, Sen, (n) *Scopulum istum putamus dementissimi, portus est aliquando petendus, nunquam renuendus. Idem.* (o) *Quò utinam passis velis provehi liceat?* Cic. (p) *Nec unquam magnis ingeniis cara in corpore mora est; exire, atque erumpere gestiunt, ægre has angustias ferunt, vagi per omne sublime, & ex alto assueti humana despicere.* Sen. (q) *In vitio igitur est dissolutionem naturæ suæ tam valde perhorrescere,* Cic. (r) *Ego recusem mei finem, quum sciam me sinè fine non esse? Imò quum sciam omnia esse finita?* Sen. (s) *Ego ultimum suspirium timeam?* Idem. (t) *Non faciam: accepimus pe,ituri perituræ.* Idem. (u) *Solatium profectò est perdere, quod perdendum est.* Idem (x) *Quid ad rem pertinet, quamdiu vites, quod evitare non possis.* Idem. (y) *Quare in procinctu stet animus: id quod necesse est, nunquam timeat, quod incertum est, semper expectet. Idem.* (z) *Hoc unum meditare, nè mortis nomen formides. Effice tibi illam multa cogitatione familiarem, ut si ità tulerit, possis illi vel obviam exire.* Idem. (aa) *In somnum ituri, læti, hilaresque dicamus vixi* Idem. (bb) *Habes enim somnum imaginem mortis, eamque quotidie induis.* Cic. (cc) Et *sæpe frater fratrem anteverit, somnus mortem.* Plutar. (dd) Quod Gorgias moriens expertus loquimur: *jam somnus,* inquit: *incipit me tradere fratri.* Stob. (ee) Ad hæc, *quomodo fabula sic vita: non quamdiu, sed quàm bene acta sit, refert. Tantùm bonam clausulam impone.* Sen. (ff) *Reverti, unde veneris, quid grave est* *Idem.* (gg) *Rerum natura te genuit, expectet & locus melior, & tutior. Illic non tremunt terræ, nec*

(l) *ibid.* [m] *lib* 5. *epist.* 16. (n) *in Agam*(o) *epist.* 70. [p) *lib.* 1. *tuscul. quæst.* (q] *consolat. ad Marc.* (r] *lib.* 5. *de finib.* (s] *Epist.* 30 [t] *lib.* 6. *quæst. nat.* [u) *de Provid.* (x) *epist.* 98. (y] *epist.* 93. [z] *ad Polyb.* [aa) *lib* 6. *quæst. nat.* [bb) *epist.* 12. (cc) *lib,* 1. *tuscul. quæst.* [dd] *de instit.* (ee] *serm.* 38. (ff] *epist.* 77. (gg] *de tranquil. ani.*

nec inter se venti cum magno nubium fragore concurrunt, *non incendia regiones*, *urbesque vastant*, *non naufragiorum totas classes sorbentium metus est*, *non arma contraria disposita vexillis*, *& in multam perniciem multorum millium par furor*, *non pestilentia*, *& ardentes promiscuè communes populis ardentibus rogi*. *Securus illic videbit maria perturbari*, *etiamsi excitaverint omnes venti*, *etiamsi aestus aliqua perturbatione totum in terras verterint Oceanum*. *Securus adspiciet fulminantis caeli trucem*, *& horridam faciem*, *frangatur licèt caelum*, *& ignes suos in exitium omnium*, *inprimis suum misceat*. *Securus adspiciet ruptis compagibus dehiscens solum*: *illa licèt inferorum regna retegantur*, *stabit super illam voraginem intrepidus*. Sen. (hh) Non ergo *timendum*, *quod nos liberat ab omni timendo*. (ii) Tertul.

EPILOGUS. Ecquid proinde miremur, alpham oratorum Demosthenem, mortem sibi à Philippo Rege comminatam non exhorruisse: cùm eam adversus injurias vitae remedium esse non ignorarit, iterque expeditum sciverit ad vitam immortalem? Et verò non duntaxat via, sed & dux est viris sapientia, & virtute conspicuis, ad felicitatem jugiter duraturam. Nemo itaque timore percellatur, si osseo indice januam vitae feriat Libitina, mortalem deductura ad immortalitatem. Nam ubi bona mens virtutis sibi est conscia, excessum sinè metu praestolatur. Ille accedentem laetus, & hilaris mortem excipit, qui se ad ejus adventum probis exercitationibus appararit. Non potest malum formidare exitum, qui bonum semper duxerit aevum. Nec ulli dura, asperáque fuerit necessitas exeundi, cui lex communis omnibus negat patriam hìc commorandi. Diversari solùm in terra licet, non in perpetuum versari. Sed florida, vegetáque aetas longaevitatem forsitan in votis habet? At inani desiderio laborat, ignorátque, illos potissimùm esse in amoribus Superis, quos citius evocarint. Non vulgaris est favor Caelitum, imminentium laborum pondere quempiam levare. Quis non in gratiarum loco ponat, cri-

(hh) *lib. 6. quaest. nat.* (ii) *de immortal. animae.*

eripi tot malorum discrimini, quæ à fonte, & tergo omnem petunt ætatem? Quis non immunis esse optet ab examine morborum, qui adultum, senileque ævum invadunt? Quis dubia, formidoláque tempora cum certitudine æviterna, nullíque metui obnoxia renuat commutare? Quis illam vitam deamet, sub cujus specioso nomine mors dilitescit, & ad vitam mortis nesciam perpetim non aspiret? Quis demum ad portum æternâ quiete placidum vela facere ocyssimè non exoptet? Quamobrem intrepidi horam mortis decretoriam exspectemus, illudque nobis persuasum habeamus velim, eam non esse animo, sed corpori duntaxat supremam. Qui avet hìc tranquillam degere ætatem, semper animam habeat in expedito, illúdque haud ignobilis Poetæ metrum altissimè menti inserat:

Ut tibi mors felix contingat, vivere disce.
Ut felix possis vivere, disce mori.

O. A. M. D. G.

ORDO, ET SERIES
CHRIARUM.
Chriæ Verbales.

Nihil

Chriæ Activæ.

Chriæ Mixtæ.

hunc ei laconiſmum perſcribit : *ſanam mentem.* Ælian. lib. 2. var. hiſt. 372

Bion Philoſophus cum virum quendam penſiculatiùs contemplatus fuiſſet, dixiſſe perhibetur : *aut huic magnum malum contigit, aut alteri magnum bonum.* apud Stob. ſerm. 36. 384

D. Chryſoſtomus verba faciens ad populum , illud aliquando liberrimè edixit : *quid majus , quàm adoleſcentûm mores fingere.* homil. 51 395

Crates Philoſophus peculium ſuum in mare ſpargit , cum dicto : *nè perimant pereant,* Philoſt. in ſophis. 405

Architas Tarentinus rerum ſuarum gnavus curator , villico malè merito dixit: *ſumerem à te ſupplicium, niſi iratus eſſem.* Val. Max. lib. 4. c. 1. 415

Anacharſis Philoſophiæ causâ, regnum Scythiæ fratri ceſſit cum dicto; *potior eſt ſapientia regno.* Ælian. var. hiſt. lib. 5. 424

Cato cenſorius accuratiſſimus Magiſter morum , & filiorum educator ſolertiſſimus, dictitare ſolebat *ſibi magis adoleſcentes , qui rubeſcerent , placere , quàm qui palleſcerent.* Plut. de virt. verecundiæ. 437

Sigiſmundus Imp. uni è Proceribus nimias laudes in ſe congerenti, colaphum infregit, dixitque : *cur me mordes adulator*? Æneas Sylvius lib. 1. 445

Alphonſus Aragoniæ Rex , in Alvarum Lunam ingrati animi vitio laborantem , perquàm munificus extitit, cúmque ob id à miniſtris Regiæ argueretur, repoſuit : *an ignoratis, ingenti beneficio ingratitudine ſatisfieri* Æneas Silvius lib. 1. 457

Alexander Macedo cùm daret civitatem cuidam dicenti: non convenire eam humili fortunæ ſuæ repoſuit: *non quæro, quid oporteat te accipere , ſed quid deceat me dare.* Ælian. lib. 1. var. hiſt. 467

Themiſtocles cùm prædium ſuum lucri cauſa venum proponeret, juſſit præconem illud addere: *vicinum habet bonum.* Plut in Polit. 477

Trajanus Imp. cùm juſtè ablatum Regi Thraciæ regnum, filio ejus decreviſſet reſtituere , ubi eum difformia veritati loquentem comperit , mutata ſententia edixit :

tanquam mendax indignus es regno : nec decet Romam matrem veritatis filium habere mendacim. Alex. ab Alex. 483.

Aurelianus Cæsar ab urbe Tiana exclusus, edixit: *canem in hoc oppido non relinquam.* Eâ expugnatâ, ad furentem militem conversus, præcepit: *agite, canes omnes occidite*: cives verò summâ clementiâ in fidem recepit. Vopiscus in Aurel. 491

Georgius Castriottus, seu Scanderbegus M. sæpius de Ottomannis victor, illud usurpabat: *Christianum nomen tuebor.* Barletius in vita. 498

Diogenes dum improbum consuetudinis inveteratæ hominē commonefaceret: ut à pravo vivendi usu desuesceret interrogatus à quopiam, quid ageret, reposuit: *Æthiopem lavo.* Laërt in Diogene. 505

Demosthenes cùm pro Atheniensibus, eorúmque libertate verba faceret, offensus Rex Macedonum Philippus, ex eo quæsiit: num times, nè caput abs te auferri præcipiam? *Nequaquam*, reposuit Demosthenes: *nam etsi ipsum loco moveris, patria immortalitate donabis.* Plut. in Demost. 512

Candide Lector. Sicubi me in Authorum citationibus errore lapsum observâris, non mihi, ut in tua benignitate confide, graviter succensebis: cum ex ipsis fontibus haurire non licuerit, & *aberrare nunquam, magis divinum, quàm humanum sit*, ut inquit Tertull.

FINIS.

INDEX

INDEX RERUM NOVUS ET EXACTUS.

A

Index.

E

F

G

I

tanquam mendax indignus es regno : *nec decet Romam matrem veritatis filium habere mendacim*. Alex. ab Alex. 483.

Aurelianus Cæsar ab urbe Tiana exclusus, edixit: *canem in hoc oppido non relinquam*. Eâ expugnatâ, ad furentem militem conversus, præcepit: *agite, canes omnes occidite*: cives verò summâ clementiâ in fidem recepit. Vopiscus in Aurel. 491

Georgius Castriottus, seu Scanderbegus M. sæpius de Ottomannis victor, illud usurpabat: *Christianum nomen tuebor*. Barletius in vita. 498

Diogenes dum improbum consuetudinis inveteratæ hominē commonefaceret: ut à pravo vivendi usu desuesceret interrogatus à quopiam, quid ageret, repoluit: *Æthiopem lavo*. Laërt in Diogene. 505

Demosthenes cùm pro Atheniensibus, corúmque libertate verba faceret, offensus Rex Macedonum Philippus, ex eo: quæsiit: num times, nè caput abs te auferri præcipiam? *Nentiquam*, reposuit Demosthenes: *nam etsi ipsum loco moveris, patria immortalitate donabis*. Plut. in Demost. 512

Candide Lector, Sicubi me in Authorum citationibus errore lapsum observâris, non mihi, ut in tua benignitate confide, graviter succensébis: cum ex ipsis fontibus hautire non licuerit, & *aberrare nunquam, magis divinum, quàm humanum sit*, ut inquit Tertull.

F I N I S.

INDEX

INDEX RERUM NOVUS ET EXACTUS.

A

E

F

G

G

I

Mo-

N

O

Q.

R.

Theo-

F I N I S.